SE STATU ET RELIGIONE PROPRIA PAPATUS. ADVERSUS...

Theodore Simon




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 H
25



DE STATV ET RELIGIONE PROPRIA PAPATVS.

Adversus

CORNELIUM JANSENIUM
EPISCOPVM IPRENSEM.

Autore

THEODORO SIMONIS
HOLSATO.



LVGDVNI BATAVORVM,
Apud FRANCISCVM HEGERVM.

CIↃ IↃ C XXXVIII.


JUDICIUM

Clarissimi Viri

D^N. ANDREÆ RIVETI,

excerptum ex Epistola ad Autorem.

LIbrum tuum percurri, quantum per alia negocia licuit. Placet mihi partitio & methodus. Video etiam te jugulum caussæ petere: nec dubito quin ejus lectione moveantur, qui in hoc luto adhuc hærent, & confirmentur qui Christo nomen dederunt. Tu perge de Schola & Ecclesia benè mereri.



Reverendissimo, Amplissimoque
PRÆSVLI,
Dn. CORNELIO IANSENIO
Episcopo IPRENSI.



OVANII *promisisti mihi, Præsul amplissime, si quid dubij in religione mihi incideret, te id scripto expediturum. Hoc promisso cur non steteris, incertum habeo. Forsan ea, quæ tibi oppono, sunt adeo ἀδιάλυτα, ut φαυλισμὸν, responsionem vero nullam mereantur. Ita quidem tibi videri ais; sed mihi, cui certa promissione obstrictus satisfacere teneris, non videtur. Alij, ais, hæc refutaverunt. Regero, tibi videri, mihi secus. Res ipsa judicio sit, uter rectè sentiat. Tu pollicitus es Te refutaturum. Externum judicem in Ecclesia quæris: hujus externam & disertam vocem dogma aliquod publicè approbantis desideras,*

ab eaque totus dependes. Habes judicium Papæ Liberij publicis literis comprehensum, quo Arrianam hæresin libenti, æquo, simplici, animo confirmat: pro vera & sancta fidem declarat: Sirmiensem Synodum sua autoritate stabilit: secus sentientes ex communione Catholica ejicit. Habes consensum totius orbis in eodem errore amplectendo. Ita enim Hieronymus: Illo tempore (*Arrianismo orbem occupante*) nihil tam pium, nihil tam conveniens servo Dei videbatur, quam unitatem sequi, & à totius mundi unitate non scindi. *Quod cuiquam accidit, cuivis potest. Neque enim Pius 4. plus privilegii à Christo impetravit quàm Liberius. At satis patet, Liberium tantum facti errore peccasse; nihil hæc autoritati infallibilis judicij derogare. De interna animi affectione & judicio privato Pontificis, quod clausum in corde habet, in nos es solicitus, nec adeo Romana Ecclesia, quæ καρδιογνωσίαν opinor sibi non adsciscet. Cur igitur me ad animum Liberij pervidendum absurde ablegas.* Loquere, *ait non nemo*, ut te videam. *Num tu decreta Conc. Trid. reripis eo quod Pontifices interno assensu ea probarint; Vel ideo quæ publica & omnium mani-*

Contra Luciferianos.

manibus trita Bulla ea confirmarint? De animo Pontificum ipsi non laboratis. Constat plerosque vita & moribus ita se gessisse, ut religionem obtentui potius quam cordi habuisse videantur. Plerique præpostera prudentiæ adfectatione in caussa fidei prævaricantes, quæ sua sunt, non quæ Christi, quæsiverunt. Quæ caussæ Tiberium à recta via transversum egerunt, eadem in iis locum habent qui Conc. Trid. decreta cuderunt. Thuanum opinor legisti, & alios qui eorum vitas descripserunt. Quid Orator Regis Galliæ ad Patres Conc. Trid. dicat, haut ignoras. Oratio ejus apud Thuanum extat. Dederunt naviter operam, ut, qui scelerum finis debebat esse, gradus esset. Tot innocentum sanguine capita impiaverunt, quasi religio vera imperaretur, & cogeretur. Religionem habuerunt Crudelitatis administram, non caritatis & mansuetudinis magistram. Deum in pane esse voluerunt nobis persuadere quem plerique in Cælo esse minime crediderunt. Eò denique devenerunt, ut veneno & cædibus, in reges grassari pulchrum beatumque prædicarent. O tempora! Si Liberius ex animi sententia locutus est, quid amplius desideras? si externa simulatione veritatem op-

pressit & hæresin confirmavit, liquido apparet, hanc artem cadere in Papas, ideoque cavendos esse. Successores progressu temporis hæc omnia emendarunt. Quasi vero Privilegium non-errandi non disputent SINGVLIS *Petri successoribus convenire. Id quod Liberius fecit, reliqui possunt facere. At publica externaque voce è Cathedra profecta, quam tu solam attendis, hæresin probavit. E. id à reliquis non alienum esse putandum erit. Unde constat Principium tuæ religionis quæ in hac externa declaratione unicè acquiescit, vacillare. Quid remedii? Sequere Deum, non hominem. Concedis Papam privatim errare posse, (licet publicè eum errare neges,) i.e. aliud* SEDENTEM, *aliud stantem loqui. Hinc sequitur Concordiam istam interni & externi assensus & approbationis minime esse necessariam ut Ecclesia dogma aliquod teneatur recipere, sed* NVDAM *ex autoritate Pontificia profectam declarationem, quæ voce vel scripto Ecclesiæ innotescat. Hanc habemus. Fecit omnia Liberius coactus metu, spe. Non quæro cur Hæresin probarit, sed an probarit. Deinde ipse in Epistolis hoc negat quod tu ais. Utri jam major fides habenda? Tibi post decursum tot seculo-*

rum

rum de animo alterius judicanti; an Pontifici de seipso testanti, & testem Deum invocanti? Miserrimi Papistæ ne Papæ quidem jurato creditis, & nos è rerum natura eliminandos decernitis, quod vocem & nutum ejus, vicem oraculi non accipiamus! Vis Episcope Venerabilis consilium tibi à me suggeri veritatis amplectendæ? Credito Papæ Christi Vicario, Vice-Deo, numini in terris maximo, divinæ majestati, *& quidem* juranti. *Nisi huic monito obtemperes, non tam spei meæ quam existimationi tuæ intercedes. Sed nimis metuo, ne, ut Græcorum lingua Majestatis; ita fides hodiernorum episcoporum Reformatæ religionis nomen fatali ignorantiâ excludat. Sed forsan dignitas, quæ tibi nuper accessit, te impedit, quo minus homini tenuis conditionis ὃς ὄυποτ' ὁμοίης ἔμμορε τιμῆς, respondeas. Opinor te Hieronymum legisse, docentem:* Episcopatum opus esse, non dignitatem; laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescas, non fastigio intumescas. Com. in 1. Tim. *Sed video plerosque vestri status ita loqui ut Superbiæ; ita vivere ut Humilitati bellum indixisse videantur. Polycletus librum edidit*

 Cano-

Canona inscriptum, quo subtilissime persecutus est omnia, quæ in statua hominis fingenda observari conveniat. Eodem item tempore statuam à se factam publicè proposuit, in qua ea omnia expresserat, quæ artis perfectæ ratio exigebat, ne quid præcipere videretur, quod non ipse præstaret. Opere ipso ostendes num Tu eandem rationem teneas; vel factis dogmata tua evertas. Veteres Romanorum Episcopos, eorumque mores, quam sedulo plerique præsulum imitentur, Arnulphus Episcopus Aurelianensis, qui sub Hugone Rege Galliæ vixit, in concilio Rhemensi declaravit. Lugenda Roma, quæ nostris majoribus clara patrum lumina protulisti, nostris temporibus monstrosas tenebras, futuris seculis famosas effudisti. Quid hunc Reverendi patres in sublimi solio residentem, veste purpurea & aurea radiantem, quid hunc esse censetis? nimirum si caritate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in solio Dei residens. Tu Episcopus factus potes procedere contra quemcunque ob peccatum mortale, nisi sit IURE permissum,

Non possum tacere!

Sa in Aphorismis voce Episcopus.

missum, ut meretricium. *Venerandi Præsules peccata mortalia jure permittitis? Num etiam vobis ipsis?* Postulasti, *haud dubiè* per sedem Apostolicam edoceri, si presbyteri plures concubinas habentes bigami censeantur? Ad quod ea duxit respondendum, quod cum irregularitatem non incurrerint bigamiæ, cum his tanquam simplici fornicatione notatis, quod ad executionem sacerdotalis officij poteris dispensare. Extrav. de bigamis cap. quia circa *Atque ita impunè* sicco venit altera naso. *De te meliora Præsul amplissime spero. Fromundum ὃς οὐκ ὄθετ' αἴζυλα εἰπών, à me jubeas ὑγιαίνειν*, & quam diutissimè morari Lovanij, eique dicere meo nomine, præstare damnari à Medico, quam à Prætore, οὐδὲ φροντίδα εἶναι Ἱπποκλείδῃ. *Vale.*



Admodum Reverendis, Amplissimis, Clarissimis Doctissimisque Viris,

D. ANDREÆ RIVETO,
D. GISBERTO VOETIO,
D. ANDREÆ COLVIO,
D. MARTINO LYDIO,

Theologis eximiis & verbi divini administris fidelissimis, salutem per Christum.

Admodum Reverendi, Amplissimi, Clarissimi, Doctissimi Viri, Domini perpetuo observandi:



VM nihil fide divina credendum sit hac sola ratione, quod alij idem credant; ita ut credendi nullam causam habeamus præterquam exempla aliorum: duæ virtutes in tanta religionis dissensione maximè necessariæ sunt, *Sapientia* & *Constantia*. Illa veritatem fidei explorat & dijudicat; hæc

hæc ſine hæſitatione retinet & defendit: illa Spiritus ſancti publice in ſcriptura loquentis judicium exquirit, neque unquam privatam ſententiam è proprio judicio hauſtam & conceptam interponit: hæc cum ex difficili & viribus humani ingenij inexplicabili labyrintho emerſerit, tranquilla veritatis cœleſtis cognitione fruitur. Vnde è contrario conſtat, *Temeritatem*, *Levitatem* & *Pertinaciam* peſtes religionis maximas eſſe. Temeritas enim cæco affectuum vel conſuetudinis ductu quidvis ſine judicio arripit. Levitas falſis rationum præſtigijs à veritate facile depellitur, & errores ſtulta credulitate amplectitur. Pertinacia ſuperſtitione confirmata falſiſſimas & ineptiſſimas opiniones mordicus defendit, adeò ut in manifeſta rationis luce oculos ultrò claudat, vel affectu cœco, non recto judicio veris ſeſe ſententiis addicat. Hinc Apoſtoli monitu jubemur πάντα δοκιμάζειν καὶ τὸ καλὸν κατέχειν. Prius eſt *ſapientiæ*; alterum *conſtantiæ*. Hoc autem generatim judicio Vera religio à ſuperſtitione diſcerni-

cerni-

cernitur, quod illa ſolius Dei in S. Scriptura loquentis autoritate; hæc hominum commentis vel conſuetudine nititur. Hinc orta eſt Papiſtica φαντασία πίστεως ἀναποδείκτου, quæ hanc nobis litem peperit: *Hominum ne potius inventa, an mandata Dei ſpectanda ſint?* Ne autem ſine ratione inſanire videantur, conſuetudines ſuas commentitia poteſtate Papæ Romani, deinde Apoſtolicæ & Catholicæi fidei continua ſucceſſione commendant. Itaque divina gratia adjutus conſtitui poteſtatem iſtam Oecumenicæ juriſdictionis in univerſam Eccleſiam, juxtaque infallibilis judicij ſummam autoritatem convellere: deinde firmis documentis Romanę Eccleſiæ, cum propriam Papatus religionem profitetur, à fide & moribus veterum Chriſtianorum Apoſtaſiam demonſtrare.

Rerum parenti gratias pro Veritatis cognitione lætus ago, cujus nomen ſacroſanctum in ſecula benedictum ſit!

Ades

Ades ô Deus, nec ullo
Sine me labare gressu,
Placidusque tolle lapsum.
Absque tuo est auspicio
Cassa hominis potestas.

Cum autem hoc scripti genus variis contradictionibus obnoxium hisce seculis exulceratis sit: Vos Viros amplissimos, reverendos, doctissimosque patronos delegi, sub quorum autoritate & præsidio delitescam. Exquisitæ vestræ eruditioni adjuncta morum integritas, vitæ sanctimonia, prudentia & comitate temperata gravitas jamdudum effecerunt, ut bonis omnibus, laudatissimisque per Europam Viris admirationi sitis. Privatim ut plurima beneficia ab humanitate vestra in me profecta, perpetuo me vobis devinciunt: ita hujus opusculi inscriptione grati in Vos animi mei voluntatem testatam cupio. Nec me tenuitas munusculi ab hoc officio absterret. Certum enim habeo, Maximos homines vel minimam veræ benivolentiæ observantiæque significationem haut aspernari. Itaque

oro,

oro, ut meæ voluntatis studium benignè suscipiatis, & favore vestro perpetuò complectamini. Deus Vos Patriæ & Ecclesiæ incolumes quam diutissimè servet! Heusden Cal. Iulij, An. 1637.

Vestri nominis

observantissimus

TH. SIMON.

Episto-



Epiſtola Apologetica

Ad

LIBERTVM FROMVNDVM,
Regium Profeſſorem & Doctorem
Theologiæ in Academia Lo-
vanienſi,

SCRIPTA A

THEODORO SIMONIS, HOLSATO.



On adeo incogitato animo ſum, Fromunde, ut homo nominis nullius peregrinæq; conditionis, haud magno cultu paratuque rerum, præterea ab eruditione ſatis tenuiter inſtructus, qui à meis quotidiè domeſticis hoſtibus laceror & demitigor; Tibi Viro pollenti opum ac animi duras dem, & acri in te arietatione inſurgam. Liceat tibi impunè alios immerito ſuo, ridiculo figere, & Mæſonicis dicteriis abundare, cum religio tibi tua defendenda eſt. Verè deſperata Cauſſa Papatus publica mortalium Cachinnatione dignandi, & propediem in illud Anaxagoræ chaos redituri unde emerſit, hanc defenſionis rationem jure ſuo poſtulat. Hinc mi Fromunde ſuperſeſſis argumentis Dn. Voetij, quæ ab alijs ſcilicet refutata vim perſuadendi amiſerunt, omne tuum ſtudium occupas in Doctoribus reformatæ Eccleſiæ pipulo differendis,

rendis, ut blaterones locutuleii consueverunt. His leporibus & blandicijs, quibus Hæreticorum flagitia ἐκ τῶν μυθιστορλῶν αἰθηρογεραγεῖς, in aures Catholicorum tuorum influis: hac probabilitate mendacia superstitionis Romanæ temperas. Virum clarissimum Dn. Voetium & à Vitæ insigni pietate integerrimum, & à Doctrina prudentiaque omnibus bonis commendatum pro matula hominis habes, & tanquam hæretico despicatissimo injuriosè illudis: Calvinum consputas: Bezæ adolescentis & adhuc Papistæ flagitiosa carmina (quis negat?) in fabulas & sermones mittis: Lutherum, Zwinglium ut omni scelere dedecorosos traducis, quasi sol nullos unquam spurcioris & deformatioris vitæ illuxisset. Contra Iansenius tuus velut jam debellato triumphans, indeque haud parum auctior fortunis & honoribus non nisi meras sapientias ebullit! Ut Cœcitatem Hæreticorum tecum deplorat! ut verba sua in auraria statera pendit! ut tu Fromunde stupes admiratione defixus & ex ore dicentis pendes! ut cœlites vobis invident! Denique ut mulus mulum scabit! Perge quando ita animo obstinasti in Pistorij, Cochlei, Surij, Bolseci mores te formare, iisque palmam maledicendo præripere. Voetius haud dubiè ad pudendum imò ad pigendum tam solida disputationis tuæ ratione inducetur. Sine joco & figura loquor. Scripsisti Crisin ἀκριτὶ μονόγραμμον καὶ ὑπόλισπον, ἀναβολὰς, ut Aristophanes appellat, id est προόχορδα ἄσματα næniæ Papisticæ in antecessum præmittentem, τὴν ἀλήθειαν ψηφοπαικτοῦσαν, & denique nigerrimæ succo loliginis madentem; per silvam autem argumentorum tibi objectam in desultorium modum decurris, ut levis tipulla lympharum frigidos lacus transit. Hoc egregio opere ex fabulosis tot autoribus concinnato ostendis te esse insignem Bombalio-

nem

nem, & nugarum institorem, adeoque ex eadem cum Augustino tuo Batavo figlina & ludo ad nequitiam & ineptias Curiæ Papalis edoctum Episcopatopetam, volsellis non gladiis pugnantem Athletam theologum Placentinum non Veronensem, denique vulpionibus Iberis supparasitantem ministrum. Sperasti Semo simul pestifer & ignorabilis si liber lucem aspexerit in quo tot scommata ab æruscatore aliquo congesta maximo coacervasti, & quo Ecclesiam reformatam ἀποθυννίζῃς καὶ λάγδην πατεῖς, *neminem fore qui tam insignem & sapientem Crisin non quidem* ἐκνευρο-εσταλμένην, *(nervis enim nullis adstricta est) sed plumis Bolsecianis & Surianis nudatam, tibi remitteret, ut ita Ciris illa semiformis & involucris omnibus conspecta risum moveat. Sed hæc hactenus Quod ad me privatim attinet, iteravi tertiavique adeo ne quicquam me eorum quæ dicis fugeret, lectionem fabularis Satyræ qua me ad populum tuum Catholicum (si Deo placet) luculentè calefacis. Hanc perlectam attente despectione non mentione & refutatione dignam surda aure transmisissem, cum nihil omnino* ἀξιαφήγητον *contineat, nisi tot ei mendacia admiscuisses: ut mihi quidem persuaseris, te virum ab ingenio improbum esse, nisi forsan intentus huic historiæ scribendæ vino te Theologico paulo dapsilius placando Genio invitasti, vel Bacchanal exercendo lepide tibi voluisti esse. Vocas me Labeonem. Labeone insanior ipse ob summam maledicentiam Theologo indignam existimandus. Sed præsentior commodiorque hoc manupretio mihi delinito furias objicis orbæ tigridis oculos ardentes, nares scintillantes, spumantem rictum, non sanum sinciput &c. Certe Domine tot hyperbolicis vocabulis iracundiam meam exprimis, ut videaris apud paucos prudentes fidem inventurus Me quidem in ruborem dedisti adeo ut* ὀπτῆς καρίδος ἐρυθρώτερος

hic obambulem. Sed narratio tua sibi ipsi fidem abrogat. Roga Iansenium *tuum an ullus præterquam unicus Professor Academiæ, quem* D. *ab Angelis fuisse suspicor, disputationi nostræ interfuerit. Qui sunt igitur hi* OMNES *in quos præter* Iansenium *convitia expui? liquido constat, te ignarum rei gestæ* ἀκοὴν ἐξ ἀκοῆς *afferre, piaque fraude hæreticum studere tanquam furiosum per ora hominum traducere.* Ex *hac ficta iracundia ais tot convitia profecta esse. Mi homo quam tibi dulce est mentiri! Egone Papistas Papista idololatras appellavi? Nonne in eodem luto adhuc hærebam, & quidem adeo ut veritati oculis se ingerenti reluctarer? Et certè ut Dominum Episcopum habitum vidi, non tulissem hoc impunè. Sed quam causam hujus furiosæ iracundiæ affers? Molliter ais quendam gestus meos in calore disputationis adrisisse. Mi suavissime Doctor, adeone me invenustum esse, &* ἀπίθανον ἐν γελοίῳ *judicas, ut ob medij oris risum, quo tristitiam solemus discutere, in tantam rabiem efferbuerim? Sed cui probabile videbitur, me peregrinum hominem, discendi cupidum, emensoque difficili itinere ad vos profectum, ut suspensas credendi rationes in medium vocarem, & inter doctos candidè discuterem, repentè simul ac à* Iansenio *non tam victus quàm edoctus essem absilijsse? Hoc erat quod anxiè & calidè in votis & optatis habebam, ut nempe ad* ἐχεμυθίαν *redactus Hæreticis Germaniæ, qui me ob religionem Romanam oderant, os deinde obstruerem. Sed & hoc falsum est me Lovanium ex septentrione unius argumenti caussa venisse. Provoco ad Episcopum, cum quo satis longa dissertatione quæstionem de adoratione Sacramenti, item plurima dicta Scripturæ à Liberii lapsu alienissima tractavi. Idque adeo verum ut Dn.* Iansenius *mihi concesserit, me non obligari ad adorationem*

Cru-

Crustuli (sic Roma loquitur) quippe cujus conversio fide non teneatur. De lapsu Liberij proposueram agere, non de solo lapsu Nec non omnia uno die expedire poteram, quæ me solicitum habebant. Sed quia meos gestus irridiculo fuisse cuidam ais, Lovanienses Magistros, cernuos, obstipos decussatim stantes, vasto hiatu rictum distendentes, discalceatos, cucullatos, picturatos, gemmatos, rasos, unctos, palliatos, Missificos & signi-crucifactores in memoriam mihi redigis; item Scholasticos ineptissimos de umbra asini obverso utrinque sibi tergo altercantes, & subinde è subsellijs simiorum instar exilientes, sibique ipsis me ringente plaudentes ob oculos ponis, quorum gestus ita me affecerunt, ut risus tota mihi vita deesse nequeat. Inter hos disputatores crediderim te facile quidvis & probare & refutare posse, ut minus mirer hoc argumentum adeo tritum esse. Id sane vix capio quod ais omnium manibus id detritissimum esse. Num manibus Lovanij argumenta teritis? Sed terite, ut libet, non comminuetis, sat scio. Sed huc aures & mentem dato, si placet de negotio, quod male narrasti, rectius cognoscere. Hora circiter sesquioctava mane Iansenium primum adij. Sed quia ad Missam celebrandam accinctus erat, negabat sibi vacare, nisi hora 4. præstituta reverterer. Ad constitutum redij, pavimentumque paulisper obij dum Iansenius è museo descenderet. Venit uno homine comitatus, nisi tu is fueris Fromunde; aperte, mentiris, dicens, te comœdiam hanc Simonianam oculis spectasse; si fueris, itidem manifesto te mendacij prehendo quod asseris me convicia in Iansenium & quotquot aderant expuisse; omnesque meum miseratos fuisse sinciput. Vides historiam tuam deridiculæ vanitatis sibi non constare. Vnicum enim virum Iansenius in ea disputatione qua asperum lapidem de lapsu Liberij in Iansenium projeci, de qua tu loqueris, sibi adjunxerat.

xerat. Aliàs sæpius soli fuimus collocuti, ut fateris. Bellarminum tamen, ne pro testimonio mentiar, comitem Iansenius adducebat; sed bellare minus valentem & enervatum in Frisia sub axillis gestabat, incedere enim pedes non amplius poterat. Cum mensæ assedissemus, ego schedas meas expedire quibus capita disputationis adnotaveram. Iansenius præoccupans omnia, dicere, quæ objici possent, ab autore isto dissoluta esse. Ego regerere me Bellarminum Coloniæ legisse, neque ejus mihi responsiones satisfacere. Ad hoc Iansenius: se non esse doctiorem Bellarmino. Ego porrò obtendere, alios etiam animo infixos esse scrupulos quibus optarem liberari, de Idololatria quam Hæretici (ita loquebar) sacramento adorando committi vociferarentur; neque eam exigui momenti difficultatem videri, cum Idololatris à facie Domini pereundum sit. Tum Iansenius quasi altissimum gemitum erumpens, dicere, se prope videre cum quo Catholico sibi res sit: se suspicari me in Hollandiam reversum de victoria gloriaturum: se nolle sermone incoram sed scripto postilla mecum agere. Qua conditione licet ægrè accepta, bis credo ultro citroque scripta misimus, quoad noctis accessu milites ostium hospitij mei fere emolirentur, custodiaque arctissima, vestibus, spe, consilio exutum cingerent. Ita Iansenius laqueis se argumentorum expediebat; meque iis induebat & constringebat. Paucula etiam de Carcere. Secretarius Ducis Areschotani fasciculorum mentionem faciebat. Silvam ajebat Domino suo suppetere, in qua lignorum & virgultorum affatim ad Hæreticum comburendum reperiretur. Erant qui gladios stringerent, eosque mihi intentarent. Alij mitram quandam Hispanicam, quam vivicomburio delendis Sancta inquisitio imponit, apparabant. Patres ita dicti κατ᾽ ἐξοχὴν dolentius quam verius fortunas meas miserati à congressu meo abstinebant, ne plus mihi invidiæ

conci-

conciliarent. Erant etiam qui bona me fide ad patientiam, & Catholicam fidem adhortarentur. Habes Fromunde mendacijs depurgatam historiam. Sed quid porro accidit? Num relaxatus errores abjuravi, factique ac hæreseos pænitudine captus veniam delicti oravi? Non te pudet Fromunde? Suffraganeus Episcopi Mechliniensis ut de religione mea inquireret missus, quam à me epistolam accepit? Nonne constanter professus sum me & Catholicum esse & mansurum? idque cum nulla necessitas simulationem mihi imponeret? Eram enim liber & neutrarum partium. Nec Inquisitio Hispanica in Belgio locum habet. Quos igitur errores abjuravi? quas hæreses abjeci? Nisi forsan confessionem meam secretam aure admota interceperis qua Iesuitæ peccata mea revelabam, idque more in Romana Ecclesia recepto. Nam Papista eram, ut in literis ad Iansenium fateor, licet suspenso animo veritatem δυσεύρετον *non nisi per caliginem intuerer.*

ὥρμαινον δαϊζόμενος κατὰ θυμὸν διχθάδια.

Ex hac ficta hæreseos abjuratione ficta Iansenij misericordia tuo animo & fide consequitur. Res ita habet. Iansenius suspicans me prædicantem Silvæducensem esse, fictasque literas Hamburgensis Senatus proferre; attentè me cohibendum in custodia hospitii mei curabat.

Sed manifestus erroris, veritate ad liquidum patefacta, causa cecidit, & judicis sententia ipsaque rei æquitate (cur enim ego immerito meo tot diebus detentus in custodia quatuor vel quinque militibus sumptum in prandium & cœnam suppeditarem?) compulsus hospiti satisfecit. Et quia biduum post absolutionem in hospitio detinebar, (nam adhuc putabant me aliquid monstri alere)

Dn. Ianſenius nonnihil mihi pecuniæ dedit. Ejus enim inſtinctu, arbitrio, monitu, Iudices omnia peragebant. Hic autem demiror quod Fromundus meus paupertatem probri loco mihi objicit, in qua alias ſummæ religionis ſanctitatem conſtituit. Niſi fortean, quod ſuſpicor, eam tantum paupertatem probat, quæ deſpectu & defectu vacat, qualem S. R. E. obviis ulnis amplectitur. Interim mi Domine Fromunde, quanta mea paupetras eſt? hoc unum curavi ut mihi fides & bona mens eſſet Ideo 17. annis varias Scholas & Academias Germaniæ obij, doctorumque virorum conſortio uſus fui, qui iter mihi ad optima ſtudia præiverunt, idque ſumptu parentum meorum. Sponte autem veræ religionis cauſa plurimas moleſtias ſuſcepi, cum liceret deliciis frui, & Abbatias, præfecturas, Canonicatus in Germania oblatos accipere. Sed blanda iſta conciliatricula ſuperſtitione hominibus me nolebam commendare, neque ei adulari, qui Eccleſiæ Chriſtianæ metu & ſuperſtitione tam longam & fœdam conſuetudinem ſerviendi attulit. Tu lectum tuum conchyliatis periſtromatis legito: tu vitam voluptatibus confertam ſectator: tu Epiſcopatum propitiâ Dianâ venator. Vera religio talia non quærit. Neque ſpero adeò malè fortunulas meas apud Hollandos collocatum iri, ut ad vos vorſoriam capere jure poſtliminii: neceſſe mihi futurum ſit. Quicquid ſit, Romam μυθοτόκον non adoro. Tria Capita accuſationis tuæ reſtant, de fatuella Epiſtola, Apoſtaſia iterata, & cucullo Magdeburgenſi. Epiſtolam ad Ianſenium ſcripſi qua eum ad reſpondendum libro meo provoco, quia me ut ſcripto ſecum agerem compulit, & ſe reſponſurum à me argumentis recepit. Quid hic à me peccati ortum eſt? Cur homo fidelis & verax promiſſo ſuo non ſtat? Deridere & refellere aliquem non eſt idem. Vt autem Epiſtolam

illam

illam fateor edecumatam non esse, ita fatuellam cur appelles, te causam habere nego. Extat ea in manibus doctorum virorum, quorum judicio stabit & cadet Quod ad Apostasiam iteratam attinet, eam criminationem statui edito libro de Statu & propria Papatus religione, *si Deus vitam mihi & occasionem suppeditarit, diluere. Superstitionem R. E. ægerrime abjeci; fidem Catholicam & vere Christianam minime; sed pro ea paratus sum mori. Integrum biennium* Fromunde *abijt, cum animus meus in dubio fuit, ita ut ancipiti utrinque tot argumentorum fide, paulo momento huc illuc impelleretur. Hæc fluctuatio ex immodica tot scriptorum, contraria de religione sentientium, lectione mihi accidit. Neque hoc sine exemplo S. Augustini, cujus libris* Confessionum *nihil nominatius est. In his jactationem mentis suæ vivis coloribus exprimit, quam si in tanto viro venia dignam judicas, cur me tam acerbis facetiis derides? At ab* Ecclesia *recessi. Hoc ipsum est quod libro meo statui refellere. Itaque tantisper judicium tuum suspende. Denique crimen longe gravissimum & horrendum auditu restat. Sine cucullo è Saxonia discessi. Veniam scio te mihi daturum, & vervece mitiorem fore, ubi Saxonum meorum ingenia cognosces. Egone tanquam cerritum mendicabulum, cui cubitales pueri carmen occentassent, novitius cucullatus in Germania oberrare debui? Interroga Præmonstratenses tuos Antwerpienses; an non vulgari & communi veste ipsi in publicum prodierint. Imminente omnes obsidione quisque quo poterat, depositoque ubi cerei cornua cucullo, fuga dilapsi sunt. Fateor horum hominum institutum à Dn. Iohanne Stricerio, Nuntio Apostolico, mihi commendatum fuiße, meque ad tempus aliquod apud eos vini & deliciarum non parcissimos egiße, idque quoad belli metus & conscientia mea ferebat. Sed semper, ne*

 erres,

erres, à voti Monastici & ordinis religione liber in hunc usque diem perstiti. Nullam itaque video satis gravem causam, cur vestes quas jam gero, cum Norbertino Cucullo, præsertim hic in Hollandia permutem. Vera religio vestes non curat, sed Monachorum pietati istam solicitudinem relinquit. Et me sic quidem Fromunde Deus servavit: melius quam disputatores tuos Apollo In Hollandiam concessi, ut fortunulas meas bello Germanico, quo Bellonæ alumni

Νωλεμὲς ἐγχείμπλονlο, ἢ ἀλλήλϐς ἐνάειζον,

Πολέμϐ δ᾽ ϐ γίνετ᾽ ἐρωὴ,

fractas & dissipatas colligerem & stabilirem, & libertate conscientiæ fruerer. Habes rationem instituti mei.

Tandem quod dicis me futilibus nugis Iansenium invictum istum Athletam studuisse à religione Catholica abducere, id paucis tibi expendendum trado quam verè dicas.

Quamcunque fidem veram & Catholicam Papa R. publico scripto commendat, ita ut sententiam Concilij super ea fide examinanda coacti, libenti æquo & simplici animo, in nullo contradicens, sed in omnibus consentaneus approbet, non tanquam privatus; sed ut pontifex summus, adeo ut dissentientes à pace & concordia ista per orbem terrarum firmata, à communione sua separet: hæc fides ab omnibus Christianis amplectenda est. Nonne hoc est fundamentum Papismi? Sed Liberius Arrianam Hæresin tanquam fidem veram & Catholicam publico scripto commendat, ita ut sententiam Sirmiani concilii super ea fide examinanda coacti, libenti æquo & simplici animo in nullo contradicens sed in omnibus consentaneus appro-

approbet non tanquam privatus ; sed ut Pontifex summus ; adeo ut dissentientes à pace & concordia ista per orbem terrarum firmata à communione sua separet. E Arriana Hæresis ab omnibus Christianis amplectenda est. Minorem non negabis , quamdiu Epistolæ Liberij extabunt. Cum autem conclusio absurda sit, propositionis falsitas, quæ tamen fundamentum Papismi continet, mero meridie clarius elucescit.

Porro : Qui objecto cuidam conspicuo divinum cultum eumque absolutum tanqam Deo summo exhibet , cum tamen divinitatem firma & Catholica fide non credit , hic est manifestus Idololatra. Sed hoc R. E. facit adorando hostiam , cujus conversionem certitudine tantum morali dubitationem non excludente, minime vero fide divina credit. E. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. Quomodo invocabunt in quem non crediderint ? Quomodo autem credent , quem non audierunt ? *Itaque quamdiu non certus sum fide de divinitate objecti , ab absoluta latria ei exhibenda horum vi dictorum abstinendum mihi est. Materiale autem sensu Papistico objectum absolutæ latriæ neque è libro naturæ neque Scripturæ probabunt ; sed est fundamentum omnis idololatriæ. At R. E. verum Deum intendit adorare. Respondeo , Turcæ & Judæi idem intendunt , sed nihilominus sunt idololatræ. De B. Virgine R. E. non negat se eam religiosè adorare, invocare, & spem in ejus misericordia & auxilio collocare. Quid ad hæc Epiphanius ?* Sancta Dei Ecclesia creaturam non adorat. *Cyrillus :* Quomodo non erimus idololatræ , creaturam colentes , & spem in ipsa habentes ? *interim B. V. à R. E. audit :* Vita, spes nostra salve; ad te clamamus.


Hæref. 69. Thes. l. 10. cap. 10.

Greg. Val. in fin. tr. de idol: t. 5. dem. 4. epiph.


Gloria Deo & B. Mariæ Virgini Dominæ nostræ, item Iesu Christo.

Felix puerpera jure matris impera redemptori. *Ororius : Cui comparemus Mariam ? PLANE DEO, bona omnia continenti. Sed plura aliàs.*

Hisce jam Vale.



PARS



PARS PRIOR DE STATU PAPATUS.

CAPUT I.

Prætextus, ortus, progressus & occasio ruinæ Papatus strictim describitur.



APATUS est Monarchia Episcopi Romani, infallibilem judicem omnium fidei controversiarum se ferentis, ementito successionis jure in Petri ordinario & Oecumenico pastoratu in universam Ecclesiam usurpata.

Hæc Monorchia neque ex institutione Christi, neque ex moribus factisque S. Petri Apostoli ortum traxit. Christus, ajunt, soli Petro reliquis Apostolis præsentibus claves promisit, id est Monarchiam, si Iesuitis credimus. At hunc sensum nec ipsi Apostoli, qui

qui postea de primatu inter se contenderunt, nec Vetus Ecclesia agnovit. Quis unquam Catholicorum veterum nobis persuasit claves & Monarchiam Ecclesiæ eodem significatu dici? Ipsi scriptores Papatus rectius sentiunt. Glossa interlinearis per claves intelligit *potestatem & discretionem*. Lombardinus: *scientiam discernendi* & *potentiam judicandi*. Bellarminus & plerique omnes: *ordinem* & *jurisdictionem*. Ipse Catechismus Tridentinus eodem sensu est. Nostri cum Vetustis Ecclesiæ Doctoribus: *potestatem remittendi* & *retinendi peccata* clavium nomine significari docent. Hinc porro sequitur non soli Petro hasce claves datas fuisse; sed omnibus Apostolis eorumque successoribus. Hoc ipsa Glossa ordinaria fatetur, nempe claves apud Iohannem omnibus Apostolis datas fuisse, non partem clavium. Petrus Lombardus: *Alijs videtur, quod & mihi placere fateor, cunctis sacerdotibus hanc clavem dari, scilicet ligandi & solvendi*. Idque adstipulatu Ambrosij: *Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur*. Et Augustini: *S. Petrus dixit hoc pro omnibus, & recepit hoc pro omnibus, tanquam repræsentans unitatem in sua persona*. Idque hac luce clarius patet ex duobus locis Matt. 18. vers. 18, *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cælo.* Joh.

Ioh. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et hoc dicens insufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis: Quorum retinueritis retenta sunt.* Hinc apertè liquet, quanta quanta sit ista ligandi & solvendi potestas, non esse Monarchicam. Nam illa cum omnibus Apostolis commmunicata fuit: hæc est ἀκοινώνητος, penes unum enim residet, cui omnes parent. Hinc certum est è collatis Petro clavibus Monarchiam ejusdem in reliquos Apostolos totamque Ecclesiam nulla verisimilitudinis umbra colligi. Neque patrum judicio amplius est *ligare* & *solvere*, quam *remittere* & *retinere* peccata, quod Bellarmino ita videtur, transscribenti illud soli Petro tanquam ordinario pastori; hoc cæteris ut delegatis. Quasi vero Petrus in ipsos sufflasset, & Spiritum ijs Sanctum dedisset, non Christus ipse uno missionis actu. Sed nihil profectat Bellarminus hoc commento concesso. Nam communis est potestas ligandi & solvendi omnibus; Monarchia est unius dominatu definienda. Ejusdem potestatis communis possessio & usurpatio à Monarchia alienissima est, imò adversa ei fronte repugnat. Nec illud: *Pasce oves meas,* Monarchiæ Papanæ probandæ est. Bellarminus ridiculum se præbet hunc locum afferens ut probet penes Papam esse jus Re- contra Barclaium.

ges

ges de gradu dejiciendi. Pascere non est μοναρχεῖν, sed Evangelium prædicare, sacramenta administrare & legitima Ecclesiam disciplina coërcere. Bernhardus: *evangelizare est pascere.* Hoc munus Petrus mandatu Christi suscepit unà cum alijs non Romæ tantum, sed ubique gentium explendum. Quod si hoc pascendi mandato potestas Petro in reliquos Apostolos collata est (quod necessario consequitur si Monarchia Petri hoc dicto nititur) nova quædam & ordinaria potestas Apostolatu major in Ecclesia concedenda erit. Quod absurdum est. *Primum dedit Apostolos*, &c. Soli quidem Petro dictum est, ut oves & agnos pasceret; sed num ita, ut cæteris hoc denegatum sit? Hoc probent. Videtur, ajunt, Dominus reliquos ab hujus muneris administratione excludere, dicens: *Diligis me plus his?* Respondeat Bellarminus: *Ex Cyrillo, Augustino & alijs in hunc locum discimus: Petrum ter interrogatum an diligeret plus cæteris, quia ter Dominum negarat.* Igitur elenchum à non causa agnoscant. Majorem dilectionem ab eo Dominus flagitat, quia minorem quàm reliqui in abnegando præstiterat. Num vero novum, ordinarium & supremum pastoratum Petro tanquam Monarchæ Dominus hic donat? Minimè. Cyrillus: *Apostolatus renovat dignitatem.* Apostolatu vero major

l. 1. de pont. Rom. cap. 14. §. tertio.

In Iohannem.

pote-

potestas in Ecclesiæ regimen non cadit, hic autem communis omnium Apostolorum fuit. Cyprianus: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis.* de unit. Eccl. Bellarminus inter se pares Apostolos negat fuisse; sed respectu tantum reliquorum Christianorum. At Cyprianus hoc commentum refellit, nam pari consortio honoris & potestatis dignitatem omnium metitur. Qua voce eos inter se comparat. Neque illud de fundamento Ecclesiæ Petro quicquam fundamenti habet. Demus enim Bellarmino, quod tam anxie & miserè se cruciando probat, Petro Ecclesiam inædificatam fuisse. Hieronymus: *Super omnes Apostolos Ecclesia fundatur: cuncti claves regni Cœlorum acceperunt, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidatur.* lib. 1. in Iovinianum. Num Hieronymus jus Petri & Pontificis Romani ignoravit vel negavit? Sed nego, Petrum fundamentum Ecclesiæ verbis Christi constitui. Nos alio fundamento non vitimur quàm ipse Petrus, qui se ipso nixus non est. Sed autoritas concilij Tridentini hic manifestam victoriam nobis cōcedit. Ita verba sonant: *Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, in quo omnes qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, fundamentum firmum ac unicum est, contra quod Portæ inferni nunquam prævalebunt.* Matth. 16. sess. 3. In margine adscriptus est locus. Matt. 16. Non igitur Cathedra Romana hoc fundamentum est. Certè nullus antiquorum

rum ita exponit ut Iesuitæ hunc locum ad autoritatem judicis istius omnium controversiarum detorquent. Chrysostomus: ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. τοῦτ' ἔστι, τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας. Hilarius: *Super hanc Petram confessionis Ecclesia est ædificata.* Ita Augustinus, & qui non? Quomodo autem nos Hæretici judicamur, si hoc sensu præsens dictum interpretamur atque olim veteres plerique doctores Ecclesiæ Catholicæ illud intellexerunt? Nempe quia nihil præsidij Monarchiæ Pontificiæ ex hac interpretatione accedit. Glossa decreti: *Non credo Dominum aliud demonstrasse, quam hæc verba, quæ Petrus respondit Domino dicens: Tu es Christus filius Dei vivi. Quia super articulo illo fidei fundata est Ecclesia.* Quid? nonne Ecclesiá corruisset Petro corruente? Quæ soliditas in homine ancillarum metu pessundato? Nihilominus blasphemus textus juris Canonici ita loquitur: *Christum à Petro, quasi à quodam capite dona sua, veluti in omne corpus diffundere: hunc in consortium individuæ unitatis adsumptum fuisse: hunc voluisse Christum nominari id quod ipse erat: æterni templi ædificationem in Petri soliditate consistere.* Cum patres concilij Nicæni 2. imaginum cultum dictis scripturæ manifesto ludibrio in alienissimum sensum detortis

Hom. 55 in 16. cap. Mat. lib. 6. trinitatis.

Dist. 19. c. ita Dominus.

tortis (de qua re postea agemus) confirmassent, Papa Adrianus illud suum, optimè, divinè patribus accinit. *Rectè illud protulerunt, & valde nimis atque pulchrè contra eos qui imagines contemnunt, dixerunt, poni lucernam sub modio.* En quàm solidè æterni templi ædificatio in Petri Soliditate consistit! Ferus in hunc locum Orthodoxè: *Petra significat Christum primarium fundamentum* (ergo non secundarium.) *Nullus enim homo tam firmus est, ut non possit moveri, id quod etiam in Petro vidimus.* Bellarminus ait Petrum cum corruit fundamentum Ecclesiæ nondum fuisse; sed postea demum factum esse.. Sed male. Nam Petrum & Petram eodem sensu ajunt dici. Itaque Christus ait: Tu es Petra, (non eris). At hæc Petra corruit. Gregorius de Valentia concedit fidem seu confessionem Petri fundamentum Ecclesiæ esse, sed relatione semper habita ad Petrum confitentem. Sed judicio patrum non confitens, sed fides confessa est petra Ecclesiæ. Petrus autem seipsum non confessus est. Deinde qui fidem hanc tenet, licet Petrum de nomine non noverit, servabitur. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant & quem misisti* Iesum Christum. Sed ut Bellarmini confessione desperata causa Monarchiæ Pontificiæ elucescat, hæc illius verba notanda duxi: Vides idem dari Apostolis per illa verba: Sicut

l. 1. de Pont. R. cap. 10. §. ad illud.

Analy. lib. 7. cap. 1.

Ioh. 17.3.

misit me pater, ita mitto vos. quod Petro promissum per illud Dabo tibi claves, & postea exhibitum per illud, pasce oves. Constat autem per illud pasce intelligi jurisdictionem PLENISSIMAM etiam exteriorem. Si omnes Apostoli plenissimam potestatem acceperunt, quomodo Petrus pleniorem? Si idem Apostolis datur, quod Petro & promissum & exhibitum fuit, Monarchia Petri commentitia sit necesse est. Verba Christi: *Sicut misit me Pater, ita mitto vos*, Theophylactus hac Paraphrasi illustrat: Τὸ ἔργον τὸ ἐμὸν ἀναδέχεσθε, indeque probat Christum omnes Apostolos vicarios suos constituisse. Vnde liquet falsum esse, quod Suarius respondet Apostolos potestatem ligandi & solvendi dependenter à Petro habuisse. Scilicet exemplo Pauli & Matthiæ, quorum neuter ab Apostolis sed à Deo electus ἀμέσως, ad functionem Apostolicam accessit. Si duo isti autoritatem officii sui Petro non debent, nec reliqui. Apostolorum enim omnium eadem vocatio, nempe ἄμεσος, οὐκ ἀπ᾽ ἀνθρώπων, οὐδὲ δι᾽ ἀνθρώπων. Hinc adeo Paulus probat, se verè & propriè Apostolum esse, quod ab homine nihil sibi potestatis collatum esset. Cum itaque parem omnium potestatem Apostolorum fuisse constet, quis prætextus amplius satis

lib. 4. de Rom. Pont. c. 23. §. addit.

Contra regem Angliæ.

Gal. 1. 1.

ſatis aptus erit Monarchiæ Pontificiæ? Bellarminus diſtinctione rem expedit. Petrum ait ſummam poteſtatem habuiſſe, tanquam ordinarium paſtorem, cui propriè ſuccederetur: reliquos eandem Apoſtolos autoritatem tenuiſſe tanquam extraordinarios & delegatos paſtores, quibus non niſi Metaphorice ſucceditur. Diſtinctionem hanc commentitiam eſſe, adeoque antehac inauditam, inde patet, quod eam nemo patrum, nec fere Papiſta aliquis ante Bellarminum excogitarit. Quis audivit unquam, Apoſtolos magis extraordinarios fuiſſe, quàm Petrum? Petrus ſuperior fuit reliquis Apoſtolis, vel tanquam paſtor ordinarius, vel ut Apoſtolus. Si illud, ſequitur Apoſtolatum non eſſe ſummum munus in Eccleſia, quod Paulus negat. Primo enim loco Apoſtolos, quatuor deinde gradibus inferiores paſtores collocat. Si hoc, Apoſtolatus alius alio major eſt, id eſt, maxima poteſtate major eſt. Sed dicant seriò, quid Petrus fecerit, quod alijs non licuerit facere? Imò Apoſtolus eo ipſo quod Apoſtolus eſt, major eſt quovis paſtore ordinario. Hinc liquet, Petro in Apoſtolos juriſdictionem nullam convenire ratione hujus inferioris & ordinariæ poteſtatis. Porro Bellarminus fatetur Apoſtolum eſſe paſtorem extraordinarium. At Petrus fuit Apoſtolus, adeoque donis extraordina-

lib. 1. de R. P. c. 12, 13.

rijs instructus. Denique si Apostolica autoritas extraordinaria fuit, in Ecclesia perpetuo non erat duratura. Frustra igitur Papistæ Sedem Apostolicam jure propriæ successionis ita dictam crepant. Ipse Bellarminus negat Papam Petro ut Apostolo succedere. Rem in pauca conferemus. Apostoli quædam extraordinariè, quædam ordinariè egerunt. In illis nemo successit; in his pastores Ecclesiæ universi. Nullum itaque discrimen inter successionem, qua Episcopus Romanus Petro succedit, & qua reliquis Apostolis Episcopi cæteri. Proprie succeditur, cum æquali potestate & autoritate succeditur. Sed ita Episcopi R. Petro non succedunt, quia non possunt agere quod ille egit, libros Canonicos scribere, miracula edere &c. Fingere autem Apostolatum ordinarium nihil aliud est quàm σιδηρόξυλον. Vnde autem potestatem dispensandi contra Apostolum accepit? Num major est Apostolo? Salmeron cum videret Petri Monarchiam vacillare, nihilque ex authenticis monumentis afferri posse pro supremo Petri in Apostolos ipsos dominatu (quem tamen omnino Monarchia Papistica requirit) ait videri Petrum pastoratum suum negligere, & inter Apostolos tanquam æqualem non tanquam majorem se gessisse. Summa huc redit: Primatum B. Petri inter Apostolos agnoscimus, super

Comm. in 1. Petri 1. disp. 1.

per Apostolos negamus. Negat idem S. Paulus: non enim tantum doctrinâ & scientiâ sese summis Apostolis inferiorem negat, sed etiam autoritate, & potestate Apostolica. Ait enim se Apostolum à Deo constitutum, non ab hominibus nec per homines. Gal. 2. 2. Cor. 11. Præterea dominatus Petro in universam Ecclesiam interdictus erat. Nullus Monarcha socium habet. At Petrus dextras societatis Paulo dedit. Cui Papa R. dat? Pedes porrigit osculo venerandos cunctis mortalibus totius orbis terrarum. Paulus cum Petro obeundas provincias sortitus est. Act. 8. Hoc à Monarcha alienissimum, cui imperium in alios est. Imò mittitur in Samariam ab Apostolis. Missione ajunt amoris consilijque, non imperii. Sed nec amore nec consilio Summus princeps à subditis quoquam mittitur; sed ipse potius sic alios mittit. Præterea Petrum inferiorem fuisse Ecclesia collegioque Apostolico inde liquet, quod jubetur Ecclesiæ dicere & indicare si quid litigij ortum sit. Bellarminus ait, hoc Papam implere præceptum excommunicando. l. de Conc. cap. 19. Itaque sequeretur, eum qui hominem perversum Ecclesiæ indicat, eum excommunicare. Denique Petrus scripsit duas Epistolas, posteriorem ante mortem. Ostendant in illis vestigium Monarchiæ, & quidem talis, qua directa vel indirecta jurisdi-

ctione principibus summis superiorem se gesserit. Certum est, eum doctrinam Pauli agnovisse, qua jubet omnem animam subditam esse potestatibus superioribus. Pererius

Rom. 13. 1. in hunc locum: *Augustinus, Chrysostomus & omnes fere veteres intellexerunt Paulum hic loqui de potestate tantum seculari, quod ipse contextus disputationis & verborum Apostoli series per se indicant.* Ejusdem sensus Salmeron est, item Episcopus Espensæus. *Apostolus docet, omnes credentes mundi potestatibus debere esse subjectos.* (Com. In 1. Tim.) Idem constanter Gregorius Papa 1. docuit. Idem S. Bernhardus inculcat. *Si quis tentat excipere, tentat decipere. Omnis anima Apostolus ait.* (De clericis c. 28.) Bellarminus: *Summus pontifex clericos exemit à subjectione principum. Non sunt amplius reges Clericorum superiores.* Ita breviter & solidè ostensum est Papatum neque ex Christi institutione, neque ex exemplo B. Petri profluxisse, ut meritò dicamus Papæ: ἡ ἀλήθεια ταύτην τὴν πρόφασιν οὐκ ἐπιδέχεται. Sed unde hic status progressus est Ecclesiæ Christi adeo perniciosus ut Antichristum tandem perrupto divino humanoque jure produxerit? 1. *Ex consuetudine & more hominum.* Canon 6. Concilij Nicæni. *Mos antiquus perduret in Ægypto, ut Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quoniam*

niam Episcopo Romano parilis mos est. De sensu Canonis inferius. Ante Tempora concilij Nicæni Episcopi Romani autoritas teste Ænea Silvio adeo jacebat, ut ad eam nemo fere respiceret. Hinc Episcopi Asiæ morem Paschatis celebrandi sibi à Majoribus relictum Victore invito retinebant. Cyprianus Stephano non cessit in controversia in Anabaptismo Hæreticorum.

2. Ex decretis conciliorum. Patres concilij Chalcedonensis ajunt Romanam Ecclesiam à patribus primatum habuisse. Hinc in concilijs Africanis non jus divinum, ut nunc Jesuitæ, urgebant; sed Canonem quendam concilij Nicæni eumque adulterinum proferebant. Tantæ Molis erat Papatum condere! Qui si jure divino niteretur, ad decreta & statuta hominum non confugisset. Hinc Cusanus apertè fatetur: *Papatum esse juris positivi.* Quod inde etiam liquet, quod Patres in conciliis parem prærogativam Patriarchis veteris novæque Romæ tribuunt. Iam satis constat Sedem Constantinopolitanam ante nullius nominis, actis decretisque conciliorum emersisse, & ad primatum tandem aspirasse. Eadem itaque ratione Papatus oppresso Oriente ad hoc fastigium erupit. Act. 16. Conc. Carth. 6. sub Bonif. 1. cap. 3.

3. Ex imperio & amplitudine Urbis Romæ. Irenæus: *Ad hanc Ecclesiam necesse est*

omnes Eccleſias propter potentiorem principalitatem convenire. Quibus verbis lucem illa
Can. 9. concilij Antiocheni fœnerantur: Διὰ τὸ ἐν μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τὰ
Conc. Conſt. can. 5. πράγματα ἔχοντας. Hinc Conſtantinopolis ad ſplendorem ſecundi loci inter ſedes Patriarcharum eluctata eſt, eò quod *Nova Roma* eſſet. Veteri itaque Romæ Ep. R. amplitudinem ſuam acceptam referat neceſſe
Act. 16. eſt. Id Epiſcopi Chalcedone congergati nos luculentè docent: *Sedi ſenioris Romæ propter imperium civitatis illius patres conſequenter privilegia reddiderunt.*

Novella 131. 4. Ex principum privilegiis. Iuſtinianus: *Sancimus ſecundum ſynodorum definitiones ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum.* Quid opus erat definitione & ſanctione principis, ſi divina autoritate conſtitutus fuiſſet. Platina: *Bonifacius 3. à Phoca impetravit, ut ſedes B. Petri, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus.*

5. Ex principum largitionibus. De Carolo M. Ludovico, Mechthilde res nota eſt. Ethnicorum etiam Sacerdotum bona in Fiſcum R. E. ceſſerunt; oblationibus etiam Matronarum & varijs nundinationibus re-
Marcellinus. rum Eccleſiaſticarum ſedes S. Petri tantum Patrimonij acquiſivit.

6. Ex

6. Ex armorum continuo conflictu. Gregorius VII, Paschalis II, Alexander III, Innocentius III, Gregorius IX, Innocentius IIII, Victor III, Vrbanus III, Adrianus IV, Honorius III, Clemens IV, Imperatores bellis adorti sunt, eosque subactos iniquissimas pacis dititiones subire coëgerunt. Hinc res eò progressa est ut quorum autoritate & suffragio Episcopi Romani sedem adipiscerentur, eos tandem in verba sua jurare cogerent. Gregorius M. olim Imperatorem, *Pijssimum Dominum suum* salutabat. Jam rerum facies adeo conversa est, ut Ceremoniale Romanum Imperatori formulam hanc, in quam juret, præscripserit: *Sanctissimo Domino nostro, Domino Nicolao, divina providentia Papæ V. Ego Fridericus Rex Romanorum promitto Juro.*

7. Ex mendacijs & fraudibus. Thomas in opusculo contra errores Græcorum ad Urbanum 4. de primatu Papæ, plurima ex Ambrosio, Cyrillo, quibus primatum Papæ adstruit, allegat, quæ tamen adulterina sunt. Hartus in colloquio cum Reinoldo fatetur verba in autoribus non reperiri. In eodem opusculo mira refert de concilio Chalcedonensi, ad primatum Papæ spectantia, quæ tamen ibi neutiquam extant. Canus respondet Gregorium I. dicere hæc ab Hæreticis

erasa esse. Sed Gregorius de ea re ne gry quidem. Quid quod verba à Thoma allegata directè cum decreto pugnant, quo ἴσα πρεσβεῖα Episcopo Romano & Constantinopolitano adsignantur? His artibus olim in concilijs Africanis Episcopi Romani usi sunt. Imò in ipsam Scripturam illotis manibus involant, eamque ita ad suam dignitatem extollendam turpiter detorquent ut ludibrio eorum impietas omnibus sit. Exemplo Bonifacius Octavus potest esse. Probat in Ecclesia duos esse gladios spiritualem & temporalem. Dominum enim dixisse non *nimis esse sed satis gladiorum*: temporalem gladium in potestate Petri esse, quia Dominus eidem dixerit, ut gladium in vaginam reconderet. Vnde in libro Ceremoniarum ensem consecratum principi mittit, in signum infinitæ potentiæ, juxta illud, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Item: *dominabitur à mari ad mare, & à flumine usque ad orbis terrarum terminos*. Quid ad hæc Bernhardus? *Apostolis interdicitur dominatus. Si habere utrumque voles, perdes utrumque.* Jure nempe. De facto aliter constat. Hic à Bellarmino accurritur dicente: Pontificem ut Pontificem hæc simul habere non posse. At Bernhardus ait: *Nullo modo.* Quod etiam è rationibus quas affert, constat. Patrimonium

Extrav. comm. de maj. cap. unam sanctam.

l. 2. de considerat.

nium certè Petri, tantum pecuniæ ex annatis, taxis, indulgentijs collectum, ut Pontifex possidet. Bona Ecclesiæ Romanæ certè ut princeps secularis non habet. Sed ad Bonifacium revertor. Gladium ait oportere sub gladio esse, sed ad nutum sacerdotum exerendum. Spiritualem potestatem Papæ à nemine judicari, scriptum enim esse: *Spiritualis homo judicat omnia.* Denique non in principijs sed in principio mundum creatum fuisse. Vnde evidenter pateat: Papam esse summum Monarcham. Quid ad hæc Ambrosius? *Ecclesiasticus in Dei rebus solicitus, à seculari negocio alienus est. Non convenit unum duplicem professionem habere.* Theodoricus Niem. *Per usurpationes sacerdotum diminutum est imperium.* Laurentius Valla: *Pontifex per inauditum genus fraudis Dominium urbis Romæ acquisivit.* Paulus Langius: *Eodem anno Innocentio* IX *Papa, Romani cives claves civitatis cum ramis palmarum obtulerunt, & omne dominium urbis Romæ etiam temporale illi concesserunt: sed minus justè minusque laudabiliter, quia temporalium illa affluentia haud parum officit spiritualibus: nec Petri successor Papa ejusmodi periculosum temporale dominium sumpsisse debuerat. Nusquam equidem legitur, quod priscis temporibus etiam post donationem Constantini, quispiam summus Pontifex temporale dominium urbis gubernarit. Ab antiquo urbs*

in 2. Tim. 2.

Tract. Vnion. 6. c. 33.

Cõtra donat. Const.

In Chron. Citizensi in vita Vdalrici 2.

Roma

Roma Imperialis extitit. Quid dicam de Constantini donatione? Tot illa argumentis refellitur ut ipsis adversarijs irridiculo sit. Eusebius, Socrates, Sozimus narrant, Constantinum inter liberos suos imperium partitum fuisse. Ipsa experientia clamat, etiam post Ludovici pij tempora Imperatores Italiæ & Romæ temporale Dominium exercuisse. Quid censemus tandem Pilatum dicturum fuisse, si præscivisset Vicarios Christi Cæsares Româ expulsuros, urbemque occupaturos esse? Denique principum viribus fractis Marte, aut repressis superstitione vulgus *εὐαπάτητον* erat. Hinc natæ tot horribiles Legendæ. Sed qualis tum facies Papatus erat? Bernhardus: *Romam de toto orbe confluunt ambitiosi, avari, simoniaci, sacrilegi, concubinarij, incestuosij & quæque istius modi monstra hominum, ut Apostolica autoritate vel obtineant honores Ecclesiasticos vel retineant. Interea ille bonus pastor deauratus procedit, & oves dæmonum pascua capiunt*. Hæc Bernhardi querela judicium Friderici 2. Imperatoris confirmat deplorantis *Romanam Ecclesiam tanto avaritiæ succensam incendio, & concupiscentia manifesta, ut bonis Ecclesiasticis sibi pro voto non sufficientibus, imperatores, reges & principes exhæredare, & tributarios constituere non vereatur*. Hæc pietas ex sacerdotij & gladij conjunctione exorta est. Nicolaus Clemangis

lib. 1. de consid.

Matt. Paris in Henrico 3.

gis fatetur: *Romanam Ecclesiam ceteras expoliasse, cunctis sesse ingurgitando.* Hinc defectio Græcæ Ecclesiæ à Romana teste Matthæo Paris orta est. *Recessit, ait, Græca Ecclesia à subjectione Romanæ Ecclesiæ propter ejusdem varias enormitates, maximè in usuris, simoniis, justitiæ venditionibus & aliis injuriis intolerabilibus.* in Henrico 3. Defensio Parisiensis Curiæ pro libertate Ecclesiarum Ludovico XI. oblata demonstrat: Art. 77. Reservationes pectorales, mentales, regressus generales, & speciales, accessus, provisiones, taxam Apostolicæ Pœnitentiariæ, ex omnibus Orbis Christiani provincijs proventum amplius 200. tonnarum auri in fiscum Pontificis intulisse. Hæc occasio defectionis teste Thuano. *Peccatum in sacris muneribus dispensandis admissum Leo mox longe graviore cumulavit. Namque cum alioqui ad omnem licentiam sponte sua ferretur, Laurentii Puccii Cardinalis hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, ut pecuniam ad immensos sumptus undique corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisque pro peccati gravitate dependeret. In eamque rem per provincias, quæstores & æraria ordinavit, addiditque præcones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, & orationibus artificiose compositis, propositisque pa-* Hist. lib. 1. anno, 1515.

lam

lam libellis rei efficaciam immoderate extollerent. quod licentiose nimis à Pontificiis ministris passim in Germania præcipue fiebat, ubi qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per lustra & popinas cottidie sine pudore, in aleæ lusum, usúsque turpissimos potestatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus. Samson Mediolanensis Minorita quæstor à Leone X. constitutus in Helvetia indulgentiarum nundinatione adeo dives evasit ut centum viginti millia ducatorum pro Papatu obtulerit. *Tunc*, ait Thuanus, *exortus est Martinus Lutherus.* Meritò, ut tanquam alter Hercules Augiæ stabulum purgaret.

CAP. II.

Papatus veteri Ecclesiæ vel ignotus vel ab eadem rejectus fuit.

Epist. ad Trallianos.

IGnatius nullum superiorem Episcopo in Ecclesiæ regimine agnovit. *Episcopus forma est patris omnium, ei parendum sicut Domino.* Loquitur de Episcopo Tralliano. Item: *Quid est Episcopus, nisi omnem principatum, & potestatem omnium illorum tenens?*

Dignum

Dignum est vos obedire Episcopo vestro, & in nullo ei contradicere. Hinc sequitur judicio Ignatij Episcopum quemvis Ecclesiam suam summa cum potestate regere, adeo ut sit forma patris omnium. Sed hujus tituli dignitatem solus sibi Papa sacrilega usurpatione arrogat. Epist. ad Magnesianos.

Tertullianus: *Dandi baptismi habet jus summus sacerdos.* Hinc cum omnibus administratio Baptismi Ministris Ecclesiæ commissa sit, sequitur neminem alij subjectum esse Sacerdotem tanquam potestati majori & jurisdictione prædito. De Baptismo

Irenæus Victorem Episcopum Romanum objurgat, (Verba ejus & nonnullorum aliorum scriptis prodita extant) & quidem teste Eusebio acriter & acerbè. Nam Victor Asianos propter pascha à communione sua secluserat. *Sed hoc,* ait Eusebius, *omnibus Episcopis non placebat, quin è contrario scribentes ei IVBEBANT, ut magis quæ pacis sunt, ageret.* Hinc certum est Irenæum cum Episcopis Galliæ Victorem non agnovisse judicem supremum, & *ἀνυπεύθυνον*, id est non obnoxium causæ dicendæ vel rationi reddendæ, legibusque instar Tyranni solutum, qualem jam Dominum Ecclesia patitur. Bellarminus ait, Victorem prudenter egisse, ut Judaismo obviam iret ingruenti in Ecclesiam. Irenæus aliter judicat. Eusebius item ait, hoc Eusebius Hist. Eccl. lib. 5. cap. 24.

προσηκόντως id eſt, convenienter, rectè, decenter ab Irenæo factum. Porrò jam olim Irenæus notavit quoſdam *principalis confeſſionis tumore elatos.* Quid diceret, jam redux in vitam?

Euſeb. lib. 5. cap. 23.

Polycarpus Anicetum Epiſcopum Romanum pro infallibili judice controverſiarum non habuit. Anicetus enim eum in ſuam ſententiam pertrahere non potuit. Nempe ut ſuo obſervandi Paſchatis more abjecto Romanæ Eccleſiæ præſcriptum ſequeretur. Tantum autem doctorem Eccleſiæ, à pietate & doctrina illuſtrem martyrijque gloria inſignem ignoraſſe illud Petro dictum: *Paſce oves meas!* Certè omnes Epiſcopi Aſiæ Polycarpum, non Anicetum ſequebantur. Undè evidenti certitudine patet, Eccleſiam Chriſtianam tum temporis Epiſcopum R. pro ſummo Eccleſiæ Judice & Monarcha non habuiſſe. Illud ipſum & patet ex eo quod Epiphanius ſcribit: Marcionem à patre ſuo rejectum è communione ad Pium & cæteros Romanos præſules confugiſſe, petijſſeque reſtitutionem, ſed cum reſponſo hoc dimiſſum. *Ipſos NON POSSE ABSQVE PERMISSIONE venerandi ipſius Patris facere: unam eſſe fidem, & unam concordiam, nec ipſos POSSE ADVERSARI bono COMMINISTRO ſuo.* Itane Monarcha Eccleſiæ Pius? Sed ad Victorem redeamus, de quo

Bellar-

Bellarminus etiam gloriatur. Nam ait Episcopos Galliæ non usum sed abusum potestatis reprehendisse, imò inde probari jurisdictionem Pontificis in Ecclesias Asiæ. Sed mirum Bellarminum non videre quod vidit, nempe excommunicationes olim mutuas fuisse, quibus vinculum communionis, quo Ecclesiæ consociatæ erant, rumpebatur. Nulla enim Ecclesia clavibus carebat, earumque plena potestate. Gregorius I. *His datæ sunt claves ligandi & solvendi, qui Apostolorum exempla cum doctrina tenent.* Vnde Cyrillus: *Christus Apostolis & eorum successoribus plenam concessit potestatem.* Igitur plena potestas non soli Episcopo R. tribuenda est. Ambrosius ait: *Se & cunctos sacerdotes in S. Petro claves regni cœlorum suscepisse.* Atqui non erat successor Petri proprie dictus, ut Papistæ nugantur.

super Euang.

in Ioh. l. 3. c. 23.

in princ. libri de dign. Sacerdotii.

Hic Ambrosius Syricium Episcopum Romonum FRATREM salutat. Nec aliter erga eum atque æqualem se gerit. Item Ambrosius ait: Nihil olim in Ecclesia sine Presbyterorum consilio actum fuisse. Nam Ambrosius se explicat ita: *Sed & nos homines sensum habemus. Id quod alibi* (quam Romæ) *rectius servatur, & nos rectè custodimus.* Nazianzenus totum statum papatus detestatur, optans ne ulla throni prærogativa sit, ut sola virtute præsules Ecclesiæ discernerent-

Ep. 81. l. 10.

Cō. in 1 Tim. 5.

in Ioh. 13. 10.

in Maximum.

nerentur: queritur cathedram superiorem & inferiorem & consuetudinem introductam praecedendi unitatem rupisse, plurimosque praecipites dedisse non solum Laicorum sed Pastorum, qui licet essent Magistri in Israele, hoc tamen ignorarint.

Epist. 10. ad Eusebium anno 372. s. 32.

Basilius sedem Romanam vivis coloribus depingit, acriterque Damasum perstringit, Baronio id non negante. *Odi*, ait Basilius, *fastum illius Ecclesiæ*. Quid jam diceret?

Epistola 162. Optatus Milevitanus l. 1. contra Parmeni.

Nota est ex Augustini Epistola Donatistarum provocatio à Melchiade Episcopo Romano, ejusque collegis. Hanc Imperator admisit. Non ullus veterum id reprehendit. *Putemus illos Episcopos* (Melchiadem, Maternum, Rheticum, Marinum) *qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse: Restabat adhuc Ecclesia plenarium universale concilium*, ubi etiam cum ipsis Ivdicibvs (inter quos erat Melchiades Papa Romanus summus Iudex totius Ecclesiæ, superior concilio scilicet) causa posset agitari. Respondent Imperatorem imperitum fuisse rerum Ecclesiasticarum. Num etiam Augustinum? num omnes Episcopos? Num ipsum Melchiadem? A nemine certe vel monitus vel reprehensus est. Iussit Episcopos Romæ congregari & Melchiadi judices adjungi, Ivdices, inquam; ita enim Augustinus expressè. Num putemus Ecclesiam tum

cre-

credidisse, quod jam Romana Ecclesia mortalium credulitati obtrudit, nempe Episcopum Romanum judicem ἀδιάψευστον, id est, talem qui nec fallere alios nec ipse falli possit, omnium controversiarum in universa Ecclesia esse? Hoc inprimis notandum est quod Melchiades commissionem judicis delegati cum aliis æquo jure obeundam non recusarit. quo ipso evincitur quod sese non gesserit pro judice omnium controversiarum ex officio. Neque imperatorem reprehendit quod rem à se judicatam denuo cognosceret & judicaret. Id etiam Melchiadis Monarchiam evertit quod Optatus ait: *Sufficere Donatum percussum esse tot sententiis.* Cur non stylo Iesuitico: *sententia sedis Apostolicæ?* Eusebius Epistolam Constantini habet ad Melchiadem, in qua eum jubet Romæ concilium celebrare adjuncto ei Marino. Ita autem Epistola clauditur, ut appareat, ad unum non esse scriptam: *Suprema majestas Dei veri Honoratissimi vos conservet in plures annos.* Ajunt plurima Imperatorem ex affectu egisse, quæ ratione officij Papæ conveniant. Sed Imperator hoc negans admonendus à Melchiade fuisset. Baronius: *Non æstimo* (Constantinus loquitur) *mihi licere dissimulare tales contentiones, quibus suprema divinitas posset commoveri etiam contra meipsum, cujus cura per cœlestem voluntatem*

Hist. Eccles. lib. 10. c. 5.

an. 314. l. 46.

commissum est regimen cunctarum rerum terrenarum. At hodie Papa sic loquitur. Imò Baronius fatetur Imperatorem existimasse ad suam maximè curam hoc tertium judicium pertinere, de quo rationem rediturus esset. *Maxime* ait. Cur Papa Imperatorem Pium non dehortatus est ne falcem in alienam messem mitteret? Ne sedi B. Petri injuriam faceret, judicium ejus in dubium vocando? Hic hærent. Imperator veniam ab Antistitibus petit quod rem jam bis Romæ & Arelati judicatam & manifesti juris Mediolani de integro tractaret. Sed hoc fecit non ob infallibile judicium sedis Romanæ, sed ob evidentiam causæ jam cognitæ. Deinde ab omnibus veniam petit, non à solo Melchiade. Quod Melchiades alios in societatem judicij admisit, Bellarminus excusat, ideo factum fuisse, quia Melchiades Donatistis suspectus esset. Sed Melchiadi ex MANDATO Imperatoris reliqui judices adjuncti sunt: Melchiades cum reliquis Episcopis paria mandata accepit, ut ex literis constat. Deinde ait, judices nullo jure hoc post Episcopum R. egisse, idque Augustinum dicere. Falsum. Augustinus non Episcopos, sed Donatistas ob eorum importunitatem, quod nullo in judicio acquiescerent, perstingit. Imo plenarij concilij judicium unius Episcopi R. sententiæ præfert.

an. 316. s. 58.

l. 2. de pont. c. 24.

Vnde

Vnde liquido liquet, Monarcham nostrum isto seculo ignoratum fuisse. Athanasij exemplum notandum. Liberius in literis: *cognoscat prudentia vestra Athanasium ab Ecclesiæ Romanæ communione separatum esse.* Hinc ita argumentor: Athanasius à communione Pontificis Romani separatus, vel necesse habuit communionem cum Pontifice restaurare, vel non. Si prius, fides ei Catholica deserenda fuit. Si non; Communio cum Romano Pontifice non est necessaria ad salutem. Iesuitæ externum judicem quærunt, qui aperta & diserta sententia controversias in Ecclesia ortas decidat. Hujus itaque externam professionem, declarationem & judicium attendant oportet. At sic Arriana hæresis triumphabit. Nam Liberij Papæ LITERIS expresse approbata est. Vt autem Athanasius istas nihili fecit, sic eodem jure Christiani, Bullas, quibus decreta Tridentina confirmantur, merito rejiciunt. Liberius spe ajunt redeundi in sedem unde exciderat, hæresin probavit. Hoc ipse negat.

Chrysostomus Romanæ sedis Monarchiam minime agnovit. ita enim ait: *Quæ est civitatis nostræ dignitas, contigit primum discipulos Antiochiæ appellari Christianos. Hoc autem civitatum, quæ sunt in mundo, civitas habet nulla, neque ipsa Romuli civitas.*

Homilia 16. ad populum Antiochenum.

vitas. Propterea contra omnem terrarum orbem Antiochia oculos erigere potest. Non cogitavit opinor invictissimum Monarcham Ecclesiæ Romæ residere. Hoc certè majus est, quam nuda nominis mutati gloriatio. Si Chrysostomus credidisset Romanam Cathedram esse illam *Petram* quam portæ inferni non vincunt, *centrum*, *radicem Ecclesiarum omnium*, hac gloriatione penitus abstinuisset. Quis Papista jam concedit, ullam civitatem contra Romam oculos erigere posse? Certè si sedem Petri cum Oecumenico Papatu, Chrysostomus Romam translatam Antiochia credidisset, hoc verborum & laudum apparatu supersedisset.

Hieronymi certa est sententia, *Ecclesiam olim communi Presbyterorum consilio regi solitam fuisse.* Ibidem: *Episcopi norint se in communi debere Ecclesias regere.* Vbi hic Monarcha noster? Alibi ait apertè: *Episcopum, ubicunque fuerit, sive Romæ sive Eugubij sive Constantinopoli sive Rhegij sive Alexandriæ sive Tanis, ejusdem meriti & ejusdem Sacerdotij esse.* Respondent Hieronymum de ordine loqui, non de jurisdictione. At Hieronymus loquitur de Episcopatu, qui sine jurisdictione non potest intelligi. Tandem Metropolitanis ex consuetudine & mutuo consensu major jurisdictio obtigit. Porro ait: *Quid mihi profers urbis consuetudinem? orbis major est urbe.*

[Marginalia: in Tit. 1. — in Epistola ad Euagrium. — Ibidem.]

Quid

Quid mihi objicis paucitatem de qua ortum est supercilium? Num Romam Magistram fidei summam & unicam videtur agnoscere? Medina: *Hieronymus* (cum plerisque patribus) *æqualitatem docuit*. Eandem nos docemus. l. 1. orig. c. 5.

Leo certe Monarchicum principatum Ecclesiæ quam validè his verbis tuetur? Ita scribit ad Theodosium Imperatorem pium illum & inclytum Principem, non Tyrannum, non hæreticum, sed Catholicum. *Pietas vestra supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam jubeatis haberi Episcopale concilium.* Item: *Omnes sacerdotes cum lacrymis & gemitibus mansuetudini vestræ supplicant, ut generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari.* Sed hoc factum non est. Nam Chalcedone Episcopi convenerunt. Hic hic Monarcha Iesuitico, Bonifacio aliquo 8. & Gregorio 7. opus erat. Liberatus in Breviario: *Pontifex Romanus cum pluribus Episcopis genu flexo oravit Valentinianum & Eudoxiam Uxorem ejus, ut adhortarentur Theodosium ad aliam synodum celebrandam. Quo id rescinderetur, quod male factum esset à Dioscoro.* O Monarcham Ecclesiæ? cap. 12.

Cyprianus Stephani Monarchiam minimè agnovit. Suarius ait: Stephanum Pontificem Romanum Cypriano contradixisse quidem tanquam doctorem privatum; non contra Regem Angliæ.

vero definiendo controversiam in concilio; Cyprianum virtute cōtrarium ejus quod sensit, magis credidisse. Sed Bellarminum huic mendaci oppono. *Cyprianus, qui semper habitus est in numero Catholicorum, Romano Pontifici contra errorem suum in concilio particulari definienti adversabatur.* Item: *Putavit enim pontificem perniciose errasse, & Stephano Papæ serio præcipienti Cyprianus parere noluit: pertinaciter restitit Stephano pontifici definienti. Et tamen Ecclesia Cyprianum ut sanctum colit, qui non videtur unquam resipuisse ab errore suo.* At definivit, ajunt, sed non tanquam de fide. Quid si Stephanus hæc verba ad Cyprianum scripsisset: *Ego Papa Romanus rem definio tanquam de fide.* Num Jesuitæ nobis persuadebunt, protinus Cyprianum incepta lite destiturum? ó præstigiatores! Nonne eo ipso quo controversia à Papa DEFINITA est, de fide etiam vestra est? At non excommunicavit Cyprianum! Respondeo: Eusebius, Augustinus testantur, Stephanum Papam censuisse excommunicandos, qui non obedirent. Id totum Cyprianus flocci fecit. Rogo Iesuitam: Si quis Pontificis commninationem ita contemnat, ut ei seriò præcipienti obedientiam deneget, an non pro Hæretico habetur? Hoc Cyprianus fecit. Et tamen Augustinus ait, *Ecclesias nutasse de illa quæstione, potuisse Cyprianum salva carita-*

lib. 2. de conc. cap. 5.

lib. 4. de R. P. cap. 7.

lib. 7. hist. c. 4. de muco-bapt. cap. 14.

te à

te à Pontifice dissentire, donec generalis concilii definitio accederet. Ostendant hic Iesuitæ Monarcham suum. Hodiè docetúr eum qui Pontifici se non subjiciat, membrum non esse Catholicæ Ecclesiæ. Aliter Augustinus judicavit. Quomodo jam credam Cyprianum virtute credidisse quod tam strenuè & constanter negavit? Cui persuadebit Suaresius Cyprianum confessionem edidisse, qua se ipsum condemnaret? Attendat Lindanum suum: *Cyprianus, cum Stephanus à sua eum communione repelleret, & Episcopos ab illo ex Africa legatos ad colloquium non admitteret, & preciperet universæ fraternitati, ne quis eos domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur: Cyprianum quoque pseudo christum & dolosum operarium diceret; in illo dissidio pacis & unitatis vinculum constantissime retinebat.* Igitur potest esse unitas & pax extra communionem cum Papa. Conf. art. 7.

Hujus Cypriani, summi Doctoris Ecclesiæ Africanæ & Martyris sententia insignis notanda est, qua Monarchiam *Domini Deique nostri Papæ* plane pessundat. *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Is tenet in solidum, qui jus habet in totum, quod in æquali statu Iurisdictionis fieri non potest. Idem ad Cornelium Episcopum Romanum scribit: *Oportet illic agere* De unitate eccles. Ep. 55

 caus-

caussam ubi & accusatores & testes habere criminis sui possunt. Nisi paucis desperatus, minor videatur esse autoritas Episcoporum in Africa, qui jam de illis judicaverunt. Hoc in caussa Felicissimi. Firmilianus Episcopus Cæsareæ, sanctitate nulli secundus, teste Baronio in epistola ad Cyprianum scripsit: *Illos qui Romæ sunt, non observare in omnibus quæ sunt ab origine tradita, & frustra autoritatem Apostolorum prætendere.* Hic S. Vir sese non judicavit divino jure subjici Romano Pontifici. Fecit enim cum Cypriano in controversia de Anabaptismo Hæreticorum. *Juste*, ait, *indignor ad hanc tam apertam & manifestam Stephani stultitiam.* Quisquis ita hodie loquitur, Hæreticus omnium Papistarum judicio habetur. Dionysius Episcopus Alexandriæ itidem à Cypriani partibus stetit. Quam Monarchæ nostri autoritas his Catholicis Episcopis sordet! Sed Cyprianus epistolis non contentus Carthagini concilium 87. Episcoporum convocat, quo Papæ definitionem rejicit. Baronius fatetur in eo concilio hoc decretum editum fuisse, quo Monarchia Romanæ cathedræ penitus evertitur.

Superest ut de hac ipsa re singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diver-

sum

ſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit, quando habeat OMNIS EPISCOPUS pro licentia libertatis, tanquam IUDICARI AB ALIO NON POSSIT, quando non poteſt ipſe alterum judicare; ſed expectemus UNIVERSI JUDICIUM DN. N. JESU CHRISTI, qui UNUS & SOLUS habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi. Ad hoc invictum teſtimonium & monumentum antiquitatis nobiliſſimum Papiſtarum nonnulli reſpondent Concilium negare in Africa Epiſcopum Epiſcoporum eſſe, non negare autem talem Romæ agere. Sed Romanæ Eccleſiæ typho hoc decretum unicè opponebatur. An non negant Romæ Epiſcopum Epiſcoporum eſſe, dicentes: Omnem Epiſcopum habere arbitrium proprium, id eſt ab alterius judicio non pendere: univerſis expectandum judicium Chriſti; non Papæ Romani: neque id tantum in cauſis dubijs & occultis, ſed omnibus. Nam dicunt: neminem niſi Chriſtum poteſtatem habere de actu noſtro judicandi. Num de occulto tantum, an etiam de aperto? Hoc autem patet, Cyprianum non damnare judicium pluriumEpiſcoporum de uno; ſed unius

de

de pluribus, idque cum typho conjunctum Romano. Hic inprimis notandum est judicium Augustini de tota hac controversia, de qua non loquitur ut de rebellione iuferioris contra Superiorem judicem; sed tanquam de litigio fratrum æqualium. Imò proponit Donatistis Schismaticis hanc præfationem Cypriani tanquam exemplum humilitatis, ut ita Stapletoni impudentia judicio Augustini coarguatur desperabundam hanc vocem emittentis: *Cyprianum ad erroris sui defensionem, usi verbis errantium, & videri Hæreticis mirè patrocinari.*

De baptismo contra Donatist. l. 2. c. 3. item l. 5. c. 23 25.

de princip. fidei doctrin. l. 11. c. 7.

Sed ad sextum concilium Africanum, quod ex plurium synodorum canonibus recitatis approbatisque unum volumen collegit, progredimur. De quo Baronius: Hic oratio admirabunda recurrit, hæret in salebris, & quo tandem evadat, ignorat. Cum Apiarius à Synodo Africana communione Ecclesiastica exclusus esset, ad Sozimum Papam Romanum provocabat. Hic re non rectè perceptâ jubet eum Communioni restitui, missisque legatis Afros accusat, edocetque, in concilio Nicæno statutum esse, ut res graviores non nisi cum consensu sedis Romanæ dijudicarentur. Faustinus ejus legationis princeps fuit, qui Sozimi sententiam ex scripto legit. Sed Episcopi Afri, Aurelius, AUGUSTINVS, alijque, se in decre-

an. 347. f. 97.

tis

tis talem Canonem negant invenire. Itaque Innocentium ad Cyrillum Alexandriæ Episcopum, Marcum ad Atticum Ep̄. Constantinopolis mittunt, ut authentica exemplaria Canonum afferrent. Sed in iis nihil tale inventum est, sed inferioris gradus clericos & Episcopos Metropolitanis suis apertissimè commissos esse. Hinc Epistolam ad Cœlestinum Romanum Episcopum scribunt, *Quod se alienis negociis immisceat: in nulla patrum Synodo statutum esse ut aliquis tanquam à Papæ latere mittatur.* Tandem decernunt ut communionis jure privetur, qui ad transmarina judicia provocarit. *Executores Clericos vestros, quibuscunque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi videamur inducere.* Concilium approbatum est ab Ecclesia Romana, imò ab omnibus Catholicis omnium seculorum. Ita textus juris habet: *Synodus Africana sub Theodosio minore Augusto, in qua patres 229. recitaverunt & firmaverunt Canones 105. qui per diversa concilia Africanæ provinciæ temporibus Aurelij Carthaginensis Episcopi leguntur esse conscripti.* Hæc libertas adeo olim Bonifacio displicuit, ut scripserit: *Aurelium cum collegis S. Augustino alijsque, instigante Diabolo, superbire prædecessorum suorum tempore contra R. E. cœpisse.*

Can. 92.

Dist. 16. cap. prima.

cœpisse. Vt Hardingus dicat: *Totam Africanam Ecclesiam* 100. *annis in schismate perseverasse, seque ab Apostolica sedis obedientia removisse, ab Aurelio seductam*. Sed Augustinus ei rei caput erat. Sed non tantum Africana Ecclesia, sed & Asiatica fraudem Episcopi Romani deprehensa ἐπ' αὐτοφώρῳ hos legatos à Latere irrisit. Nam nec Alexandrina nec Constantinopolitana Ecclesia jus provocationis ad R. Ep. in canonibus Nicenis invenit, aut concessit. Unde constat eas cum Africana Ecclesia eodem sensu fuisse. Gratianus ridiculum se præbet bellissima clausula Canoni adjecta de suo. *Nisi forte ad Romanam sedem appellarit*. quæ sane si à Patribus profecta esset, immerito Hardingus iis irasceretur. Nulla certè lis esset. Baroniusque frustra sudaret. Hoc autem urgeo an credant adversarij Augustinum & totam Ecclesiam Africæ & Asiæ jus Pontificis Romani ignorasse, vel hæresis obstinatione negasse? Respondeant Papistæ.

caus. 2. q. 6. cap. plac.

Bellarminus mitescit. Ait Canonem loqui de Clericis inferioris ordinis. At docent Papam esse judicem omnium. Cur iniquum Canonem edidissent jus provocationis inferioribus clericis adimendo & Episcopis concedendo? sed Canone 28. ex-

presse

presse dicunt, *Sicut de Episcopis sæpe definitum est.* Rufus per ludibrium περὶ exponit *ab*, quasi esset ὑπὸ, ut sensus sit, ab Episcopis hoc esse definitum non de Episcopis.

Tandem 300. annis elapsis, cum Ecclesia ubique locorum reflorescerct, tempus erat ut Silvester Pontifex Romanus mandatis & decretis editis publicum statum universalis Ecclesiæ componeret & restauraret. Sed nihil in tanto opere præcipuum, quod ab Eusebio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno sigillatim enarratur. Baronius vult Alexandrum prius Silvestro de Arrij turbis componendis scripsisse quam aliis. Sed hoc falsum. Nicetas: *Alexander ad Antiochenum, Romanum, aliosque præsules scribit.* Nulla Silvestri mandata, nulla decreta, nulla concilia. Constantinus vero ex consilio Eusebij Episcopi Cæsareæ in Palæstina, & Hosij Episcopi Cordubensis, minimè verò ex autoritate Silvestri Papæ huic tanto operi incubuit. Cur Silvester Arrium & Alexandrum Romam non citabat? Cur tacebat? Cur autoritatem suam non interponebat? Tandem cum lis decennium durasset Constantinus Hosium Alexandriam mittit, sedandi tumultus caussa. Hic Hosius ab Imperatore, non

thes. orth. fid. l. 5. c. 5.

Socrates lib. 1. c. 4. in Græco, 7.

non à Silvestro literas legationis accepit. Nemo scriptorum denique ejus seculi Silvestro quicquam tribuit. Concilium Romanum, quod à Silvestro Romæ coactum fingitur, ab ipso Baronio exploditur. Et his temporibus Monarchiæ nostræ autoritas quasi cinere obtecta latuit. Sed tamen in concilio isto Romano decernitur ne reges judices sint Episcopotum Romanorum. Vbi tum in imperio Romano reges? Quis sibi à risu temperet! Tandem cum Arriani non cessarent Ecclesias Ægypti perturbare, concilium Nicænum ab Imperatore coactum est. Est enim Imperatorum paci Ecclesiæ consulere, ut tranquillam sub ipsis vitam agamus. Alexander Constantinum movebat. cur non rectà Romam ibat? Valebat nempe in Ecclesia illud: Omnis anima potestatibus ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, i. e. subjiciatur. quod plus Chrysostomi judicio quam πειθέσθω, obediat. *Licet Apostolus fueris, licet Evangelista, licet Propheta vel quicunque.* Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Gregorius 1, Bernhardus hunc locum exponunt. Ex officio itaque hunc conventum Episcoporum Imperator coëgit, ut tumultus exortos in imperio inter subditos sedaret. De præside concilii Nicæni quid dicemus? Num is Papa Romanus vel ejus legati

An. 324. §. §. 123.

Epiphanius Hæresi Meletianorum.

Ecclesiasticum.

gati fuerunt? Minime. Theodoretus ait: *Romanum Episcopum Presbyteros duos ad concilium misisse*, Vitum & Vincentium. Hosium si misisset, tres misisset. Idem Sozomenus. Deinde Hosius proprio nomine subscripsit decretis, adeoque primo loco. *Hosius Episcopus civitatis Cordubensis provinciæ Hispaniæ dixit: Ita credo, sicut superius scriptum est.* Legati Iulij senectute impediti ne ipse adesset, quartum locum obtinebant. Quod autem decreta ajunt à Iulio Papa approbata fuisse, idem de Episcopis Illyrici & Siciliæ scriptum est. Arrius hoc communi consensu facilius subvertebatur. Hosius primus subscripsit, propter sanctitatis & doctrinæ summam commendationem & amicitiam Imperatoris. Eustratius præterea primum locum in consessu obtinuit. Sed Imperator in medio parvæ cuidam sellæ ex auro insedit, & Episcopis præscripsit tanquam summus præses cōcilij unde probationum & fidei argumenta definienda essent. idem sententias audivit: suffragia idem moderatus est: idem contentionis studium cohibuit. adeo ut hic longe turpissimus consessus fuisset, nisi Imperator libellis in ignē conjectis ad cōcordiam eos redegisset. Hęc Synodus (invictum sane argumentum evertendæ Monarchiæ Oecumenicæ) certos ditionis limites Patriarchis constituit, idq; occasione data à Meletio Episcopo Lycopoleos urbis in

l. 1. c. 15.

l. 1. c. 17.

Sozom. l. 2. c. 5. Theod. l. 4. c. 8. Athan. apol. 2. Theod l. 1. c. 7.

Euseb. in vita Const. lib. 3.

Ægypto sitæ, qui Episcopo Alexandriæ se nolebat subjicere, sineque ejus consensu Presbyteros ordinarat. Hinc Canon 6. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Αλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον τούτων πάντων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστι. id est, *Mos antiquus perduret in Aegypto, Lybia & Pentapoli, ut Alexandriæ Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam & Romæ Episcopo hoc moris est.* Hic angustia prisca Romanæ Episcopes elucet, & porro videre est Ordinem sedium Episcopalium politicum statum secutum fuisse, quod apertè declaratum est in 17mo. Canone Chalcedonensis concilij. Rufini interpretatio nota est. *Vt vel ille Aegypti vel hic suburbicarum Ecclesiarum*, id est, quæ intra centesimum milliare ab urbe sitæ erant, *solicitudinem gerat.* Cusanus Cardinalis: *Hinc videmus, quantum Episcopus Romanus acquisicrit hodie ultra sacras constitutiones, per usum & consuetudinem obedientiæ, &c.* In hoc concilio decretum est, ut si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi ordinatus fuerit, is Episcopus non haberetur. Decretum item est, eos qui ab alijs excommunicarentur ab alijs ad communionem recipi non posse, præterquam

lib..2.Conc. Cathol.c.12.

terquam

terquam ex concilij provincialis aut generalis sententia. Hæc decreta Monarchiam R. sedis funditus extirpant. Nam si Episcopus R. in aliena provincia non potuit Episcopos ordinare & exclusos à Communione restituere in priorem locum, ejus jurisdictio universalis non fuit. Hinc Pius Marcionem se negavit restituere posse sine permissu patris ipsius. Num hoc hodie Papa diceret? ô tempora! ô mores! Socrates: *Rursus* (loquitur de Synodo Constantinopolitana) *fidem à Nicæna Synodo traditam confirmarunt, & Patriarchas* DESCRIPTIS PROVINCIIS *constituerunt, ut Episcopi* CERTÆ DIOECESI *præpositi in alienas provincias ne invaderent.* Hinc videmus ineptum suffugium Bellarmini esse cum ait: *Vera expositio est, Alexandrinum debere illas provincias gubernare, quia Romanus Episcopus ita consuevit, id est quia R. E. ante omnem concilij definitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Aegypti, Libyæ, Pentapolis.* ô interpretem! Si Episcopus Romanus hoc privilegium Alexandrino jam concessit, cur id à concilio studuit impetrare? Quis scriptorum veterum dicit Alexardrinum ex mandato R. E. Ecclesiam suam gubernasse? Episcopo Romano hoc facere moris est, id est, Episcopus

Eccl. hist. l. 3

l. 2. om Pont. cap. 13

R. hæc consuevit permittere. Exemplum Episcopi R. proponitur, non mandatum vel permissio. Cæcus est qui id non videt.

Cap. 3. Anno 381. Synodus Constantinopolitana 1. Novam Romam Veteri æquat, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν ῥώμην. Hæc Synodus Damasum non patrem sed fratrem & συλλειτουργὸν, id est, collegam appellat. Nihilominus ipse in literis eis respondens, *filios honoratissimos* appellat, quod indicium est ridiculum ambitionis. Nec ipsi ad eum solum sed ad Collegas Ambrosium & Valerianum *eadem Epistola* scripserant. Huic concilio Episcopus R. nec per se nec per legatos interfuit. Theodoret. l. 5. c. 9. vel 7. in Græco. Damasus Papa volebat illud Romæ celebrari, sed Orientales venire nolebant. Non itaque autoritate Damasi (hoc enim nullus Historicorum dicit) sed Theodosij senioris Synodus Constantinopoli habita est. Quod autem ajunt sufficere: *Si Papa non impediat concilium* (non poterat) *actaque approbet*, eo ipso fatentur convocationem concilij non necessario autoritate, auspicio & mandato Episcopi R. fieri. Concilio autem Meletius Antiochenus Ep. præfuit. Hinc aperto jure concludimus, posse esse legitimum & universale concilium fidei & autoritatis Ecclesiasticæ, quod Papa R. autoritate sua non convocat: cui nec per se nec per legatos interest:

tereſt: quod aliquid decernit contra Epiſcopi R. voluntatem, imo quod Papa ſtudet impedire. Ita enim Theodoretus: *Damaſus cum ſuis Epiſcopis Ambroſio & aliis Romæ concilium celebrat, miſſiſque ad Orientales literis rogat Romam veniant, & ex duabus Synodis unam faciant. quod illi negant, additis excuſationibus.* Quod in Epiſtola ad Anatolium Ep. Conſt. *caducum & ruinoſum appellat à principio, quodque nimis tarde extollatur.* Sed concilij à Damaſo coacti nulla autoritas eſt; alterius vero Synodi tanta fuit, ut ejus Canones in ſequentibus ſynodis publicè lecti ſint. Mirificè ſe torquent. Ajunt dici œcumenicum: quia appendix Romani concilij fuerit. At ſic Romanum potius œcumenicum dicendum eſſet, cui Papa caput Eccleſiæ præfuit. Deinde non unum, ſed duo concilia fuerunt. Definiente enim Bellarmino concilium cætus eſt in unum locum congregatorum. Quid contraria decreta? Num una Synodus ſibi ipſa adverſabitur? Quis veterum ita ſenſit? Orientales Ieroſolymam matrem omnium Eccleſiarum appellant. Damaſo obſequium negant. Nectarium Conſtantinopolis Patriarcham Damaſo vel invito vel neſcio conſtituunt, approbationem Papæ non expectant: nec Damaſus neceſſarium judicat: Ordinem Patriarcharum invito Damaſo mutant, ſecundum locum Con- l. 5. c. 8. 9.

 ſtanti-

ſtantinopolitano tribuentes: dignitatem ſedis Romanæ amplitudine urbis; non divina inſtitutione niti decernunt. Vnde etiam factum ut Epiſcopus Cæſareæ Ieroſolymitanum ſibi ſubjectum habuerit. Quam parum autem ſibi Damaſus tribuerit, videre eſt apud Ambroſium. *Cum hujuſmodi fuerit*, ait, *Concilij Capuenſis judicium, ut finitimi Benoſ atque ejus accuſatoribus judices tribuerentur, advertimus quod* NOBIS IVDICANDI FORMA COMPETERE NON POSSIT. Canon autem 3. Monarchiam Papæ radicitus ex Eccleſia evellit. Nempe Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς κατὰ τὸν τῆς ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν ῥώμην. *Constantinop lis Epiſcopum habere privilegia honoris ſecundum Rome Epiſcopum, eo quod nova Roma ſit.* Hunc Canonem non potuit Epiſcopus R. reſcindere. Autoritatem enim ſemper obtinuit in Catholica Eccleſia. Nam in ſequentibus Synodis publicè prælectus eſt, cum reliquis decretis præcedentium conciliorum. Ratum igitur poteſt eſſe, quod P. R. non approbat, imò reſcindere ſtudet. Hoc jam nullus Ieſuitarum concedit. Porro hinc liquet, Patriarchas non divino jure; ſed humano vel imperatorum vel Synodorum ſanctionibus conſtitutos eſſe. Unde etiam ſatis liquet Papam

Epiſtola. 79.

non

non fuisse Episcopum Oecumenicum divino jure. Nam unus Patriarcharum fuit, non illorum Monarcha. Tempore Iulij 4. Patriarchæ erant, Romanus, Alexandriæ, Antiochenus, Ierosolymitanus. Postea Constantinopolitanus accessit, eoque quod Urbs Nova Roma diceretur, secundum sibi locum vindicavit. His Patriarchis cura totius Ecclesiæ in Imperio Romano incumbebat. Basilius ait: *Athanasium Patriarcham Alexandriæ omnes Ecclesias curasse non secus ac propriam.* Idem: *Meletium toti corpori Ecclesiæ præsedisse.* Hinc Sozomenus jure potuit dicere: *Julio Episcopo Romano curam omnium incubuisse.* Balsamon de Patriarcharum privilegijs: *Sanctissimos Patriarchas quinque Unum novimus caput esse corporis omnium Ecclesiarum.* Quod Gregorius I. approbat: *Unius atque una est sedes, cui ex autoritate divina tres Episcopi præsident.*

Epist. 52.

Epist. 4.

l. 6. Ep. 37.

Plurima præterea à Catholicis Episcopis gesta sunt hoc seculo, quæ Monarchiam Papæ plane tollunt. Nectarius Episcopus Const. Pœnitentiario inconsulto R. Ep. munus abrogat. Chrysostomus sine R. Ep. autoritate à Theophilo Patriarcha Alexandrino Patriarcha creatur: item Ambrosius Ep. *Mediolanensis* consensu populi & Imperatoris, quem 8. *menses* è communione Siricio non consulto exclusit, quod nec Syricius ægrè tulit. Sed & olim Cyprian⁹ sine cōsensu Ep. R. Sabinum

Episcopum ordinavit. Sed ad concilij Chalcedonensis Canonem 28. veniamus. Huic 630. Episcopi interfuerunt. Ipse Leo I. Papa ad Imperatorem Leonem fatetur: *Concilium à Spiritu sancto congregatum esse.* Gregorius I. sicut sancti Evangelij 4. li-

Epist. 37. bros; sic 4. concila se suscipere & venerari fatetur. Hinc liquet, hosce patres non

l. 1. Epist. 24. fuisse Hæreticos, sed Catholicos. At Papæ Romano *acriter* & *constanter* sibi resistenti contradicunt, & decernunt, quod τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην εἰκότως οἱ πατέρες ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. Καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι τὰ ἴσα πρεσβεῖα, ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ; εὐλόγως κρίναντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβειῶν τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι. id est. *Throno veteris Romæ, eo quod urbs ista imperium obtineat, merito patres dederunt privilegia, eodemque fine moti 150. Deo clarissimi Episcopi æqualia privilegia tribuerunt Novæ Romæ sanctissimo throno, recte judicantes, urbem imperio & Senatu honoratam, & æqualibus fruentem privilegijs cum veteri*

regia Roma, etiam in Ecclesiasticis negociis magni fieri debere sicut illam. Hoc Canone tria decernuntur contra Papatum. 1. Amplitudine urbis dignitatem sedis niti. Hoc frustra Baronius negat, patres mendacij arguendo. Sed sibi contradicit. Nam alibi ait: *Alexandriam Antiochæ prælatam esse propter præfecturam.* Hoc oblitus alio loco ait id factum, quia Marcus eam sedem nomine Petri erexerit. 2. Eadem utrique sedi privilegia deberi. Subjectio itaque Constantinopolis Episcopi erga Romanum sublata est. 3. Constantinopolis Episcopo secundum locum deberi. Hoc decretum Bellarminus negat legitimè factum fuisse, propter legatorum Papæ absentiam: eosque reclamasse. Respondeo, 1. Legati in Synodo Constantinopolitana aberant. Num ideo decreta illegitima? 2. Synodus ait legitimum esse. Utri potius credendum? Decreverunt *ut illa Synodi sententia obtineret, in qua plures essent numero sacerdotes, etiamsi duo aut tres per contentionem contradicerent.* Hic dubium sublatum est. Aëtius criminationes legatorum diluit, & eorum impudentiam & impotentiam coarguit. Negant tale quid ante decretum, quasi Canonem 3. præcedentis Synodi non vidissent, quem licet rejicerent, patres tamen approbarunt. Deinde Canonem 6.

Tom. 6. an. 451. §. 141.

An. 39. §. 10.

An. 45. §. 46.

Act. 16.

concilij Nicæni cum hac appendice citant: *Romana Ecclesia semper primatum habeat.* Sed Authentica exemplaria eam non continebant. At legati omnia irrita declararunt & rejecerunt. Quid inde sequitur? alterutrum; nempe Synodum adeoque Ecclesiam Catholicam posse decreta edere, quorum firmitas non ab approbatione Pontificis, sed ab ipsius Concilij autoritate pendeat; vel hosce Patres in sententia persistentes contra expressum Oecumenici & infallibilis judicis decretum proprie dictos hæreticos fuisse. Hic notandum est quod

Ep. 51. Leo I. Canonem 3. Conc. 1. Const. rejicit; contra Innocentius III. in concilio Lateranensi eum approbavit. Sic Spiritus ille sanctus ex uno ore calidum & frigidum efflat. Sed hoc decretum semper validum in Ecclesia fuisse reluctante Episcopo Romano,

Cod. de sacrosf. Ecclesf. c. omni. ex edicto Theodosij constat, quo appellationes Romam deferri solitas in Illyrico Constantinopolin revocat, tanquam Romæ veteris prærogativa lætantem, idque *omni innovatione cessante secundum pristinos Canones Ecclesiasticos*, nempe 9. & 17. Concilij Chalcedonensis, in quibus provocatio jubetur fieri ad ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, aut ad thronum Constantinopolitanum. Notãdum, istis temporibus in imperio Romano 12. Diœceses fuisse: quam-

quamlibet diœcesin diversas provincias sub se continuisse: quamlibet provinciam diversos Episcopatus. Episcopus primus totius diœceseos Exarchus vocabatur. Hic Metropolitanos sub se habebat: hi Episcopos. Hæc distributio Monarchæ nostro valde incommoda est. Sed revertamur ad Canonem Concilij Chalcedonensis. Hunc Papistæ ajunt jam obsignatum fuisse ante legatorum contradictionem. Respondeo. 1. Contradicentibus deinde legatis potuissent eum rescindere. Sed hoc necessarium non judicaverunt. Vnde porro liquet, patres judicium Ep. R. infallibile non agnovisse, neque ejus approbationem necessariam judicasse. Tandem murmurant, hunc Canonem Anatolij technis Ecclesiæ obtrusum fuisse, nam cum literas Leonis ad Concilium celasse. R. 1. Synodus tota clamavit: *Nemo coactus est.* Nam cum Legati Leonis varijs disputationibus tempus eximerent, in pleno concilio postridie omnes Episcopi exclamaverunt: *Iustum est judicium: nos omnes idem dicimus: ista est sententia omnium: omnes in eo persistimus.* Cumque nondum legati cessarent, sed vel Canonem eradi; vel suam in actis contradictionem extrare vellent: Episcopus Sebastiæ ad Iudices: *permanemus omnes in judicio vestræ magnificentiæ.* Cumque nullus ontradiceret, Iudices

ces his verbis actionem 16. concluſerunt: *Id quod pronuntiavimus, tota Synodus approbavit.* Quo itaque jure quæritur Baronius hunc Canonem clandeſtinum eſſe? 2. Licet verum eſſet quod Leonis literas ad concilium Anatolius celaſſet; tamen id nihil ad rem faceret. Nam Synodales Leonis animum perſpectum ſatis ex legatorum continua & obſtinata contradctione habebant. His reluctando ipſi Leoni reluctati ſunt. Cuſanus: *Clarum eſt Leonem in certis articulis conſtitutiones concilij Chalcedonenſis non probaſſe, ſed ſemper reſtitiſſe. Nihilominus decretum concilij ſemper ratum fuit in Eccleſia, ut apparet ex Canone Antiqua de privilegijs & 22. diſt. Renovantes, eque ſeſſionibus & ſubſcriptionibus conciliorum poſt illud Chalcedonenſe habitorum. Nam ſi Papa habuiſſet in poteſtate abolere decreta conciliorum univerſalium, Leo & ſucceſſores id obtinuiſſent, quod tamen ſecus eſt.*

De concord. Cathol. l. 2. c. 20.

Ficta eſt Epiſtola quædam concilij hujus ad Leonem, qua deciſiones ſuas ejus judicio ſubjicit: Leonem caput agnoſcit: orat decreta confirmet. Probo id ex his verbis: Scripſi pridie calendas Aprilis, feria 3. indictione 13. At Synodus Chalcedonenſis 3. Octobris incepta & exitu menſis finita eſt. Itaque 5. menſibus poſt concilium jam ſolutum hæc Epiſtola ſcri-

pta

pta est. Neque Martianus sub quo hæc Synodus habita est, 13. indictionem vivendo attigit; sed ut ipse Baronius scribit, 8. indictione obiit. Quid quod passim deinde Episcopi R. conquesti sunt, suam in ista Synodo autoritatem habitam fuisse? Hinc nata est contentio, quæ tandem in funestam tragœdiam erupit. Neque enim Constantinopolitanus superiorem; nec R. Episcopus parem ferre potuit. Tandem circa annum Christi 866. in Synodo 8. Oecumenica colloquium memorabile extat inter Papæ Adriani & Patriarchæ Constantinopolitani legatos. Michaël Princeps Bulgariæ per legatos in concilio quærit; An Latinæ vel Græcæ Ecclesiæ subjectus esset. Legati Papæ illud; Græci hoc affirmant. Illi ajunt se primos sacerdotes in Bulgariam misisse, non illud Bonifacii allegant, quo statuitur omnis humana creatura subjecta sedi Romanæ.

CAP. III.

Papatus continua Episcoporum legitimorum successione caret.



MNIS potestas, quam sibi Papa Romanus adscribit, necessariò per successionem continuam ad nostra tem-

tempora derivata est. Hæc successio legitima vocatione & electione conservatur. Nihil enim juris Non-Papa habet. At nemo Papa verus evadit sine legitima vocatione & electione. Qui igitur hac destituitur, nihil omnino juris habet Bellarminus: *illi soli in Ecclesia semper habiti sunt veri Episcopi, qui ab Apostolis per legitimam successionem & ordinationem descendisse ostendebantur.* Hinc ultrò patet, eos qui vi & simonia sese in sedem intruserunt, non succedere. Nam non electus non succedit. Baronius fatetur: Ecclesiam Romanam pro capite habuisse *Tricipitem Bestiam, è portis inferni emergentem, Tres nempe una vice Papas, omnes tres pernicioso, quos nihil nisi offa Cerberea satiabat.* Num tales Ecclesia pro veris successoribus Petri acceptat? Nauclerus loquens de Vrbano 6. & Clemente 7: *Vtraque obedientia habuit religiosissimos viros, miraculis fulgentes, neque unquam potuit quæstio hæc decidi, uter verus Papa esset.* Vbi hic indubitata successio? Onuphrius 26. Schismata in Ecclesia Romana recenset. Vigesimum ait 40. annos durasse: vigesimum sextum totidem. O præclara unitas bicipitis vel tricipitis Ecclesiæ! *Alter in alterum censuris sæviebat. Tota Resp. Christiana duos tum Pontifices habebat: uterque antagonistam suum excommunicabat: uterque Episcopos creabat: Episcopi*

De Ecclesia c. 8. l. 4.

Tom. 11. ad an. 1044. §. 5.

Vol. 2. Chron. generat. 46.

Genebrardus ad annum 1389.

ſcopi ſacerdotes: uterque reſcindebat acta ſui Antipapæ. Si Eccleſia quæ ſchiſmatum tempore vixit alterutrum pro vero ſucceſſore Petri non potuit acceptare (ut patet) quomodo id potuit præſtare Eccleſia poſteriorum ſeculorum? Alterius ordinationes ſemper irritæ fuerunt, ſed utrius? Dicant hoc. Genebrardus: *Turbata hic fuit legitima ſucceſſio, ut olim in Synagoga ſub Antiochis paulo ante Maccabæos.* Platina: *Mox ubi cum ipſis opibus laſcivire cœpit Eccleſia Dei verſis ejus cultoribus à ſeveritate ad laſciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo principe tum flagitia hominum coercente, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione ſanctiſſima ſedes Petri occupata eſt potius quam poſſeſſa.* Num tales vera Eccleſia poteſt pro veris ſucceſſoribus Petri ACCEPTARE? Giovianus: *Schiſma ambiguum orbem Chriſtianum graviter concuſſit, quando alter Pontifex Romæ, alter Avenione creatus, uterque magno Cardinalium, Epiſcoporum, ſacerdotum, principum & populorum aſſenſione pontificatu defungeretur. Nam cum 3. ſimul Pontifices inaugurati eſſent, Iohannes 23. Gregorius 12. Benedictus 13. gravi ſchiſmate Eccleſia Chriſti eſt dilacerata.* Vtros jam Eccleſia pro veris Petri ſucceſſoribus acceptat? Non deſinam hoc quærere. Eccleſia tum temporis ſententiam ſuam explicare non potuit, cum electio legitima alter utrius è luce factorum cognitu facilior

Chron. l. 4. an. 1009.

In vita Bened. 4. & Stephani 6.

De ſchiſmate p. 181.

eſſet;

esset; & jam post tot annorum decursum, ubi omnis notitia fere earum rerum obliterata intercidit, potest. Cui hoc persuadebunt? Imo tres Antipapas Ecclesia simul abijcit; deinde unum ex iis in numerum verorum Christi Vicariorum recipit. Qualis hæc constantia in judicando? Iudicio Romanæ Ecclesiæ Iohannes 23. verus successor Petri est & non est. Sed definiant quænam sit certa successio Pontificum. Nam aliam Onuphrius, aliam Genebrardus, aliam Platina tradit. Onuphrius suam plenam, ut fatetur, hæsitationibus tradit, quæ à Petro ad Gregorium 13. 230. Papas exhibet. Genebrardi alia est successio, quæ 234. Pontificibus constat. Platina catalogum 235. pontificum tradit. Quam successionem Ecclesia recipit & approbat? Nullam. Vera autem successio non debet ignorari. hęc enim potestatem Petri in Ecclesia conservat: hæc ἀψευστίαν cathedræ Romanæ ad nos traducit: hæc Apostolos ordinarios Ecclesiæ donat: hæc autoritatem synodis conciliat: hæc cœlum aperit & infernum claudit. Omnium dogmatum certitudo ab approbatione Veri successoris Petri dependet. Non omnis autem Pontifex, qui in isto catalogo extat, talis fuit. Vt ita male colligatur; Habetur ab Ecclesia Romana pro Pontifice (omnes enim in ordinem

ordinem Catalogi relati habentur.) E. est verus successor Petri. Itaque non omnes Pontifices sed quidam veri Petri successores sunt. Vnde tandem constat non sequi; Hoc dogma Pontifex probavit. E. verum est. Dicat mihi Ecclesia Romana, Quot veros Papas id est successores Petri habuerit. Si hoc ignorat, successionem ignorat. Docent Papistæ necessarium esse ad ordinariam vocationem, ut ab ultimo Uocato ad primum Vocantem Christum non interrupta serie sive fidei sive personarum perducatur: hac catena fracta, vocationem non superesse: nullum indicium successionis esse, nisi Pastores continuati texantur. Hanc non interruptam seriem R. E. nobis ostendat, fidei nempe & personarum. Hanc catenam non fractam! Hos Pastores continuatos & vocatos. Num sufficit dicere Ecclesiam eos qui simoniâ & aperta vi (quæ nullum cuiquam jus tribuit) in sedem irrepserunt aut se intruserunt, jure postliminii acceptasse? At sic eadem Ecclesia sibi turpissimè contradicit. Sententia Synodi Chalcedonensis notissima: *Per simoniam ordinatos nihil ex hac ordinatione proficere, sed alienos à dignitate esse.* Neque Bulla Iulij 2. ignoratur, qua definitum est cum assensu Concilij Lateranensis: *Electionem Pontificis Romani per simoniacam hæresin non solum nullam esse: sed*

Iansenius in Spongia passim.

c. 2.

sess. 5. anno 1505.

contra sic electum opponi posse, sicut de vera & indubitata hæresi, ut à NVLLO *pro R. P. habeatur: eundem electum Apostaticum, hæresiarcham & ad prædicta omnia & singula perpetuo inhabilem haberi debere & esse: neque hujusmodi Simoniacam electionem per subsequentem ipsius inthronisationem, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem seu obedientiam ullo unquam tempore convalescere.*

Cum hoc Ecclesia R. ita constituerit, quomodo poterit hominem apertâ vi & Simonia sedi huic obrepentem acceptare & in verum Papam transformare? Nonne judicium. S. Petri apud Ecclesiam valebit? *Simoni Mago neque portionem neq; partem esse in hoc negocio.* At quam multi aperti Simones in hoc Catalogo extant? Sed num forsan Ordinatio Episcopalis hoc vitium electionis corrigit! Respondeat Bonaventura: *Dicendum quod insolubiliter verum est quod dicit Apostolus, quod minor à majori benedicitur pro statu in quo benedicitur. Nam sine contradictione verum est, quod nullus det alij dignitatem majorem quam habet. Ideo Episcopus consecrans Archiepiscopum & Papam, omnino non tribuit ei nisi consecrationem Episcopalem. Sed ille ampliorem habet autoritatem & jurisdictionem.* Vnde autem hanc accipit nisi ex *legitima electione*? Ergo certum est, vitium in electione

Actorum. 8. 21.

in 4. dist. 25. q. 1. 15.

ctione Papæ commissum nulla ordinatione aut approbatione Ecclesiæ corrigi posse. Num manifestarij Simoniaci sunt successores Petri? Quos Ecclesia toties inhabiles declaravit, num hos pro veris Papis postea recipit? Sed audiamas Bellarminum. *Ad hoc ut quis Christi locum teneat, & quod propterea debeamus illi obedientiam; & EO SENSU sit verus pastor, non requiritur legitima electio (quæ complectitur etiam ordinationem) sed solum ut habeatur pro tali ab Ecclesia:* Dicat mihi quo sensu apertus Simoniacus & invasor sedis sit verus pastor? quo sensu pro tali ab Ecclesia potest haberi? Docent, R. Pontificum successionem perpetuam & visibilem semper debere esse, & ipso facto fuisse: hanc in medio Ecclesiæ constitutam visibilem tesseram, signum, truncum, vexillum, radicem, centrum totius Ecclesiastici corporis. Videamus an hoc ita Onuphrio qui hoc saxum volvit, videatur. *Hæc tempora,* ait, *adeo incerta & obscura sunt, ut neque quo loco, neque quo ordine aliquot Pontificum Romanorum nomina reponerentur satis liqueat, nonnullique præterea novi irrepserint Pontifices, quibus, stante maxime temporum ratione, locus in hac serie esse non potest, ut Basilio, Agapeto, Donno 2. qui vel ijdem cum aliis Papis variatis nominibus, vel Schismatici fuerunt, vel planè non extiterunt. Unumquodque autem as-*

l. 3. de Eccles. cap. 10.

Iansenius in Spongiam incumbens.

Præf. ad p. 2. de R. p.

serere eorum, dubium & incertum est. Eusebius fatetur *id opus esse majus viribus suis.* Nam tempus ἄδηλον est ab ultimo capite actorum ad medium Trajani imperium, quo NIHIL CERTI de rebus Christianorum ad nos pervenit. Quod si, cum aperti Hæretici, Simoniaci, raptores sedem occuparunt, ea vacaisse dicitur, vacavit calculo Genebrardi 150 annis vel Sigonij ipsis 200. Vbi hic successio continua personarum ἀμέσως instar annulorum catenæ sibi succedentium? Vbi illud: *Ego vobiscum sum omnibus diebus?* Nonne sic reliquarum sedium continuatio ab Apostolis defendi potest? Cur earum successionem intercidisse asserunt? Certè eodem modo defendi potest *Sedes vacavit* dicendo. Quomodo si sedes tam diu vacavit, Ecclesia semper legitimos Pastores habuit? Nonne hoc ei à Christo promissum dicunt? Sede vacante Ecclesia nulli Papæ obedientiam debet. At his quos ajunt cum malis moribus rectam fidem conjunxisse obedientiam debuit. Sed quomodo sedes vacavit, cum nihil omissum sit eorum, quæ in Ecclesia non nisi Apostolica autoritate (ut garriunt) fieri possunt? Num omnia irrita sunt? At quot hinc incommoda sequuntur? Primum ordinatio Papæ Simoniaci, hæretici, Magi, irrita fuit, irrita item Episcoporum & porro Presbyterorum quos

Hist. l. 2. c. 1.

De regn. Italiæ.

quos ipsi ordinarunt. Hoc malum progressu temporis non emendatur, sed sese instar cancri magis magisque dilatat. Unde itaque in tanta hujus successionis confusione & vitio originis non emendando, sacerdos certus est se ordinem accepisse; quo sibi non tradito panem semper in altari & adorat ipse & aliis adorandum offert. Hoc certè est apertum Idololatriæ Gymnasium, in quo necessario (ob tantum numerum Pseudo-Paparum, Pseudo-Episcoporum, Pseudo-Presbyrerorum) panis pro Deo colitur. Sed ut tanquam in speculo hanc successionem contemplemur, ex authenticis monumentis strictim Historiam Paparum delibabimus.

Liberatus narrat Vigilium à Belisario Papatum 200. marcis auri emisse. Marinus teste Platina eundem malis artibus adeptus est. Formosus è sepulchro effossus, digitisq; quibus Episcopos ordinarat, abscissis in Tiberim abjectus est. Hoc totum Stephanus 7. cum Concilio decernebat & agebat, qui tamen ipse tyrannide, non recta electione ad Papatum pervenit, si Baronio credimus. Carronza: *Res plena horroris, ut videas quantum degenerabant Pontifices à majoribus suis, ne cui mirum sit, si qui abusus & perversæ opiniones in Ecclesiam irrepserint. Quærebatur an denuo ordinandi essent à Formoso ordi-*

In Breviario an. 536. c. 12.
anno 882.

nati, & decretum fuit, *esse*. Itaque ordinationes Formosi irritæ declaratæ sunt, quia per ambitionem male Pontificatum adeptus esset. Hoc pleno concilio decernitur, & tamen est erroris plenum decretum ipsorum Papistarum judicio. Nam ajunt Formosum verum Episcopum Portuensem fuisse; Itaque alios ordinare potuisse licet nunquam Papa evasisset. Vt summam loquar, hæc controversia de valore ordinationis à Formoso administratæ diu Ecclesiam R. exercuit, in utramque partem contrariis decretis agitata. Vnde liquet quis Spiritus istis conciliis veritatem suggesserit. Sed Baronij
an. 912. §.8. ductu pergamus: *Hos R. E. passa est tyrannos, Thusciæ principes, dominantes sive pecuniis sive armis populo cleroque Romano, per quos intrusi sunt in cathedram Petri homines monstrosi, vita turpissima. Quæ tunc facies Ecclesiæ Romanæ, quam fœdissima. Cum Romæ dominarentur potentissimæ atque sordidissimæ meretrices, quarum* ARBITRIO *sedes mutarentur, Episcopi darentur, & quod auditu horrendum & infandum est, in sedem Petri intruderentur: earum Amasij Pseudopontifices, qui non sunt nisi ad consignanda tempora in*
an. 896. §. 2. 7. 9. *Catalogo Pontificum Romanorum scripti*. Alibi: *Consensus cleri interveniens post intrusiones de novo ipsos legitimos Pontifices constituit.* Hic habemus legitimos Pontifices & tamen

men Pseudopontifices. Fur cum torquetur verum fatetur; solutus negat: Ita Baronius cum à veritate torquetur, rem sicut se habet, dicit; elapsus ex istis salebris, aliter loquitur. An non plurimis talis consensus cleri defuit? Probandum est Baronio: Hanc non-resistentiam cleri, qui malo grassanti obviam ire non poterat, effecisse, ut illi qui armata vel nummata manu sedem invaserant, vel suffragia emerant, legitimi successores Petri habendi sint. Christus expresse dicit: qui non INTRAT per ostium, fur & latro est. Talem itaque clerus NON POTEST suo consensu pastorem facere. Quid? nonne Canones Ecclesiastici tanta copia extant, qui tales perpetuo inhabiles declarant? Quid Bulla Iulij 2. Nonne hoc aperte docet? Huc itaque res redit, ut Papistæ nobis ostendant Catalogum Pontificum vacuum Pseudopontificibus, & tum successionem continuam credemus. Neque vero pauci in hunc Catalogum Apotactici & Apostatici (Genebrardus ita loquitur) sed annis 150. fere quinquaginta, qui à virtute majorum prorsus defecerunt, irrepserunt; adeo ut Baronius exclamet: *Deum Ecclesiæ suæ oblitum esse!*

In Chron. ad annum 901. annalium 925. §.9.10. 908. §.7. 931. 955. §.4.

Iohannes XI. filius Marozæ meretricis, monstrum hominis Ecclesiam conculcavit:

Iohannes XII. factione & vi aperta adolescens 18. annorum Papa factus est. Anno 963. Imperator Otto Romam veniens Constitutionem Adriani 1. renovat, ne Papa eligatur nisi ab Imperatore. Idem Leo 8. decrevit. Sed Gregorius 7. has priorum Pontificum constitutiones abrogavit. Hinc perpetua litigia & horrenda schismata in Romana Ecclasia enata sunt. Otto enim Romam veniens Iohannem XII. rejicit, Leonemque 8. ei substituit. Sed simul Otto Roma discessit, Iohannes revertitur, Leonem Papatu dejicit, & paulo post in adulterio deprehensus moritur. Hoc tempore duo fere Papæ Ecclesiam Romanam lacerabant. Romani electos ab Imperatoribus non recipiebant, nec Imperio addicti Romanorum electionem approbabant. Hinc mutuæ cædes. Bonifacius duobus Antipapis occisis, sedem vi aperta occupat. Hinc qui dolo vel vi superior erat, legitimus Papa habebatur. Unde prudentes intelligunt, quam egregium Catalogum Pontificum nobis texant. Ajunt Papas hosce cum malis moribus rectam fidem conjunxisse. At successio non pendet vel ex moribus vel fide; sed ex vocatione legitima. Hęc est unica causa successionis. Martinus Sigbertus, Platina, Onuphrius, Herbertum Diaboli opera federe cum eo percusso, ad Papatum pervenisse scribunt. Benedictus 9. filius

Luitprandus l. 6. c. 11.

lius Alberti Comitis Tusculani puer 10. annorũ factione patris Papa evasit: Covetus fatetur eum suffragia pecunia emisse. Sed hunc Vicarium Christi Romani Vrbe ejiciunt, subrogato ei Silvestro 3. qui teste Glabro, 12. Baronio, 10. annorum fuit, idque fraude & pecunia. Sed post 49. dies Benedicti factio revalescens Sylvestrum 3. de throno Papali dejecit. Iohannem xx. Baronius fatetur non legitime à Deo vocatum, sed malis artibus ascendisse. Hic tamen teste eodem Romualdum in Sanctorum numerum retulit. Porro hic Benedictus 9. ut Baronius scribit, Papatum Romano Archidiacono vendit, sed pecuniâ acceptâ hominem Roma exigit. Hinc trias Paparum seipsam intestinis bellis conficiens: tandem enim Papatum Gregorio vendiderunt. Sed Henricus 2. Imperator his omnibus dignitatem abrogat Clementem eis 2. subrogando. ô officina Simonis Magi Roma! Sigonius ait Henricum 2. Germano homini papatum contulisse, ut Romanæ Ecclesiæ 200. annos ægrotanti mederetur. Sed frustra. Nam hic Clemens 2. veneno à Damaso 2. extinguitur, qui per vim Papatum occupavit nullo cleri populique consensu. Scribit idem autor adeo hunc morem inolevisse ut cuique ambitioso liceret Petri sedem invadere. Sed 23. die ex quo Papatum accepit, veneno & ipse obiit.

contra Mysterium Plessæi p. 625.

anno 1024. 1027.

1044

l. 8. de regno Italiæ. Platina in vita ejus.

Huic Leo 9. ſuccedit, qui in prælio contra
1057. Normannos captusq́; eſt. Victor 2. hujus
ſucceſſor è calice ſacro ſanguinem Chriſti
hauſturus venenum hauſit, itaque ad plures
1061. operâ ſubdiaconi ſui abit. Duo Papæ hoc
anno alter à Romanis electus Alexander 2.
alter ab Henrico 4. Imperatore Honorius 2.
Sed Honorius victus alteri locum ceſſit,
cum cædibus mutuo ſæviſſent. Henricus 4.
Otto Friſing. Chron.l.6. c.34. Gregorium 7 exautoravit ſynodo coacta,
eique Clementem 3. ſubſtituit. Sed Comi-
tiſſa Mechtildis exercitu Normandorum
1084. adjuta hunc Clementem 3 oppreſſit, eum-
que Roma non ſine magna cæde ejecit, ei-
que Victorem 3. ſurrogavit. Sed è calice
Euchariſtico & is non vitam ſed mortem
hauſit. Huic Urbanus 2. ſucceſſit, qui An-
tipapam ſuum Clementem 3. excommuni-
cavit auxilio Imperatoris confiſum & Pla-
Leo Oſtienſis l.3. Chron. c.20. centiæ commorantem. Hic viciſſim Vrba-
num excommunicat, tandemque ſecurita-
tis cauſa in Galliam abit, coacto contra
Clementem concilio Claremontij. Clemens
Abbas Fuggerus. Platina. Vrſpergenſis. Romæ idem. Vrbano defuncto Paſchalis 2.
ſuccedit, Clemente 3. adhuc vivo, quem tan-
dem coacto exercitu Roma ejecit, filium-
q; ad arma in Patrem Henricum 4. capienda
incitavit. Sed Henricus 5. in hunc Paſchalem
poſtea odio exarſit, & ex Italia abductum ca-
ptumque in vinculis detinuit. Mortuo Pa-

ſchali

ſchali Romani Gelaſium 2. ſubſtituerunt. Sed Imperator Gregorium 8. elegit. Gelaſius Viennæ moritur, cui Calliſtus 2. ſuccedit. Hic Gregorium 8. captum pellibus caprinis ſanguine madidis induit, & camelo impoſitum verſa ad caudam facie Antichriſtum præconis voce declarat, tandemque perpetuis vinculis cohibet. Ita vis vicit. Anno 1130. altera factio Cardinalium Innocentium 2. eligit: altera Anacletum 2. Hi inter ſe mutuis cædibus & excommunicationibus ſæviunt, conciliiſque coactis ſe mutuo Antichriſtos ſalutant. Cum Anacletus 8 annos ſediſſet, & Innocentium Roma ejeciſſet, moritur. Hic Innocentius iterum emergit. Idem anno 1160. contigit: Papa Adriano 4. mortuo Cardinales alij Victorem 4. alij Alexandrum 3. eligunt. Victor Româ captâ Alexandrum in fugam conjicit. Hinc mutuæ excommunicationes non tantum autorum, ſed omnium alterutri parti adhærentium, ſic ut tota Eccleſia excommunicata eſſet. Victor Paviæ habito concilio confirmatur: Alexander in Gallia Antiſynodum celebrat. Victor mortuus ſucceſſorem habuit Paſchalem 3. Hic Calixtum. Alexander interim Romanorum ope fretus civitates Lombardiæ ad defectionem ab Imperatore Friderico ſollicitat. Hic Imperator victus Venetias venit, quem Alexander in gradi-

Matth. Pariſ. in vita Henrici 1. weſtmonaſterienſis.

Nauclerus 2. vol. gen. 40.

Sabellicus l. 7. ſat. 5.

gradibus templi S. Marci ſuſcipit, pedibus ejus capiti inſultando; quod facinus Azorius inter triumphos Eccleſiæ numerat. Schiſma hoc 17. annos duravit. Sic Alexander vicit Calixto oppreſſo. Vnde Papa ille: hic Schiſmaticus. Succeſſio enim hæc divina ab eventu bellorum pendet. Victor ſemper legitimus erat, quocunque tandem facinore ad hoc culmen Papani honoris obrepſiſſet. Clemente 4. mortuo ſedes 2. annos, 9. menſes vacavit ob diſſidium Cardinalium. Tandem Cœleſtinum 5. eligunt. Huic Bonifacius 8. noctu per foramen parietis curat in ſuſurrandum: *Cœleſtine Papatum depone, ſi vis ſalvari*. Et ſic Bonifacius 8. qui primus iubilæum inſtituit, Papatui initiatur. Clemente 5. mortuo, qui ſedem Avenionem tranſtulit, ubi annos circiter 72. manſit, 2. annos & 3. menſes ſedes Cardinalibus in factiones diſtractis vacavit. Tandem Johanni 22. facultatem permittunt Papam eligendi. Is eligit ſeipſum. Sed ſchiſma horrendum & diuturnum incepit anno 1377. inter Clementem 7. & Vrbanum 5. Duravit 50. annos, totamque Europam cædibus replevit. Vrbanus Romæ ſedebat cum ſuis ſucceſſoribus: alter Avenione cum ſuis. Gregorius XII. Romæ electus, cum conditione reſignandi Papatum, ubi id requireretur: ut & Antipapa Benedictus XIII. cum eadem.

p. 2. inſtr. moral. lib. 5. cap. 43.

Anno. 1299.

Platina. Cranzius.

Theodorus Niem.

dem. neuter promisso stetit. Quantum scelerum utrinque perpetratum sit, ex historiis non obscurum est. Tollendo Schismati Cardinales Pisis concilium celebrant, in quo uterque Hæreticus & Schismaticus declaratus, & Alexander 5. electus est. Sed priores vi sese in possessione tutabantur. An. 1411.
Hinc iterum 3. Antipapę. Alexander moritur. cui Johannes XXIII. suffragio à Cardinalibus empto, succedit. Hi tres Papæ Ecclesiam, excommunicationibus intestinis alij contra alios exardescentes, perturbabant, ordinationes Episcoporum & presbyterorum irritas declarabant. Ita ut nullus Episcopus, nullus presbyter in tota R. E. extiterit, qui absolvendi & consecrandi potestatem ob excommunicationem non amiserit, vel ea ob ordinis defectum non caruerit. O successionem! Hi omnes quos recensui, Papæ Pseudopapæ promiscuè Episcopos crearunt, hi presbyteros. Unde necessariò *Absolutio Sacramentalis*, sine qua Tridentina Synodus nemini salutem concedit, irrita, tot myriades damnationi æterne involvit, populumque in artolatriam conjecit. Tandem in concilio Constantiensi 54. capitibus accusationis contra Iohannem propositis, officio suo cum duobus Antipapis abdicatus est. Martino V. eligendum est, cui succedat. Diabolo, In c. ego. N. 5. de jurejurand.
si Felino credimus. Nam Felinus diabolum

vocat

vocat Papam non Canonicè electum, eumque non claves Cœli *sed inferni* habere asserit. Hæc est illa continua ab Apostolo Petro ab Vrbanum 8. deducta successio, infallibilis veræ Ecclesiæ nota. Sed etiãsi, ajunt, Papa per simoniam & alias malas artes, per schisma & seditiones intrarit, potest tamen sedem ut legitimus successor retinere. Sola acceptatio Ecclesiæ legitimum facit pontificem, & abolet omnem pœnam Canonicam humano Ecclesiæ jure constitutam. ô misericordem Ecclesiam, quæ Monstra ista & ludibria humanæ naturæ pro veris successoribus Iesu Christi acceptat & agnoscit! Nonne eadem Ecclesia sceleratos istos homines perputuò inhabiles, omniumque dignitatum exsortes declaravit? Quid Julius in concilio Lateranensi? Sed estne
Act. 8. HVMANVM IVS quod in actis extat? Ad schismata respondent, Vni justitiam suffragari. Nempe ut sæpe audivimus, præcipue in Constantiensi concilio, quo 3. Antipapæ pseudopapæ evaserunt. Deinde ajunt errorem esse *dilectionis*, non *rebellionis*. An non igitur Papæ legitimi, cui justitia suffragetur, excommunicatio valida est? An non ajunt necessarium esse, legitimum Petri successorem agnoscere, eiq; sese subjicere? Sed sit ita. Non quæritur de salute hominum; sed de continua successione; hanc schismatis asserimus ruptã fuisse.

fuisse. Nam is in possessione fere mansit, qui vi, pecunia, armis, fraudibus alterum anteiret. Sed hæresibus successio sine dubio rumpitur. His diversi Episcopi R.E. addicti filum istud ruperunt. Clemens *vitam communem omnibus necessariam esse statuit, omniumque rerum communem usum quæ sunt in mundo; in omnibus autem sine dubio conjuges esse.* En Hæresin Nicolaitarum. Gratianus hæc verba in jure Canonico citat, sub nomine Clementis. Respondent; Non quoad usum Carnis, sed obsequium. Sed Clemens Socratis autoritate utitur, qui non distinxit. Imò si uxor non est *propria mariti*; sed *communis*; cur ea non æquè alius utetur quam maritus? In Veneta editione hæc verba: in *omnibus*, &c. omissa sunt. Hoc non ut privatus doctor; sed in dogmatica epistola ad Episcopū Hierosolymitanum scribit. Quod si Papis hoc privilegij est, ut, cum *è Cathedra* docent, ne errent; possunt *semper è Cathedra docere*, & *scripturam interpretari*: sic hoc lucrabuntur, ne unquam privatim errent, imo ne Ecclesiæ tot interpretibus opus sit. Hi duo modi docendi è Cathedra & non è Cathedra cui veterum doctorum cogniti? Cur authentico modo non semper utuntur? Porro quod Papæ in decretis vel docent vel mandant, non ut privati docent, quemadmodum princeps in edicto nihil quatenus privatus est, mandat.

Epist. 5. in Tom. conc. Caus. 12. q. 1.

dat. Sed an credibile est Papam aliud stantem, aliud sedentem in Ecclesia loqui? Num vero Christi preces Papæ impetrarunt, ne publicè erret? Docent Petrum negasse Christum ore, non corde; contra Papam corde posse negare, non ore: privatim occulta hæresi, non publicè apertâ professione: Petrum confessionem fidei perdidisse, non fidem: Papam fidem, non fidei publicam confessionem. Quid igitur preces Christi pro Petro ad Papam? Hilarius ter repetitum anathema Liberio Papæ dixit, eò quod, ut Damasus Papa, Athanasius, & qui non? testantur, Constantio Imperatori Hæretico consensit. Extant ejus Epistolæ dogmaticæ, quibus Athanasium è sua communione excludit. Bellarminus ait: *Liberium habitum fuisse ab Ecclesia pro hæretico, quia externus sic se gessit.* Sed cor Liberij unde Bellarminus novit? Hoc nobis sufficit quod concedit. Visibilitas Ecclesiæ Papisticæ consistit in communione externæ professionis membrorum cum capite. Hoc summa virium contentione Bellarminus urget, non internas virtutes requiri & quis sit membrum Ecclesiæ; sed solam externam professionem sufficere. Hinc argumentor: Quæcunque Ecclesia cum Episcopo Romano in externa professione fidei publicè declaratæ & approbatæ cum excommunicatione dissen-

In fragmentis Hilarij editis Parisiis anno 1559.

De Rom. Pont. l. 4. c. 9.

dissentientium communicat, illa est Catholica. At Arriana Ecclesia cum Liberio Episcopo Romano in externa professione fidei publicè declaratæ & approbatæ cum excommunicatione dissentientium communicat. E. Minor ex literis Liberij Papæ patet, & à Bellarmino conceditur. Fatentur omnes, Liberium externis cum Arinianis communicasse. Quid ultra volumus? Sed evidenter patet, Communionem cum Papa in extrema professione fidei non esse conditionem necessariam, ut quis membrum sit Ecclesiæ Catholicæ. Nam Athanasius EO IPSO TEMPORE quo à Liberij Papæ communione exclusus erat, membrum actu fuit Catholicæ Ecclesiæ. Quis non maluisset cum Athanasio quam cum Liberio communicare? Num forsan Liberius damnationi Athanasij non consensit nisi propter crimina? Sed ipse Bellarminus respondeat: *Liberius bene sciebat quod Athanasius propter fidem persecutionem sustineret*. Quid? nonne omnes dissentientes ab illa pace & concordia à sua communione separat? Nondum tacent. Liberium ajunt putasse Orientalium fidem cum Catholica consentire. O væcordem Pontificem! ô ficulnam excusationem! Papa ignorat quid publice in toto Oriente credatur! Sed ipse Bellarminus potius respondeat: *Liberius bene sciebat Valentem & Ursacium*

 hære-

hæreticos esse. Baronius: Vocem ὁμοούσιος silentio tantum præterit. Hoc Arriani tantum petebant. Sed Sozomenus contra. Constantius Liberium coëgit confiteri μὴ εἶναι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον, id est, *non esse filium ejusdem substantiæ cum patre.* De coactione ipse in literis negat. Hoc nobis sufficit. Poterat mori si noluisset literas istas scribere. Tandem Sozomenus ait, rumorem falsum de Liberio sparsum, quod τὸ ὁμοούσιον abjecisset, & patri filium dissimilem profiteretur. De utroque conjunctim potest falsum esse. Similem enim filium patri mitiores Arriani, (sed æquè pestiferi ac rigidiores isti ἀνόμοιον Christum profitentes) prædicabant. Quicquid sit: Ipse Liberius se declarat in omnibus consentaneum & in nullo Arrianis contradicentem Papam & Vicarium Christi. Vigilius Eutychis hæresin docuit. Liberatus citat Epistolam Vigilij ad Theodoram Imperatricem & alios Eutychianos, qua hæresin ipsorum confirmabat, & anathema iis dicebat, qui duas in Christo naturas confitentur. Hic sudant. Locum Liberati ajunt corruptum. At id non probant, nec ullum vestigium corruptionis ostendunt. Ajunt non definivisse hæresin tanquam Papam è Cathedra, nec animo Hæreticum fuisse.

lib. 4. c. 14.

In Breviatio c. 22.

fuisse. De animo ejus non sumus solliciti; neque Ecclesia R. ad animum, sed ad os & calamum Pontificis respicit. Externum enim Iudicem, externam vocem ejus quærit. Animum hominis quis videt? Forsan ajunt Epistola illa ficta est; Liberatus hoc sensisset. Sed omnia antiquitatis testimonia sic eludi possunt. Honorius Monothelitarum hæresin confirmavat. Sufficiat hoc loco autoritas 3. Synodorum Oecumenicarum 6. 7. 8. ut & Epistolæ Agathonis, Adriani, Leonis, trium Pontificum. Hi omnes ad minimum judicarunt, Papam Romanum posse Hæreticum esse. Si Epistolæ Honorii ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum fictæ essent, tot concilia & Papæ haut dubiè sensissent. Imò Maximus in disputatione contra Pyrrhum Epistolam primam Honorii Papæ esse concessit, vivo adhuc scriba Honorij, qui eam sua manu scripserat. Leo 2. ait: *Honorium immaculatam fidem subvertere conatum fuisse.* Itaque condemnationem Honorii in 6. concilio non tantum Græci, sed & Latini, imò ipsi 3. Pontifices approbarunt. Ut Pighiana impudentia meritò derideatur. Tandem Legati Agathonis Romam sine actis Concilij non redierunt. Non autem ea corrupta Romam attulerunt. Illam enim corruptionem potuerunt in concilio, cui interfue-

In tomis conciliorum 6.7.8 conc. oecumenicis.

runt, impedire. Integra itaque Romam ea attulerunt.

In Epiſtola ad Bonifacium.

Gregorius 3. permiſit viro uxorem ducere aliam, ſi morbo impedita propria uxor debitum conjugij non poſſit reddere. Reſpondent concedi non ut juſtum ſed ut minus malum. At inter duo mala culpæ non minus ſed neutrum eligendum eſt. Porro dicunt Papam ex ignorantia lapſum eſſe. Confeſſionem accipimus. Erravit igitur conſultus ut Papa. Fatetur Bellarminus hunc Gregorium docuiſſe, poſſe in caſu aliquo cum conſenſu uxoris aliam à viro ſuperinduci. At hic error exploratus eſt. Nihil enim niſi adulterium poteſt legitimum conjugium dirimere. Gloſſa apud Gratianum ait, *Gregorium propterea reprobari*. Nicolaus 1. in Epiſtola ad conſulta Bulgarorum ſtatuit: *legitimum baptiſmum eſſe qui tantum in nomine Chriſti, ſine expreſſa mentione Patris, Filij & Spiritus ſancti adminiſtratus ſit.* Ajunt, Eum hoc non definiviſſe, ſed obiter *opinionem ſuam expoſuiſſe.* Sed ad Iudicem non ſcribitur, ut opinionem privatam exponat; ſed ut rem in controverſia poſitam dijudicet. Bulgarorum Eccleſia volebat à Papa inſtrui. Ex profeſſo quid agendum ſit de puero, quem Iudæus in nomine Chriſti ſacra lotione tinxerat, conſulit. Papa reſpondet Epiſtola publice inſcripta Eccle-

Matth. 19. 4. 5. 1. Cor. 7. 2. diſt. 2. c. de libellis. in Gloſſ.

ſiæ

siæ Bulgariæ, Scripturis sententiam suam probat, exemplum Apostolorum citat, Ambrosij autoritatem pro se allegat. Estne hoc obiter opinionem suam exponere?

Cælestinus, teste Alphonso de Castro, definivit; *per hæresin omnino matrimonium solvi*. cujus contrarium Innocentius 3. decrevit. Hoc Papistarum nullus negare potest. Decretalem Epistolam Alphonsus se testatur vidisse. Iam erasa est è corpore juris Canonici. Denique contraria decreta Nicolai 4. & Iohannis 22. intueamur. Hos Bellarminus fatetur in omnibus conciliari non posse. Gratulemur itaque nobis. Habemus Papas è Cathedra errorem docentes & summa virium contentione defendentes. Bellarmini ductum sequamur. 1. quæsitum fuit inter ipsos: *An in rebus quæ usu consumuntur, usus à dominio separari possit*? Hoc Iohannes plurimis adductis rationibus negat; Nicolaus affirmat. Respondet: *Rem non esse fidei.* At isti Pontifices rem fidei fecerunt. Nam Nicolaus hoc fundamentum esse ordinis Franciscanorum judicavit, qui inviolatus non possit servari, nisi rerum, quæ usu absumuntur, omne dominium abdicaret & Romanæ Ecclesiæ transcriberet. 2. *Num talis paupertas, quæ omne dominium abdicet, meritoria sit?* Hoc Iohannes negat; Nicolaus affirmat. Vterq; senten-

l. 1. c. 4. c. quanto. de divortiis.

in c. exiit. de verb. sign. in sexto.

sententiam suam è Cathedra definivit. Iohannes etiam quosdam Franciscanos combussit. 3. *Num Christus & Apostoli talem paupertatem verbis & exemplis docuerint?* Nempe ut nihil nec communiter, nec particulatim bonorum possederint. Iohannes negat. Nicolaus affirmat. Iohannes contrariam sententiam pro hæresi condemnat. Miserrima quædam verba Bellarmini considerabimus. ait Christum ex sententia Nicolai aliquando aliquid habuisse proprium, saltem communiter, aliquando non; Iohannem autem hoc non negare. Cur igitur litigant? ô Andabatæ! Sed ex hac responsione sequitur, Ordinem Mendicantium, qui omne dominium tam communiter quam particulatim perpetuò abdicavit, ipsius Christi vita perfectiorem esse. Ajunt enim perfectionem Evangelicam in abdicatione omnis dominij positam esse, eamque Christum verbis & exemplis docuisse. Iohannes hic 22. hæresin Arabicorum docuit, qui tempore Origenis extiterunt. Alphonsus à Castro testatur, *Eum publicè hanc hæresin docuisse, adeo ut totam Sorbonam commoverit.*

Aug. de hæres. ad Quod vult Deum, hæres. 83. Prateolus l. 1. c. 67.

Genebrardus ait: Eum hanc doctrinam docuisse & prædicasse: *Animas hominum Deum non visuras, nisi post resurrectionem.* Adrianus Florentius: *Eum hanc hæresin ab omnibus teneri mandasse.* Neque hæc privata

In Chron. Ioh. 22. quæst. de confirm. resp. ultim. fol. 23.

vata opinio hominis fuit, ſed ita olim & ſenſit & docuit ipſa Romana Eccleſia. Verba decretalium ita habent: *Oratio quæ dicitur in ſecreto, feſto S. Leonis, mutata eſt ubi dicebatur: Annue nobis Domine ut animæ famuli tui Leonis* HÆC PROSIT OBLATIO. *Hodiè dicitur: ut interceſſione B. Leonis hæc nobis proſit oblatio. Et hæc mutatio contigit, quod ſancti noſtris orationibus non indigent.* Epiphanius ait; *Pro juſtis orari, ut Chriſtus ab hominum ordine ſeparetur.* Hunc errorem ſecuta fuit olim tota Eccleſia Orientis, ut ex Chryſoſtomi Leiturgia patet. Nam pro patribus, Prophetis, & Apoſtolis, imo pro B. Maria offerebat. Vnde hoc? niſi quod viſione Dei plena eos nondum frui crederet. Hic habemus tot Papas, qui filum ſucceſſionis ruperunt, doctrinam fidei immutando, & aliter Eccleſiam docendo quam Apoſtoli docuerunt. Hinc concludo. Omnem Papa poteſtatem habet vel à Chriſto ἀμέσως, vel ab Eccleſia, vel ab anteceſſore præcedente per ſucceſſionem ad ſe derivatam. Non primum, nec ſecundum, ut Ieſuitæ fatentur. Ergo tertium ſtatuant neceſſe eſt. Vt qui in totum ſuccedit, in jus ſuccedat. Qui ei ſuccedit, qui nihil juris vel poteſtatis habet, is per ſucceſſionem nihil accipit. Genebrardi iſti 50.

Decretalium l. 3. de celebr. miſſæ. tit. 41. c. 6.

contra Aërium.

Pſeudopapæ, ad conſignanda tempora tantum idonei, ut Baronius loquitur, quid hac ſucceſſione continua vel à deceſſoribus acceperunt, vel ſucceſſoribus tradiderunt? Poteſtas Petri de manu in manum tradita ad nos pervenit. Explicent quomodo iſti homines tradiderint quod non habuerunt? Deſinant itaque de ſucceſſione ſua gloriari, & de Apoſtolica poteſtate per eandem ad ſe traducta Papiſtæ. Hi tot Pſeudopapæ pſeudoepiſcopos creabant, qui nullum jus eligendi & ordines conferendi habebant. Quomodo communio cum Papa SEMPER neceſſaria eſt, cum tot ſeculis nullus Papa verus fuerit? Vera Eccleſia Pſeudopapas pro veris Papis acceptare non poteſt.

CAP. IV.

Papatus judicio erroneo & humano religionem ſuam ſuperſtruit, fruſtraque ſub Eccleſiæ nomine delitеſcit.



TVtiſſimum eſt ſequi illud Auguſtini, *ut dogmata fidei in ſtatera æqua divinarum ſcripturarum; non in ſtatera doloſa conſuetudinum humanarum examinemus.* Nam ut Salejanus Epiſcopus ait; *Humana omnia dicta argumentis & teſtibus egent;*

l. 3. de prov.

egent; Dei autem sermo sibi ipsi testis est. Quia necesse est, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis. Itaque quærimus: *An fieri possit, vel an adeo factum sit, ut qui hominum judicio pro Ecclesia Dei habentur, possint errare, vel errarint?* Hoc affirmamus. Nempe, Conspicuam Ecclesiam, ejusque pastores vel separatim vel in Concilio congregatos errori obnoxios esse. Unde sequitur autoritatem Ecclesiæ non esse ἀδιάψευστον, indubiam, adeoque divinæ certitudinis, quam fides Christiana exigit. Bellarminus contra. *Quod docent omnes Episcopi tanquam ad fidem pertinens, necessario est verum.* Sed unde hoc constat quod omnes Episcopi ea ratione doceant? E concilio, ajunt, quod à Papa confirmatum non potest errare. Ridicula oratio! Num confirmatio Papæ præcedit decreta concilii an sequitur? Romæ diu disputatum est jam ferè dimisso concilio, an ejus decreta confirmanda essent? Num concilia post edita decreta primum incipiunt ab errore libera esse? Quod si hoc velint, Papam declarare, an concilium erraverit, dicendum erat: Concilia à Papa qui solus errore immunis est confirmata *non errarunt*, non, *non possunt errare.* Et ita infallibilitas concilii periit, solique Papæ reservatur. Concilium autem dupliciter legitimum dici potest. 1. *intrinsecus*,

l. 1. de Eccles. milit. c. 14.

cum in nomine Christi convenitur. Quod fit cum ij conveniunt, quos Christus in Ecclesia sua Pastores constituit, non subnixi ulla fiducia sui; sed solius Dei auxilio freti, ejusque gloriæ & salutis suæ & Ecclesiæ caussa. Hic multa Papistarum concilia illegitima sunt, licet Romanorum Pontificum approbationem meruerint. Ferus Monachus Franciscani Ordinis: *Nos aliter convenimus, quam Apostoli, nempe cum magna pompa, nosque ipsos quærimus, atque nobis pollicemur, nihil non licere de plenitudine potestatis. At quomodo Spiritus sanctus ejusmodi conventus probare possit?* 2. *Extrinsecus* legitimum est quod debito modo convocatur & absolvitur. Ad id necessarium non est, ut Papæ autoritate fiat. Nam Concilium Constantinopolitanum 1. legitimum est, quod à Bellarmino requisitis conditionibus caret. At quid Papistæ Ecclesiæ nomine intelligunt? Papam cum concilio. Sed quæro antequam ad rem ipsam veniam, num Papæ propter concilium; an concilio propter Papam credant. Hic grex Papistarum divisus est. Iesuitæ concilio credunt propter Papam; Sorbonistæ contra Papæ propter concilium credunt. Hæc non est levis dissensio. Nam de fundamento & ratione formali fidei Christianæ agitur. *Propter quod unumquodq; creditur, id fidei fundamētum est.*

In cap. 15. actorum.

est. Fides item vera dicitur non tantum *quando credit quod verum est*; *sed etiam maximè, cum credit propter id, ob quod credi debet*. Hinc ſequitur, nullum Papiſtam certam rationem fidei ſuæ poſſe reddere, imò vera fide deſtitui, quia rationem fidei formalem ignorat. Infallibilitas enim judicij, Papiſtarum animo, eſt penes ſummam poteſtatem. At penes utrum eſt illa poteſtas? num penes Papam, an concilium? Si penes utrumque, hoc intelligitur vel conjunctim vel diviſim. Si prius, ſequitur penes concilium eſſe, ut ita Papa præcipuum membrum ejus cœtus ſit, in quo ſumma poteſtas reſideat. Si diviſim, fruſtra litigatur. Imo fruſtra concilia à Papa approbantur. Nam æque concilia ac Papa, ſunt infallilis autoritatis. Itaque illa poteſtas vel in Papa vel in concilio quærenda eſt. Hoc eſt, Papiſta non poteſt dicere an dogmata ſua credat propter autoritatem concilij, an Papæ. Quicquid enim dicit, contradicitur. Altera pars dicta ſcripturæ affert pro ſumma autoritate Papæ ſtabilienda? altera alia dicta pro ſumma juriſdictione Conciliis vindicanda & aſſerenda. Sed neutra interpretationem authenticam, id eſt totius Eccleſiæ conſenſu, vel ſaltem judicio ſedis dictæ Apoſtolicæ approbatam habet. Dicta illa, Matth. 16. Ioh. 21. aliter Societas, aliter Sorbona intel-

intelligit. Neutra interpretatio approbata est publico R. E. judicio. Itaque totalis pendet. Hinc Papista in hunc usque diem ex certa fide nescit: an Concilio propter Papam credat; an Papæ propter concilium. Sed porro quæro, qua ratione Papista credit Caput Ecclesiæ immune erroris esse? Quo argumento hoc cum sibi tum aliis persuadet? Nam si hoc sine ulla caussa credit, tantum ideo id vult credere, actum est. Hæc enim fides, quæ in nuda voluntate, non in autoritate certa & infallibili, vel ratione evidenti nititur; non est vera fides, sed cœca obstinatio animi, quę in Christianum non cadit. Hic enim debet paratus esse ad reddendam fidei suæ rationem. Ratione Papista nulla niti potest qui omnia credit ideo, quia Ecclesia dicit. Nam sibi judicium discernendi rationem veram à falsa eripit, idque totum Ecclesiæ transcribit. Hinc rationibus & argumentis, dijudicandis ipse se ineptum reddit. Restat itaque autoritas non scripturæ illa (huic enim non credit nisi propter SOLAM Ecclesiam) sed Ecclesiæ ipsius Romanæ: Hinc fidem tribuit propter autoritatem capitis. Itaque ἀνάλυσις fidei Papisticæ in circulo perpetuo commeat & includitur. Credo Papam Caput Ecclesiæ immunem erroris esse, quia ipse hoc dicit. Sed obtendunt, si ullum judicium esset certius Ecclesiæ, esset judicium scripturæ.

ſcripturæ. At hoc incertum. Quia ſcriptura per ſcripturam probari nequit. Eſſet circulus. Vnde enim conſtat ſcripturam eſſe verbum Dei? Quia ſcriptura hoc dicit. At hæc eſt probatio ejuſdem per idem. Reſpondeo. Cum ſcriptura per ſcripturam dicitur probari, hoc poteſt fieri per probationem inartificialem vel artificialem. Priori modo probatio nulla eſt. Nam ſic Alcoranus poſſet probari, quia ſibi teſtimonium præbet. Itaque probandum eſt hoc inſito argumento. Vt *Sol ſeſe probat ſolem eſſe luce ſua: Vir bonus probat ſe bonum eſſe virtutis ſtudio:* Ita ſcriptura per vim, quam in animis noſtris exerit, ſeipſam probat verbum & πολυποίκιλον σοφίαν Dei eſſe. Hoc Auguſtinus agnoſcit. *Perſuaſiſti mihi ô Deus, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus autoritate fundaſti, ſed qui non crederent, culpandos eſſe: nec audiendos eſſe, ſi qui forte mihi dicerent, unde ſcis illos libros unius veri & veraciſſimi Dei Spiritu eſſe humano generi ſubminiſtratos? Id ipſum enim maxime credendum erat. Sed id credebam aliquando exilius. Semper tamen credidi & eſſe* TE *& curam noſtri gerere, etiamſi ignorabam vel quid ſentiendum eſſet de ſubſtantia tua, vel quæ via duceret aut reduceret ad* TE. *Abſurditatem quæ me in illis literis ſolebat offendere, cum multa ex iis probabiliter expoſita audiviſſem,* l. 9. confeſſ. c. 5.

runt, impedire. Integra itaque Romam ea attulerunt.

In Epiſtola ad Bonifacium.

Gregorius 3. permiſit viro uxorem ducere aliam, ſi morbo impedita propria uxor debitum conjugij non poſſit reddere. Reſpondent concedi non ut juſtum ſed ut minus malum. At inter duo mala culpæ non minus ſed neutrum eligendum eſt. Porro dicunt Papam ex ignorantia lapſum eſſe. Confeſſionem accipimus. Erravit igitur conſultus ut Papa. Fatetur Bellarminus hunc Gregorium docuiſſe, poſſe in caſu aliquo cum conſenſu uxoris aliam à viro ſuperinduci. At hic error exploratus eſt. Nihil enim niſi adulterium poteſt legitimum conjugium dirimere. Gloſſa apud Gratianum ait, *Gregorium propterea reprobari.* Nicolaus 1. in Epiſtola ad conſulta Bulgarorum ſtatuit: *legitimum baptiſmum eſſe qui tantum in nomine Chriſti, ſine expreſſa mentione Patris, Filij & Spiritus ſancti adminiſtratus ſit.* Ajunt, Eum hoc non definiviſſe, ſed obiter *opinionem ſuam expoſuiſſe.* Sed ad Iudicem non ſcribitur, ut opinionem privatam exponat; ſed ut rem in controverſia poſitam dijudicet. Bulgarorum Eccleſia volebat à Papa inſtrui. Ex profeſſo quid agendum ſit de puero, quem Iudæus in nomine Chriſti ſacra lotione tinxerat, conſulit. Papa reſpondet Epiſtola publice inſcripta Eccle-

Matth. 19. 4. 5. 1. Cor. 7. 2. diſt. 2. c. de libellis. in Gloſſ.

ſiæ

ſiæ Bulgariæ, Scripturis ſententiam ſuam probat, exemplum Apoſtolorum citat, Ambroſij autoritatem pro ſe allegat. Eſtne hoc obiter opinionem ſuam exponere?

Cæleſtinus, teſte Alphonſo de Caſtro, definivit; *per hæreſin omnino matrimonium ſolvi.* cujus contrarium Innocentius 3. decrevit. Hoc Papiſtarum nullus negare poteſt. Decretalem Epiſtolam Alphonſus ſe teſtatur vidiſſe. Iam eraſa eſt è corpore juris Canonici. Denique contraria decreta Nicolai 4. & Iohannis 22. intueamur. Hos Bellarminus fatetur in omnibus conciliari non poſſe. Gratulemur itaque nobis. Habemus Papas è Cathedra errorem docentes & ſumma virium contentione defendentes. Bellarmini ductum ſequamur. 1. quæſitum fuit inter ipſos: *An in rebus quæ uſu conſumuntur, uſus à dominio ſeparari poſſit?* Hoc Iohannes plurimis adductis rationibus negat; Nicolaus affirmat. Reſpondet: *Rem non eſſe fidei.* At iſti Pontifices rem fidei fecerunt. Nam Nicolaus hoc fundamentum eſſe ordinis Franciſcanorum judicavit, qui inviolatus non poſſit ſervari, niſi rerum, quæ uſu abſumuntur, omne dominium abdicaret & Romanæ Eccleſiæ transſcriberet. 2. *Num talis paupertas, quæ omne dominium abdicet, meritoria ſit?* Hoc Iohannes negat; Nicolaus affirmat. Vterq;

l. 1. c. 4. c. quanto. de divortiis.

in c. exiit. de verb. ſign. in ſexto.

ſententiam ſuam è Cathedra definivit. Iohannes etiam quoſdam Franciſcanos combuſſit. 3. *Num Chriſtus & Apoſtoli talem paupertatem verbis & exemplis docuerint?* Nempe ut nihil nec communiter, nec particulatim bonorum poſſederint. Iohannes negat. Nicolaus affirmat. Iohannes contrariam ſententiam pro hæreſi condemnat. Miſerrima quædam verba Bellarmini conſiderabimus. ait Chriſtum ex ſententia Nicolai aliquando aliquid habuiſſe proprium, ſaltem communiter, aliquando non; Iohannem autem hoc non negare. Cur igitur litigant? ô Andabatæ! Sed ex hac reſponſione ſequitur, Ordinem Mendicantium, qui omne dominium tam communiter quam particulatim perpetuò abdicavit, ipſius Chriſti vita perfectiorem eſſe. Ajunt enim perfectionem Evangelicam in abdicatione omnis dominij poſitam eſſe, eamque Chriſtum verbis & exemplis docuiſſe. Iohannes hic 22. hæreſin Arabicorum docuit, qui tempore Origenis extiterunt. Alphonſus à Caſtro teſtatur, *Eum publicè hanc hæreſin docuiſſe, adeo ut totam Sorbonam commoverit.*

Aug. de hæreſ. ad Quod vult Deum, hæreſ. 83. Prateolus l. 1. c. 67.

Genebrardus ait: Eum hanc doctrinam docuiſſe & prædicaſſe: *Animas hominum Deum non viſuras, niſi poſt reſurrectionem.* Adrianus Florentius: *Eum hanc hæreſin ab omnibus teneri mandaſſe.* Neque hæc privata

In Chron. Ioh. 22. quæſt. de confirm. reſp. ultim. fol. 23.

vata opinio hominis fuit, sed ita olim & sensit & docuit ipsa Romana Ecclesia. Verba decretalium ita habent: *Oratio quæ dicitur in secreto, festo S. Leonis, mutata est ubi dicebatur: Annue nobis Domine ut animæ famuli tui Leonis* HÆC PROSIT OBLATIO. *Hodiè dicitur: ut intercessione B. Leonis hæc nobis prosit oblatio. Et hæc mutatio contigit, quod sancti nostris orationibus non indigent.* Epiphanius ait; *Pro justis orari, ut Christus ab hominum ordine separetur.* Hunc errorem secuta fuit olim tota Ecclesia Orientis, ut ex Chrysostomi Leiturgia patet. Nam pro patribus, Prophetis, & Apostolis, imo pro B. Maria offerebat. Vnde hoc? nisi quod visione Dei plena eos nondum frui crederet. Hic habemus tot Papas, qui filum successionis ruperunt, doctrinam fidei immutando, & aliter Ecclesiam docendo quam Apostoli docuerunt. Hinc concludo. Omnem Papa potestatem habet vel à Christo ἀμέσως, vel ab Ecclesia, vel ab antecessore præcedente per successionem ad se derivatam. Non primum, nec secundum, ut Iesuitæ fatentur. E. tertium statuant necesse est. Vt qui in totum succedit, in jus succedat. Qui ei succedit, qui nihil juris vel potestatis habet, is per successionem nihil accipit. Genebrardi isti 50.

Decretalium l. 3. de celebr. missæ. tit. 41. c. 6.

contra Aërium.

Pseudopapæ, ad consignanda tempora tantum idonei, ut Baronius loquitur, quid hac successione continua vel à decessoribus acceperunt, vel successoribus tradiderunt? Potestas Petri de manu in manum tradita ad nos pervenit. Explicent quomodo isti homines tradiderint quod non habuerunt? Desinant itaque de successione sua gloriari, & de Apostolica potestate per eandem ad se traducta Papistæ. Hi tot Pseudopapæ pseudoepiscopos creabant, qui nullum jus eligendi & ordines conferendi habebant. Quomodo communio cum Papa SEMPER necessaria est, cum tot seculis nullus Papa verus fuerit? Vera Ecclesia Pseudopapas pro veris Papis acceptare non potest.

CAP. IV.

Papatus judicio erroneo & humano religionem suam superstruit, frustraque sub Ecclesiæ nomine delitescit.



Vtissimum est sequi illud Augustini, *ut dogmata fidei in statera æqua divinarum scripturarum; non in statera dolosa consuetudinum humanarum examinemus.* Nam ut Salejanus Episcopus ait; *Humana omnia dicta argumentis & testibus egent;*

l. 3. de prov.

egent; Dei autem ſermo ſibi ipſi teſtis eſt. Quia neceſſe eſt, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum ſit teſtimonium veritatis. Itaque quærimus: *An fieri poſſit, vel an adeo factum ſit, ut qui hominum judicio pro Eccleſia Dei habentur, poſſint errare, vel errarint?* Hoc affirmamus. Nempe, Conſpicuam Eccleſiam, ejuſque paſtores vel ſeparatim vel in Concilio congregatos errori obnoxios eſſe. Unde ſequitur autoritatem Eccleſiæ non eſſe ἀδιάψευστον, indubiam, adeoque divinæ certitudinis, quam fides Chriſtiana exigit. Bellarminus contra. *Quod docent omnes Epiſcopi tanquam ad fidem pertinens, neceſſario eſt verum.* Sed unde hoc conſtat quod omnes Epiſcopi ea ratione doceant? E concilio, ajunt, quod à Papa confirmatum non poteſt errare. Ridicula oratio! Num confirmatio Papæ præcedit decreta concilii an ſequitur? Romæ diu diſputatum eſt jam ferè dimiſſo concilio, an ejus decreta confirmanda eſſent? Num concilia poſt edita decreta primum incipiunt ab errore libera eſſe? Quod ſi hoc velint, Papam declarare, an concilium erraverit, dicendum erat: Concilia à Papa qui ſolus errore immunis eſt confirmata *non errarunt*, non, *non poſſunt errare.* Et ita infallibilitas concilii periit, ſolique Papæ reſervatur. Concilium autem dupliciter legitimum dici poteſt. 1. *intrinſecus,*

l. 1. de Eccleſ. milit. c. 14.

cum in nomine Christi convenitur. Quod fit cum ij conveniunt, quos Christus in Ecclesia sua Pastores constituit, non subnixi ulla fiducia sui; sed solius Dei auxilio freti, ejusque gloriæ & salutis suæ & Ecclesiæ caussa. Hic multa Papistarum concilia illegitima sunt, licet Romanorum Pontificum approbationem meruerint. Ferus Monachus Franciscani Ordinis: *Nos aliter convenimus, quam Apostoli, nempe cum magna pompa, nosque ipsos quærimus, atque nobis pollicemur, nihil non licere de plenitudine potestatis. At quomodo Spiritus sanctus ejusmodi conventus probare possit?* 2. *Extrinsecus* legitimum est quod debito modo convocatur & absolvitur. Ad id necessarium non est, ut Papæ autoritate fiat. Nam Concilium Constantinopolitanum 1. legitimum est, quod à Bellarmino requisitis conditionibus caret. At quid Papistæ Ecclesiæ nomine intelligunt? Papam cum concilio. Sed quæro antequam ad rem ipsam veniam, num Papæ propter concilium; an concilio propter Papam credant. Hic grex Papistarum divisus est. Iesuitæ concilio credunt propter Papam; Sorbonistæ contra Papæ propter concilium credant. Hæc non est levis dissensio. Nam de fundamento & ratione formali fidei Christianæ agitur. *Propter quod unumquodq; creditur, id fidei fundamẽtum est.*

In cap. 15. actorum.

est. Fides item vera dicitur non tantum *quando credit quod verum est*; *sed etiam maximè, cum credit propter id, ob quod credi debet*. Hinc ſequitur, nullum Papiſtam certam rationem fidei ſuæ poſſe reddere, imò vera fide deſtitui, quia rationem fidei formalem ignorat. Infallibilitas enim judicij, Papiſtarum animo, eſt penes ſummam poteſtatem. At penes utrum eſt illa poteſtas? num penes Papam, an concilium? Si penes utrumque, hoc intelligitur vel conjunctim vel diviſim. Si prius, ſequitur penes concilium eſſe, ut ita Papa præcipuum membrum ejus cœtus ſit, in quo ſumma poteſtas reſideat. Si diviſim, fruſtra litigatur. Imo fruſtra concilia à Papa approbantur. Nam æque concilia ac Papa, ſunt infallilis autoritatis. Itaque illa poteſtas vel in Papa vel in concilio quærenda eſt. Hoc eſt, Papiſta non poteſt dicere an dogmata ſua credat propter autoritatem concilij, an Papæ. Quicquid enim dicit, contradicitur. Altera pars dicta ſcripturæ affert pro ſumma autoritate Papæ ſtabilienda? altera alia dicta pro ſumma jurisdictione Conciliis vindicanda & aſſerenda. Sed neutra interpretationem authenticam, id eſt totius Eccleſiæ conſenſu, vel ſaltem judicio ſedis dictæ Apoſtolicæ approbatam habet. Dicta illa, Matth. 16. Ioh. 21. aliter Societas, aliter Sorbona intel-

intelligit. Neutra interpretatio approbata est publico R. E. judicio. Itaque totalis pendet. Hinc Papista in hunc usque diem ex certa fide nescit: an Concilio propter Papam credat; an Papæ propter concilium. Sed porro quæro, qua ratione Papista credit Caput Ecclesiæ immune erroris esse? Quo argumento hoc cum sibi tum aliis persuadet? Nam si hoc sine ulla caussa credit, tantum ideo id vult credere, actum est. Hæc enim fides, quæ in nuda voluntate, non in autoritate certa & infallibili, vel ratione evidenti nititur; non est vera fides, sed cœca obstinatio animi, quę in Christianum non cadit. Hic enim debet paratus esse ad reddendam fidei suæ rationem. Ratione Papista nulla niti potest qui omnia credit ideo, quia Ecclesia dicit. Nam sibi judicium discernendi rationem veram à falsa eripit, idque totum Ecclesiæ transcribit. Hinc rationibus & argumentis, dijudicandis ipse se ineptum reddit. Restat itaque autoritas non scripturæ illa (huic enim non credit nisi propter SOLAM Ecclesiam) sed Ecclesiæ ipsius Romanæ: Hinc fidem tribuit propter autoritatem capitis. Itaque ἀνάλυσις fidei Papisticæ in circulo perpetuo commeat & includitur. Credo Papam Caput Ecclesiæ immunem erroris esse, quia ipse hoc dicit. Sed obtendunt, si ullum judicium esset certius Ecclesiæ, esset judicium scripturæ.

ſcripturæ. At hoc incertum. Quia ſcriptura per ſcripturam probari nequit. Eſſet circulus. Vnde enim conſtat ſcripturam eſſe verbum Dei? Quia ſcriptura hoc dicit. At hæc eſt probatio ejuſdem per idem. Reſpondeo. Cum ſcriptura per ſcripturam dicitur probari, hoc poteſt fieri per probationem inartificialem vel artificialem. Priori modo probatio nulla eſt. Nam ſic Alcoranus poſſet probari, quia ſibi teſtimonium præbet. Itaque probandum eſt hoc inſito argumento. Vt *Sol ſeſe probat ſolem eſſe luce ſua: Vir bonus probat ſe bonum eſſe virtutis ſtudio:* Ita ſcriptura per vim, quam in animis noſtris exerit, ſeipſam probat verbum & πολυποίκιλον σοφίαν Dei eſſe. Hoc Auguſtinus agnoſcit. *Perſuaſiſti mihi ô Deus, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus autoritate fundaſti, ſed qui non crederent, culpandos eſſe: nec audiendos eſſe, ſi qui forte mihi dicerent, unde ſcis illos libros unius veri & veraciſſimi Dei Spiritu eſſe humano generi ſubminiſtratos? Id ipſum enim maxime credendum erat. Sed id credebam aliquando exilius. Semper tamen credidi & eſſe* TE *& curam noſtri gerere, etiamſi ignorabam vel quid ſentiendum eſſet de ſubſtantia tua, vel quæ via duceret aut reduceret ad* TE. *Abſurditatem quæ me in illis literis ſolebat offendere, cum multa ex iis probabiliter expoſita audiviſſem,* l. 9. confeſſ. c. 5.

vissem, ad mysteriorum altitudinem referebam. Suspirabam, & audiebas me! Fluctuabam, & gubernabas me: ibam per seculi viam latam, nec deserebas me. Hęc Augustinus senex scripsit, quibus satis ostendit, se persuasione Spiritus Sancti fidem scripturæ tribuisse; non Ecclesiæ solius autoritate inductum. Verba Cani Episcopi manifesta sunt. *Nec si nobis Ecclesia aditum præbet ad ejusmodi sacros libros cognoscendos, protinus ibi acquiescendum est; sed ultra oportet progredi, & solida Dei autoritate niti.* Item Canisij: *Scripturæ propter testimonium divini Spiritus in illa loquentis credimus, adhæremus, & tribuimus maximam autoritatem.* Item, Cardinalis Hosii: *Nos vero libenter concedimus accipienda esse evangelia ut verba Dei intus docentis & revelantis, neque credendum illis esse nisi propter Dei vocem intus loquentis.* Item, Gregorii de Valentia. *Illud nescio*, ait, *an sit argumentum iis omnibus majus, quam quod qui verè Christiani sunt, ita se animo divinitus affectos esse, quod ad fidem attinet, sentiunt, ut præcipue quidem propter nullum argumentum quod vel hactenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, se ad credendum impelli intelligant; sed propter aliud nescio quod, quod alio quodam modo & longè fortius, quam ulla argumenta (est autem verè divinum testimonium) eos ad credendum movet. Hanc experientiam* divini

l. 2. de locis Theol. c. 8.

Cathechismi Romani p. 1. de præceptis Ecclesiæ, ad lit. F. Confess. Petricoviens. c. 16.

Analys. fid. Cathol. l. 1. c. 20.

divini testimonii & sensum, licet perse quidem non satis sit evidens, tamen quia ab iis qui credunt, propemodum clarè percipitur, & ab aliis etiam in credentibus ipsis animadverti possit, dico pro multis argumentis esse debere ad fidem vel constantissime retinendam vel etiam de novo suscipiendam. Tandem Ægidii de Columna. *Religionis veritatem non possumus investigare per naturalem causam; sed oportet eam habeamus per divinam inspirationem.* In Prolog. 2. sentent. §. viso igitur.

Porro ajunt, rejecto Ecclesię infallibili judicio nullus arbiter componendarum controversiarum in Ecclesia relinquitur. Sed noscant oportet, in controversiis religionis, quæ ad mentis judicium pertinent, oportere Arbitrum esse hujusmodi, qui mentem illustret, perfusáque luce efficiat, ut quod dubium erat, manifestum fiat. Itaque in negocio religionis unus Dei Spiritus idoneus est arbiter. *Spiritualis homo dijudicat omnia.* Neque fenestram ad furores hominibus phanaticis aperimus, spiritum jactantibus. Nam quos S. Spiritus docet, verbo Dei docet, atque ita ut eos idoneos ad fidei rationem reddendam faciat. Ut in rebus humanis nemo veritatem percipit, nisi interventu rectæ rationis; ita nec in religione quisquam rectam sententiam percipit, nisi interventu divinæ illustrationis: quæ medium syllogisticum non est; sed spiritualis facultas, qua vis medii Syllogistici

gistici percipitur. Itaque ut in rebus naturalibus, si quis rectissimè sentiens, veris & idoneis argumentis rem in controversia positam probet, apud hominem tamen rationis haut compotem nihil profecerit; eodem pacto religionis veritas à nemine, licet evidenti demonstratione divinæ scripturæ subnixa sit, cognoscetur & assensum inveniet, nisi mens ejus superno lumine collustrata fuerit. Vt itaque nemo prudens ita colligit: *Ego ita sentio*: Ergo etiam tibi ita sentiendum est: sed rationes affert rectas illas & idoneas rei probandæ, quas si quis haut potis est percipere, relinquendus est: sic in religione nullus pius argumentatur; *Ego Spiritu sancto edoctus ita credo*; Ergo & tibi ita credendum est; Sed ita hoc sacra scriptura asserit; Ergo verum est. quam demonstrationem si quis negligat vel rejiciat, deserendus est. Hic Becanus Iesuita Circulo nos includere, vindictam opinor meditans, tentat. Quasi probaremus per verbum Dei, nos habere Spiritum Dei, & vicissim per Spiritum Dei, nos habere verbum Dei. Sed sententiam nostram non rectè vel percepit vel non voluit percipere. Cum probamus nos habere Spiritum sanctum per verbum, vox *per* medium syllogisticum significat; At cum asserimus nos *tenere* (minime probare) verbum Dei per Spiri-

Spiritum, tum vox illa medium facultatis qua vim divini verbi percipimus, notat. Efficaciâ enim Spiritus ſancti hanc talem intuemur, non vi naturali. Nam animalis homo ea quæ Spiritus Dei ſunt, non percipit. Sed pergunt autoritatem Eccleſiæ commendare tanquam unicum ſuffragium humanæ credulitatis. Ex Scriptura conſequentiæ concluſiones producunt; in quarum deductione facile imbecillitas noſtri ingenij labitur. Non itaque verbum Dei eſt, neque eadem certitudine amplectendum quod judicio humanæ mentis ad errores proclivis è ſcriptura colligitur. Hic aſſerendum ſine hæſitatione, id quod neceſſaria conſequentia ex ſcriptura colligitur, verbum Dei eſſe. Quomodo enim è ſcriptura colligatur, niſi in ea contineatur? Quod in ea non eſt, non poteſt inde educi & elici. *Pro lege id habetur, quod é lege concluditur.* Sapientiſſimus enim Deus ita locutus eſt, ut quicquid concludi poteſt ex verbis ſuis, velit inde concludi. Talis concluſio ab expreſſo verbo Dei non niſi notitia noſtra diſtinguitur. Ignoratione hominum verbum Dei non dicitur licet tale verè ſit. Sed hæc omnis difficultas redit, *unde certo conſtet, an vere & recte aliquid è ſcriptura collectum ſit?* Chriſtus eſt ſimilis nobis per omnia excepto peccato. E. animam rationalem habet, & corpus

 proprie-

proprietatibus humanæ naturæ minime exutum. Hoc æquè est verbum Dei ac illud prius, quia constat, recta deductione è prioribus eam conclusionem verbis sequi. Consequentia est affectio propositionis ad aliam propositionem, qua fit, ut si ea propositio vera sit, & ipsa etiam vera sit cujus affectionis hæc est ratio, quod quæ altera propositionum dicuntur, necessario includunt quæ conclusione inde deducta continentur. Ratio itaque dignoscendæ certæ consequentiæ est, ut termini vel merè Theologici vel mixti è principiis disciplinarum suarum intelligantur. Quid filius Dei sit, ex sola scriptura liquet; sed quid homo, è physica constat. Fides rationem præsupponit, non destruit. Quis enim Euangelium furiosis & avibus proponat? Neque infidelitas rationem hominis destruit, neque peccator naturam amisit. Quod si omnis colligendi ratio penitus sublata fuisset peccato; non corrupta sed extincta humana natura esset. At sæpè aberrat ratio in consequentiarum deductione? sed & sensus sæpe nos fallunt. Ideone nulla comprehensio è sensibus concedenda est? Consequentiæ autem vel proximæ vel remotæ sunt. In his etiam pius falli potest, cum non pugnant cum bona conscientia; in illis fatuus sit oportet qui erret. Sunt in quibus licet errare salva fide. Hoc

tot

tot controversiæ scholasticorum testantur. Costerus autem quam verus est gloriando? *Catholici*, ait, *omnes ubique terrarum sub uno Pontifice R. cui omnes parent eandem fidem constanter retinent, idem dicunt, idem sentiunt, idem credunt per omnia; & ne in minimo quidem negocio religionis discrepant, eundem ducem sequuntur omnes per omnia totis* 1500. *annis.* Phy quo pudor abiit! sentiuntne omnes Catholici veteres & novi idem de libris Canonicis? De conceptione B. Virginis? De justificatione? de numero sacramentorum? de transsubstantiatione? de peccato originis? de usu imaginum? de merito? de purgatorio? Catholici omnes unum sensum suum arbitrio unius Pontificis submiserunt? Ubi pudor inquam Costere? Nonne Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus te refellunt? Quid de patribus Conciliorum, nempe Constantinopolitani 1, Chalcedonensis, Milevitani, Carthaginensis 6 judicas? Num palliatam istam tyrannidem Gallia agnoscit? Quod si diversum sentire liceat, modo ex unius hominis, qui tamen exemplo Honorij Papæ *immaculatam fidem subvertere potest*, religionem arbitrio suspendamus: nobis sanè eadem ratione suffecerit diversum sentientibus de nonnullis capitibus fidei, quod S. Scripturæ *regulæ isti credendi certissimæ tutissimæque* nos totos subjicimus.

Enchirid. tractatu de Ecclesia §. discipuli.

Si Ecclesiæ judicium non est firmum, ajunt, nihil firmi in Ecclesia restat: hæreses damnatæ in dubium vocari possunt. R. est judicium S. Sancti per scripturam loquentis aperte de rebus ad salutem necessariis, & cordibus vim credendi addentis. Hoc judicio omnes hæreses damnatæ sunt. Denique præstat aliquid ignorare quam ab hominum arbitrio fidem suspendere. Sed consequentiæ videntur hoc incommodi afferre, quod conclusiones vi rationis credendas proponant. Verum ratio non argumentum sed instrumentum est. Fides ex auditu tanquam ex instrumento, non argumento. Ideo fides sensu non nititur. Consequentia exhibet quid sit credendum; non rationem præbet credendi. hæc enim in scriptura includitur. Fides itaque à ratione tanquam ab argumento non pendet, sed tanquam ab instrumento. Hanc ratiocinationem S. S. acuit & dirigit.

Hactenus ea quæ Ecclesiæ infallibilem autoritatem necessario esse in religione admittendam, ex objectis sententiæ nostræ incommodis videntur probare, refellimus, jam dicta scripturæ, quibus eandem adstruunt excutiemus. Primum ex adversariis quæro an non Ecclesia V. T. Catholica & vera Christi Ecclesia fuerit? Haud dubie. Itaque non arenæ sed petræ inædificata fuit. quam portæ infernæ non vicerunt. Fuit *co-*

lumna

lumna & stabilimentum veritatis. Nullibi enim veritas nisi in Iudaica Ecclesia. Nihilominus conspicua Ecclesia erravit, & quidem tota in Ægypto, quod S. Propheta Ezechiel testatur, quærens nomine Dei, neminem idola nationis voluisse projicere. c.20. v.8.
Esajas, *Speculatores ejus cœci omnes, neque quicquam noverunt. In universum respiciunt ad vias suas.* c.59.10.
Ieremias, *A Propheta usque ad sacerdotem, quisque mendacium sectatur.* c.6.13.
Oseas, *Speculator Ephraim cum Deo, laqueus aucupis, odium in domo Dei.* c.9.8.
Fatemur non omnes sed plurimos tales fuisse. At sic splendor obscuratur. Ezechiel, *Rex peribit à sacerdote & consilium à senioribus.* c. 7 26.
Sed hoc Papistæ notent, si N. T. Ecclesia firmioribus promissionibus suffulta est quam Synagoga, cur semper illud Deut. 17. objiciunt, ut Pontificis Romani infallibilitatem inde probent? Majori sane jure veteris Synagogæ Pontifici hoc dictum convenit. Fuit igitur ad minimum V. T. Pontifex æquè ab errore immunis atque Papa noster. Deinde illud Malachiæ, *Labia sacerdotis scientiam custodient, & legem ex ore ejus requirent*, cur semper in ore habent? Nam si hinc sequitur N. T. ministros errandi periculo liberos esse, majori jure prisci illi Synagogæ sacerdotes ab errore immunes erant. Quam magnæ efficaciæ & amoris divini plena pro- c.2.

1 Reg. 9. v. 3. missio extat, *Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ad ponendum meum nomen ibi usque in seculum: & erunt oculi mei & cor meum ibi omnibus diebus.* Sed & quod veteri Ecclesiæ contigit, idem N. T. Ecclesiæ evenire posse, Petrus demonstrat. *Quemadmodum fuerunt in populo veteri Pseudoprophetæ, sic & inter vos erunt falsi doctores.* Monet his verbis Petrus, ut in N. T. à falsis doctoribus nobis caveamus, æque ac olim pij debebant cavere. Vnde patet majus privilegium nobis quam illis tributum non esse. Falsi autem doctores sunt plerumque ipsi ordinarij præsides religionis, autoritate instructi. Concilium Iudæorum præside Caipha *omnes excommunicavit, qui Iesum esse Christum profitebantur.* Christum blasphemiæ accusat. Bell. fatetur concilium hoc errasse, non in fide. Nam Iudæos Messiam non damnasse; sed eum quem putabant hunc titulum mentiri. Sic hodie Iudæi in fide non errarent. Messiam enim non negant eo modo, quo Synodus eum non negavit. Paulus Christianos persequendo blasphemus non fuisset. Alij ajunt *errasse mente, non verbis.* Sed Caiphas, *Blasphemavit iste. Nam filium Dei se dixit.* In veteri ajunt Ecclesia concedi errores, non in nova. Sed ex sententia adversariorum, nisi concilia nequeant errare, actum est de fide: Nunquam autem

Ioh. 9. 22.
Ioh. 11. 53.

Deus

Deus Ecclesiam suam destituit in rectæ fidei conservatione. Itaque sequitur, si verum hoc est, utriusque temporis Ecclesiam in concilio congregatam non posse errare. Nondum tacent. Ajunt Ecclesiam errare potuisse Christo præsente. At Christus homines ad scribas sedentes in Cathedra Mosis adhuc ablegat, unde Bellarminus probat *eos judices omnium controversiarum fuisse.* Bell. *Christus his verbis, Sedent in Cathedra Mosis, docet, Pontifices & sacerdotes tum temporis judices fuisse omnium controversiarum, iis esse credendum, eorumque doctrinam in omnibus esse sequendam.* Neque quicquam Christus Ecclesiæ Iudaicæ ante mortem suam, qua figuras omnes sustulit, detraxit. Nec adhuc finis est. Ajunt prædictum fuisse de hoc concilio, quod erraturum esset, de aliis non item, itaque non fuisse legitimum. Respondeo. Adfuit Pontifex, adfuerunt legitimi sacerdotes, quorum sacerdotium vigebat eo usq; dum morte Christi tolleretur. Ecclesia enim non est sine sacerdotio. Sed Christus cruentum illud sacrificium mortis suæ nondum instituerat. Itaque prius illud viguit adhuc, quia novum nondum erat.

De verbo Dei l.3.c.5.

Hosius affirmat concilij sententiam veram fuisse. Idem Canus. At patres concilij Christum blasphemare judicarunt. Sed & hanc rationem velim excutiant adversarij,

l. 2. contra Brentium.
proleg. l.5.c.ult.

si conciliorum decreta nulli errori obnoxia sunt, pari autoritate fore cum Canonica scriptura, quod tamen à communi sensu Christianorum veterum quam longissime abhorret. Quam pauci semper Christi nomine congregati sunt! Nicolaus de Clemangis. *Non est putandum, carnales filios Ecclesiæ, qui temporalia quærunt, Spiritualia non curant, concilia agitant, ut ipsi in officio vivant, in Christi nomine congregari.*

Luc. 10. 16. Sed maximè hoc dicto nituntur. *Qui vos audit, me audit.* Quæ ad singulos Apostolos dicuntur singulari privilegio, ordinariis pa-

1 Petr. 4. 11. storibus dicuntur cum conditione, *si nempe eloquia Dei proferant.* Nonne singuli Pastores suis superioribus obnoxij sunt? Nam si illud, *Qui vos audit, me audit*, ad Pastores sic dicitur sine adjuncta conditione, tot Papas habebimus quot Pastores. Itaque ad Apostolos absolutè dictum est, ad cæte-

Matt. 18. 20. ros minimè. Pastores autem ordinarios plerosque omnes veris piisque oppressis hæreses & adulterina dogmata nomine Ecclesiæ Catholicæ posse populo præponere, Arriani exemplo sint, qui totum orbem in sententiam suam pertraxerant, ipsumq; adeo SUMMUM ECCLESIÆ PASTOREM LIBERIUM. Videantur ejus Epistolæ.

Matt. 18. 20. Sed alia loca restant, *Ubi duo vel tres congregati*

gati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Iansenius in hunc locum. *In nomine Christi congregari, est propter Christum & aliquam causam ad Christum pertinentem congregari ut Christo inserviamus, ejus nomen celebremus, & ad ejus gloriam omnia referamus.* ad summam: ut *voluntatem Christi in conventibus nobis proponamus.* Certum autem est duos vel tres sic posse convenire Pontifice nescio. Nulla itaque probatio conciliis à Papa convocatis & confirmatis accedit. Si in quorum medio Christus est, errantium numero exclusi sunt, fateantur esse exclusos quosvis Christi nomine ubique locorum congressos. Num à minori ad majus illatio valet? Valeret si infallibilitas in privatis esset cætibus. Sed an non Spiritus sanctus Ecclesiam in omnem veritatem ducit? Ducit, Ioh. 14. sed, ut ante respondimus, Apostolos absoluto non errandi privilegio donavit; reliquos jussit *sacras literas scrutari, eloquia Dei proferre, sermoni attendere.* Hoc nihil ad concilia spectat. Nam Spiritus sanctus primis 300. annis Ecclesiæ suæ non defuit, quibus nulla concilia generalia celebrata sunt. Imò quis Doctor Ecclesiæ non erravit? An non ij omnes *in veritatem ducuntur?* Itaque ad Apostolos quoad gradum & modum infallibilitas; ad ordinarios quoad essentiam promissio spectat, *si in Christi sermone manse-*

Apolog.2. l. Strom.3. de continentia c.2. &c.

manſerint. Plerique olim patres, ut Iuſtinus, Martyr, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, docuerunt angelos mulierum concupiſcentia à priſtina ſua puritate defeciſſe. In eo etiam plerique conſenſerunt, quod juramenta penitus Chriſtianis illicita ſint. Plerique omnes patres chiliaſtæ erant. Tertullianus, Lactantius, Victorinus, Severus, Papias, Iuſtinus, Irenæus, Apollinaris, Clemens Alexandrinus, Origenes, Euſebius, Cyprianus, &c. Crediderunt etiam plerique & docuerunt animam à corpore ſejunctam nihil pati poſſe. Vnde liquet eos purgatorium animarum non credidiſſe, nempe: 1. Tertullianus. 2. Nyſſænus. 3. Ambroſius. 4. Chryſoſtomus. Itaque promiſſio Chriſti de ductu Spiritus ſancti in omnem veritatem abſolute ad Apoſtolos; cum conditione ad ſucceſſores referri debet, nempe *ſequendi ſunt, ſi ipſi Chriſtum ſequantur*.

Tertull. l. 1. de idol. c. 1. Euſeb. l. 6. c. 4. Hieron. in Matt. Chryſ. Hom. 8. & 9. in acta, Naz. invect. 1. Ath. l. de incarnat.

1. C. 48. Apologiæ. 2. De reſurrectione. 3. De pœnitentia c. 17. 4. Hom. 39. ad Corinthios.

Hinc tot inter pios viros diſſenſiones de controverſiis religionis. Nam Spiritus ſanctus non eſt ubique & in omnibus ſecundum eandem menſuram. Alij aliis multum donis Spiritus ſancti interſunt, & præſtant. Nemo itaque pius negabit Eccleſiam à Spiritu ſancto regi. Quæro an non omnes verè fideles ab eodem regantur. Num ideo errare nequeunt? Effectus imperfectio diſpoſitioni ſubjecti,

ſubjecti, non cauſſæ ipſi tribuenda eſt. Eccleſia eſt Sponſa, quæ Chriſto in hac vita *aptatur*, ut in futura eidem *glorioſa & perfecta ſiſtatur*. Chriſtus auxilium ſuum Eccleſiæ promiſit, ſed non in omnibus quæ agit, nec ſine conditione. Interea Dei providentia ita vigilat, ut *vocati electi in verbo Chriſti maneant* Ioh. 15. 7. 10. *& mandata ejus ſervent*, itaque ad ſalutis æternæ portum deducantur. Firma eſt itaq; Chriſti promiſſio quæ apud S. Matthæum c. 16. 18. extat, *Portas inferorum contra Eccleſiam non prævalituras*. Ferus in hunc locum: *Chriſtus non loquitur de Eccleſia ſicut communiter ſumitur pro his qui Chriſtiani dicuntur ſive boni ſint ſive mali; ſed de Eccleſia ſecundum Spiritum, quæ ſolos electos complectitur*, nempe ut Auguſtinus loquitur *de numero illo juſtorum qui* contra Donatum l. 5. c. 27. *ſecundum propoſitum vocati ſunt, de quibus dictum eſt, Novit Dominus qui ſint ſui, qui eſt hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ*. Quod à Paulo Eccleſia ϛῦλος ϗ ἑδραίωμα τ ἀληθείας dicitur, veriſſimum eſt. 1 Tim. 3. 16. Nam Eccleſia, quamdiu talis manet, veritatem prædicatione ſua docet & publicat, ſed ab eo ſtatu deficere poteſt, ut Epheſina, de qua Paulus loquitur, totuſque orbis in Arrianiſmum paucis exceptis Doctoribus prolapſus. Contarenus: *Eccleſia ſuſtentatur à veritate; contra veritatis profeſſionem externam*

in

in suo statu permanens *sustentat*. Eodem sensu Chrysostomus veritatem columnam & firmamentum Ecclesiæ appellat. Nec aliter Irenæus: *Euangelium in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum*. Illud πολυθρύλλητον, *Dic Ecclesiæ*, Pighius Papista nemini secundus ad universalem Ecclesiam nihil attinere certum esse judicat, idque rei naturam de qua agitur ostendere. Quis enim iis mutuis injuriis duorum fratrum, universalem Ecclesiam convocet vel generale concilium indicat? Itaque si illud, *dic Ecclesiæ*, libertatem & immunitatem à periculo errandi affert, quivis cætus Christianorum hoc privilegio gaudebit.

Hom. 11. in Ep. 1. ad Tim. Concludamus itaque cum dicto Catholici Doctoris Chrysostomi. *Volens quis cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tanta confusionis similitudine, nisi tantummodo per scripturas?* In Matt. hom. 49.

Tertium restat, nempe ut Experientiam testem invocemus eorum quæ hactenus diximus. Primum de errore universalis Ecclesiæ: Deinde conciliorum agemus.

Gloriari de immunitate erroris proprie & verè nemini nisi Deo soli convenit. Filius perditionis illud sibi privilegium falsò adsciscit, non quidem Apostolorum exemplo, qui in omnem veritatem ducti tale nihil unquam jactarunt; sed Mendacis istius & homicidæ

Spiri-

Spiritus, qui de cœlo dejectus orbem fraudibus & mendaciis replet. Sed ante omnia Fromundo Professore Lovaniensi occurrendum, qui in Crisi sua nos docet veterem Ecclesiam bene fecisse quod infantes Eucharistiæ adhibuit, eo enim Sacramentariorum heresin destruxisse. Non hoc jam in questione est Fromunde; sed an Ecclesia tota erraverit, credendo Eucharistiam infantibus adeo necessariam esse, ut sine ejus perceptione servari nequeant. Hoc dico. Innocentius I. statuit, *Eucharistiam infantibus esse necessariam.* Idem Augustinus. *Christi Ecclesiæ institutum tenent, non posse quenquam hominem absque dominicæ mensæ participatione ad vitam æternam pervenire.* Hic certè error totius Ecclesiæ exploratissimus est. Amplectere jam absolutè Papista sine examine judicium Ecclesiæ. Hic consensum habes Papæ cum tota Ecclesia in quæstione fidei. Sequere eum, judicium nullum interponendo. Maldonatus Iesuita fatetur; *Hanc sententiam sexcentos annos in Ecclesia viguisse.* Augustinus, *Sancto Innocentio I. vide quid respondeas, &c. Qui definivit denique, parvulos, nisi manducaverint carnem filij hominis, vitam prorsus habere non posse.* Vbi de sacramentali participatione agit, non de spirituali, de qua nulla quæstio. Itaque habemus hic definitionem sedis Apostolicæ publica praxi totius

Aug. Epist. 93. Lib. I. in Iulianum c. 2.

Lib. 3. c. I. Maldon. in c. 6. Iohan.

De peccatorum meritis & remiss. l. I. c. 24.

Contra duas Epistolas Pelagii l. 2. c. 4.

Eccle-

Ecclesiæ approbatam. 1. Ex definitione apparet, *Rem de fide fuisse*, cum vitam infantibus Episcopus summus Ecclesiæ Catholicæ denegarit. 2. Ex praxi elucet clarissimè de qua manducatione Innocentius loquatur. Extat formula Latinæ Ecclesiæ in antiquissimo codice, quem Reverendus & Clarissimus Vir Dn. Thysius Professor S. Theologiæ in Academia Leidensi, præceptor meus perpetuo observandus, vidit. Ubi agitur de ritibus circa baptizandos, hæc verba extant. *Tunc vestiatur infans, & si Episcopus adsit, confirmari oportet & communicari. Communicet eum sacerdos, ita dicens: Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat te ad vitam æternam.* Hæc formula excusa est Coloniæ apud Soterem anno 1530. Hardingus fatetur, ex Dionysio Areopagita & Augustino de Catechizandis rudibus apparere: Ipsam primitivam Ecclesiam cœnam domini infantibus ministrasse. *Si parvuli sint vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis, qui eos offerunt juxta morem baptizandi, & sic manus impositione & chrismate communiti Eucharistiæ mysteriis admittantur.* (cap. 9.) In Africa tempore Cypriani iste manifestus abusus cænæ dominicæ Ecclesiæ obrepsit. *Cum diaconus quidam calicem*, ait, *sanguinis dominici puellæ offerret, quæ nutricis suæ culpa de victimis dæmoniorum gustaverat, infans divinæ maje-* (Sermone 5. de lapsis.)

majestatis instinctu commota faciem avertit, labia compressa contraxit & poculum respuit. Postquam vero Diaconus ei paulum VINI (non SPECIERUM) *per vim infudisset, tantus singultus vomitusque est consecutus, ut potus ille sanctificatus in sanguine Christi è pollutis visceribus erumperet.* In Græca Ecclesia Lyra scribit hunc morem ad sua usque tempora durasse. De praxi ipsius Romanæ Ecclesiæ ex Papæ Innocentij decreto nemini dubium potest esse. Ioannes Teutonicus, qui Scholia in Gratianum scripsit, testatur: Eam quibusdam in locis sua ætate consuetudinem invaluisse, ut sacramentum infantibus darent, non *corpus illis Domini tradentes, sed sanguinem in ora infundentes.* Hæc divisio unius ejusdemque mysterij nonne sacrilegij rea judicanda est? Denique baptismi & cœnæ dominicæ conjunctionem in infantibus vetus Ecclesia adeo necessariam judicavit, ut Hyeronimus tantus Doctor Ecclesiæ de quodam Hilario loquens, scripserit: *Non potest baptisma tradere sine Eucharistia.* Quid ad hoc Fromunde vel tu Ianseni respondebitis? Quicquid Papa definivit, Ecclesiæ Christi tenuerunt, à primisque temporibus per Orientem & Occidentem tanquam necessarium ad salutem observarunt publica praxi, summoque omnium consensu Catholicorum, illud & verum & observandum est.

In Iohannem

Contra Luciferianos.

est. Sed manifestum errorem & abusum Papa definivit, &c. Ergo, cum ad publicum consensum & praxin Ecclesiæ definitio Pontificis accedit, quid ultra restat Papistæ dubij? Num definitionem illam tanquam privati Doctoris sententiam suam explicantis respuet? At Papa non est privatus Doctor, sed Magister totius Ecclesiæ Catholicæ. Cum itaque hic sententiam suam publicè declarat, & consensum praxi ubique locorum receptæ accommodat, non nisi à fatuo is consensus privata opinione haberi potest. Itaque definitio ista Innocentij quasi publica vox totius Ecclesiæ Catholicæ fuit. Sed unde probabunt patres nostri Innocentium nihil certi ex autoritate statuisse, Ecclesiæque liberum reliquisse hanc suam sententiam respuendi, vel probandi? Nonne contrarium statuit? Bellarminus disputat Ecclesiam semper aliquo indigere à quo confirmetur, & hunc successorem Petri esse oratione Christi munitum semper efficaci, adeo ut Ecclesia indubie hanc confirmationem in recta fide à Cathedra Petri teneatur expectare. Cur igitur tot secula Papæ passi sunt Ecclesiam errare? Idque cum summa prophanatione tam venerandi sacramenti? *Manducaturus panem hunc probet seipsum, & tum edat.* Periculosa sanè est ratio docendi qua in errorem tota Christi Ecclesia abducitur. Sed quis veterum

terum doctorum imo Christianorum unquam solicitus fuit an Papa aliquid vel ut Doctor vel ut Papa definivisset? At magna solicitudine hoc inquirendum fuit, si alter docendi modus errori obnoxius, alter liber est, utro ille tandem usus sit. Ecclesia Orientis, Ægypti, Africæ, Europæ necessariam infantibus perceptu Eucharistiam judicavit. Hoc S. Innocentius Papa R. tanquam doctor privatus, minime vero è Cathedra approbat. Augustinus ait: *S. Innocentio vide quid respondeas.* Certe hoc de privato Doctore effugium uterque ignoravit. Quis hic à risu sibi temperet paulo amœnior? Sexcentis imò mille annis Christiani ita senserunt. Papæ interea nihil è Cathedra sua fracta forsan vel in novum orbem translata definiverunt; sed scholasticos erudientes omnem autoritatem è Cathedra docendi amiserunt, vel neglexerunt. O Iesuitica theologia quam nova es!

Sed forsan Ecclesia in Concilio Episcoporum coacta plus firmitatis & autoritatis habet: Videamus itaque de conciliis.

Leo 4. Concilium Neo-Cæsariense confirmavit. In Synodo Florentina dicitur illud ab ipso Concilio Nicæno approbatum fuisse. Hoc autem secundas nuptias damnat. Prohibet enim Presbytero, ne secundis nuptiis celebrandis intersit. Canon hic est. *πρεσβύτεροι εἰς γάμους τῶν δυναμένων μὴ*

Dist. 20. Canon. de libellis. sell. 7.

ἐπιδάσθαι. Δίγαμοι intelliguntur non qui vivæ uxori aliam superinducunt, sed qui bis nuptias contrahunt priore conjuge scilicet functa. Id è Canone 8. Concilij Nicæni liquet. ubi Cathari jubentur τοῖς διγάμοις κοινωνεῖν. Item è c. 1. Concilij Laodiceni. ubi concedit, aliquos ἐλευθέρως καὶ νομίμως δευτέροις γάμοις συνάπτεσθαι. Hoc de duarum uxorum conjunctione in matrimonium non intelligitur. Præterea non publicas Ceremonias secundarum nuptiarum sed ipsas nuptias illegitimas judicat.

Canone 19. Nicæna 1. synodus summæ autoritatis erravit τοὺς παυλιανίσαντας ἀναβαπτίζεσθαι jubendo. Hoc Cyprianus cum Episcopis Africæ antea decreverat. At hic Paulus Samosatenus formam baptismi non mutavit. Certum autem est Iudæum, Turcam, baptismum administrare, modo ne in forma baptismi quicquam mutet, quocunque demum sensu & modo eam intelligat. Eusebius Pauli hujus errores recensens de baptismi forma mutata nihil omnino mutit. Quis autem putet Eusebium hoc omissurum fuisse?

Dist. 20. c. de libellis. c. 23. Synodus Carthaginensis 3. à Leone 4. & 6. Oecumenico concilio confirmata erravit *jubendo in Eucharistiæ oblatione preces semper ad Deum Patrem dirigi.* Hoc R. E. pro errore habet, filium Dei ita compellando: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nostri!*

Quid

Quid causæ cur solum Patrem compellare jubeat, nisi à precibus ad eum directis filium & Spiritum sanctum excludat?

Canones Trullani concilij 6. generalis ab Adriano 1. Papa in Epistola ad Tharasium, quæ in act. 2. septimæ synodi habetur, approbati sunt hisce verbis: *In 6. Synodi divinè & legaliter prædicatis canonibus.* At hi Canones multos errores judicio ipsorum adversariorum continent. Canone 13. Ecclesiam Romanam condemnant Patres eo quod sacerdotes matrimonio junctos rejiceret. Canone 55. quod die sabbati jejunaret. Crediderunt itaque patres Ecclesiam Romanam posse errare. Concilium Nicænum 2. erravit statuendo: *Angelos corporeos esse, & animas humanas*. Act. 5. Quod Tharasius cum tota synodo approbavit, quasi communem Ecclesiæ Catholicæ sententiam. Ait enim tota Synodus: *Etiam Domine, sic est.* Statuit imagines adorandas esse, & anathematizat eos qui ipsas adorare nolunt. Hanc sententiam scripturæ manifestè contrariam synodus sub Leone Imperatore damnavit, cui Episcopi Orientis 338, ut ex actis synodi 2. Nicænæ constat, interfuerunt. At Papa non interfuit. Sed nec Constantinopolitano 1. interfuit. Eandem Synodus Francofurdiensis legatis Pontificis præsentibus damnavit. Aliæ item quinque Synodi sub Carolo Ma-

gno celebratæ, quæ ſane è Catholicis Epiſcopis, minime è hæreticis conſtiterunt. Statuunt ridiculi patres, *imagines tantum valere quantum Euangelia, majorem eſſe imaginem quam orationem.* Scripturam ita allegant, ut ſe ludibrio omnibus expoſuerint, quod fateri videntur, dum ſeſe doctrinam ſuam è traditione habuiſſe gloriantur. Nihilominus Papa Adrianus 1. dedita opera librum conſcripſit, quo horum dictorum manifeſtam depravationem approbat, & Carolo M. dedicavit. *Recte*, ait, *valde nimis & pulchre* dixerunt: poni lucernam ſub modio ab eo qui imagines contemnit.

Tom.3. conc. ed. Colon. pag. 205.

Concilium Romanum ſub Stephano 7. Formoſi acta damnavit, ſtatuitque, fatente Bellarmino, Ordines ab ipſo collatos nihil valere, manifeſto errore. Hic error facti jus trahit, nempe: *Quicumque Epiſcopus contra juramentum præſtitum* illegitima ratione *ad Papatum pervenit, eum non poſſe ordines Epiſcopis & ſacerdotibus futuris conferre.* Itaque ſub Iohanne 9. Formoſo reſtituto in ordinem Pontificum acta hujus concilij reſciſſa ſunt. Dicunt Iohannem re melius inveſtigata Formoſum reſtituiſſe. At hujus judicium Sergius 3. iterum damnavit, Formoſiq; in Tiberim effoſſum ſecundo cadaver truncatum capite mutilatumque digitis abjecit. Quæſtio hæc non facti ſed juris agitabatur: *Num Papa*

Papa possit in juramento legitimo dispensare, nempe, ne quis, quod jurato promisit ipsi Deo, teneatur servare. Hæc de potestate Papæ disputatio contrariis conciliis agitata satis ostendit quantum Pontificiis decretis tribuendum sit.

Concilium Romanum sub Nicolao 2. erravit, in quo definitum est, non modo sacramentum corporis Christi, sed ipsum etiam verum corpus Christi (voce propriè accepta) tractari & frangi manibus sacerdotum & fidelium DENTIBVS atteri. Verba Berengarij sunt perspicua. Corpus & sanguinem Domini non modo in sacramento, sed sensualiter, in veritate, manibus tractari, frangi, atteri. Bell. apertè huic concilio contradicit. *Non in se*, ait, *sed in signo.* Claudius Sanctesius Berengarij sententiam sic proponit: *ille asserebat in sacramento videri, tangi & percipi corpus Christi, non in proprio supposito. Sed Ecclesia contra decidit, non modo in sacramento, sed in veritate & sensualiter corpus* IPSUM *& sanguinem Christi videri, tangi, dentibus atteri.* Idque Canus haut dubie hujus concilij autoritate oppressus concedit. *Ipsum nempe Christi carnem videri, tangi, in panis locum successisse, ut ei omnia conveniant, quæ panis erant.* Item Alanus Cardinalis: ipsissimum corpus & sanguinẽ Christi vere à nobis contrectari, manducari, circumgestari, carni no-

De consecr. dist. 2. c. ego Berengarius.

in repetit. 9. cap. 6.

l. 5. cap. ult. Loc. theo.

l. 1. de Eucharistia c. 57.

ni nostræ immisceri, frangi, dentibus atteri, in hoc aut illo vase collocari & sensibiliter sacrificari NON MINVS quam ante consecrationem PANIS TRACTABATVR. Idem Bellarmini fractionem IN SIGNO respuit, contraque eandem in ipso Christi corpore constituit. Roffensis: *Si carnem quæ pro nobis in cruce fuerit immolata, neges in os nostrum sumi realiter, & edi & transglutiri, perperam cogitas.* Sanctesius. *A dentibus nostris vere circa carnis illius substantiam exercetur actio.* Sebastianus Michaelis. *Dicebam manducationem esse realem ut* ALIORVM CIBORVM, *quandoquidem per os nostrum & organa manducationis transeat, atque in nos ingrediatur.* Cæsar Bulengerus: *Sufficit accidentia mandi & teri, corpus autem cum accidentibus descendere in stomachum.* Bonaventura. *Quantum ad substantiam, certum est, quod non vadit in mentem, sed utrum sic vadat in ventrem dubium est.* Alij, *quod non solum in ventrem, sed etiam quocunque species deferuntur, salva natura illarum, sive in ventrem muris, sive in locum immundum.* Alij, *quod non solum in ventrem hominis vadit, sed etiam ibi manet, quamdiu species ordinabiles sunt ad refectionem.* Alij, *quod ad ventrem pervenit, quousque species incipiunt consumi.* Alij, *quod corpus solum est cum speciebus quamdiu hæ visu vel gustu sentiuntur.* Tandem probabilem ait sententiam esse:

Lib. 3. contra Oecolamp. cap. 1. — cap. 3. — resp. 2. c. 20. — l. 4. c. 2 contra Plessæum. — q. 2. a. 2. in part. 2. dist. 13. — O Disputatores!

esse : *Corpus Christi in ventre hominis manere.* Turrecremata: *Prima opinio, quæ dicit, quod corpus Christi defertur, quocunque species deferuntur, in ventrem canis vel suis vel in loca immunda, videtur vera. Salvo enim Esse specierum vero adhuc non desinit esse sacramentum nec Christus sub specie panis.* (addo ego, nec TOTA TRINITAS.) Thomas de Aquino. *Corpus Christi sub speciebus manet in ventre peccatoris, quamdiu substantia panis maneret, si adesset.* Bonaventura. *Sententia securior est & autoritatibus magis concordat, quia corpus Christi cum speciebus descendit ad stomachum, & sub illis est, quamdiu illæ sunt sub propria forma,* EVOMI. Quale sit hoc dogma Transubstantiationis ex actis Gregorij VII. liquet. Hic adeo dubius fuit de hoc capite R. Religionis, ut satis liqueat, id à tota Ecclesia ipsius tempore receptum nondum fuisse. Iejunium Cardinalibus indixit, ut Deus ostenderet, uter rectius sentiret de corpore Domini, Romana Ecclesia, an Berengarius. Hinc Roffensis ingenuè testatur se decretum Concilij non posse probare. *Quia,* ait, *Berengarius in alterum latus nimis exorbitasset, ideo concilium* PLVS ÆQVO *in alterum trahi.* Nec Lombardus hoc decretum approbat.

In Canonem Tribus gradib.

Quis pius hæc dogmata non exsecretur! art. 3. q. 80. q. eadem.

Benno de vita Hildebrandi.

l. 2. contra Oecol. c. 2.

Concilium Lateranense sub Leone x. sess. 14. probat & confirmat *Montes pietatis* (id

est fœnerationem & usuram) à Pio 2. institutos. Nihil differunt ab usura, quam semper Catholica Ecclesia damnavit. Licebat pauperibus multum accipere deposito pignore ea lege ut singulis mensibus aliquid pro mutuo solverent. Setus & Cajetanus membra hujus Concilij apertè hos montes damnant.

l. 6. de jure & justitia c 1 q. 6.

Concilium Lateranense generale sub Alexandro 3. part. 5. c. 1. erravit statuendo; post consensum legitimum utriusque partis de præsenti matrimonio licere alteri, etiam repugnante altera parte, monasterium ingredi. Hic error legitimas nuptias dirimit, eoque cum scriptura apertè pugnat. Qui enim semel sese legitimo consensu invicem obstrinxerunt, eos Deus conjunxit, adeo ut neuter postea juris sui sit.

dist. 99. c. primæ sedis.

Concilium Carthaginense 3. c. 26. excommunicationem illi denunciat qui se *Episcopum universalem*, aut *Pontificem supremum* vel *Principem sacerdotum* profiteatur. Hic error ex R. E. judicio non minimus. Idem pugnat cum Laodiceno, quod cap. ult. *Tobiam*, *Iudith*, *Baruch*, *Sapientiam*, *Maccabæos*, *Ecclesiasticum* à Canone scripturæ rejicit. Alterutrum horum Conciliorum in fundamento fidei erravit. Laodicenum à 6. Oecumenico approbatum est. Bellarminus ait: Patres Laodicenos *non Christianum* sed *Judaicum*

dist. 16. c. quoniam. c. sextam. dist. ead.

daicum canonem describere. Falsum. *Describunt eos libros qui pro Canonicis in Ecclesia legi debent, inter quos N. T. libros recensent.* Num solus Canon Iudæorum in Ecclesia legendus? Num Novi Testamenti libri ad Canonem Iudæorum pertinent? Nec Canon Iudæorum imperfectus fuit. His enim credita eloquia Dei, Rom. 3. 2. Tandem universa Ecclesia usque ad Augustinum nostrum Canonem docuit. Melito nostrum Canonem diligenti investigatione approbavit. Origenes non tantum veteris sed & novi testamenti libros describit. Ergo Canonem Christianum consignat. Athanasius eam scripturam recenset, quæ Christianorum est, & quæ Catechumenis legitur. Hilarius nostrum Canonem affert. Nazianzenus, Cyrillus Hierosolymitanus eos libros enumerat, qui ab Apostolis NOBIS commendati sunt. Hieronym. procul abjicienda docet, quæ non sunt apud Hebræos. In prologo Galeato describit eos libros qui *ad Ecclesiam pertinent.* Eusebius librorum V. T. Canonem ex Iosepho recenset. Denique universa Ecclesia primitiva (fictum Clementem excipio) Canonem nostrum approbavit. Nemo patrum ei contradixit. Non dubitarunt itaque aliqui eo tempore de Apocryphis; sed tota eos Ecclesia è Canone exclusit. De libris N. T. dissimile est. Athanasius in synopsi, Cypria-

Euseb. l.4. Hist. c.26. Idem l.6. c.25 In synopsi præf. in Psalmos. Carmine de S. S. libr. Catech. 4. præf. in Esdram. Hist. Eccles. l.3. c.12.

Cyprianus in symbolo, Hieronymus in Catalogo, illos de quibus dubitatio erat orta in Canonem receperunt. Vnde patet universam Ecclesiam de iis libris non dubitasse. At omnes Iudæi & Christiani apocryphos V.T. reprobarunt. Itaque vel Tridentinum concilium Apocryphis Canoni inserendis; vel universa primitiva Ecclesia cum Concilio Laodiceno & 6 œcumenico iis rejiciendis erravit. Objiciunt, Ecclesiam potuisse dubitare, quia generale Concilium de his libris nondum quicquam statuerat. R. falsum. Fuit enim *certus Canon* in Ecclesia primitiva, te-
l.3.c.10. ste Eusebio, Melitone, Origene, Hierony-
l.4.c.26. mo in prologo. *Quicquid extra hos, inter a-*
l.6.c.18. *pocrypha est.* Nazianzenus eosdem numerat viginti duos, & addit: *Quicquid extra hos est non est ἐν γνησίοις.* Athanasius in synopsi: *Omnis nostra, qui Christiani sumus, scriptura divinitus inspirata est, & libros habet non infinitos, sed finitos, ac certo Canone comprehensos.* Cyprianus in symbolo evidenti numero recenset ea omnia, *quæ divinitus inspirata & Ecclesiis Christi tradita fuerunt. In his*, inquit, *librorum numerum V.T. concluserunt.* Ergo Ecclesia ipsa praxi & acceptatione Canonem suum definivit. Augustinus à veteri Ecclesia primus dissensit. Sed autoritas totius Ecclesiæ potior opinione unius Augu-
l.2,c.8. stini. Loquitur de Canone morum. *Tenebit hunc*

hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures & graviores accipiunt, eis quas pauciores minorisve autoritatis Ecclesiæ tenent. Canon fidei æquali semper autoritate fuit. Nemo enim Catholicus de 5. libris Mosis dubitavit. Sed cur Augustinus Christianos ad infallibile judicium Cathedræ Romanæ non ablegat? Hoc certè cum tota Ecclesia ignoravit, secus ac Tannero & Gretsero videtur.

Baronius mentionem Concilij Romani sub Gregorio 7. facit, ubi declaratum & definitum est, *non esse aliud nomen sub cælo quam Papæ: nullum capitulum, nullumque librum* (ita nec Esaiam Prophetam) *Canonicum esse sine ipsius autoritate: cunctos reges teneri ipsi pedes osculari.* anno 1076.

Concilium Florentinum determinavit, *Papam dogmata posse symbolo fidei adjicere.* anno 1440.

Concilium Lateranense *scripturas ad pedes Papæ* dejecit, eumque *regem similimum Deo* declaravit, quem *cunctæ nationes teneantur adorare: cui omnis potestas in cælo & in terra data sit: qui sit Leo Iudæ, radix Davidis, servator Sionis, Majestas divina.*

Tandem R. E. in jure suo non sine aperta & insigni blasphemia in spiritum sanctum Decre- Dist. 19. Can. in Canonicis.

Decretales Papæ inter libros Canonicos adnumerat. Ex hisce certum & evidens esse judico, Conciliorum autoritatem supremam & *ἀνυπεύθυνον* haut esse, quod sane Augustinus exserte profitetur. Nam ut non vult ipse stare autoritate Concilij Ariminensis, ita non vult exigere, ut Maximinus stet Nicæni Concilij autoritate. *Sed nunc nec ego,* ait, *Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre concilium. Nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris: scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utrinque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Respondent Maximinum non teneri autoritate Concilij Nicæni, quia Augustinus promisisset se ex scriptura cum eo disputaturum, non teneri itaque *in hac disputatione.* R. *Detineris*, ait, non *detinearis.* Deinde cum ait: res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet, quid evidentius ad astruendam scripturæ supremam autoritatem dici potest? Cur scripturæ autoritatem utrique parti communem in disputando conciliis præfert? Cur præjudicium ait ex Conciliis nasci? Cur utriusque parem rationem asserit esse in Conciliorum autoritate rejicienda? Cur rem mali exempli in Ecclesiam inducit? nempe ut rejecta Conciliorum autoritate suprema, hæreticum ad scriptu-

l. 3. contra Maximinum.

l. 2. de baptismo contra Donatist. c. 3.

ſcripturam compellat. Cur non objicit illud Magiſterium infallibile Cathedræ Romanæ? ſed alio loco clariſſimè. *Quis neſcit ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones fiunt, plenariorum conciliorum autoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere: ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & agnoſcitur quod latebat, ſine ullo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, &c.* Reſpondent, cum de facto agitur, plenaria concilia errare. Nam in cauſa Donatiſtarum de facto, non de jure tractatum fuiſſe. R. ſic periit firmitas traditionis: *Num Petrus Romæ fuerit.* Nam hæc traditio facti, non juris eſt. Deinde reſpondeo falſum eſſe quod de facto quæſtio fuerit. Catholici enim Donatiſtis dabant inter diſputandum Cæcilianum peccaſſe; tantum negabant ab Eccleſia ideo diſcedendum. Hæc ſane quæſtio juris eſt, *an propter peccata paſtorum Eccleſiæ communio deſerenda ſit?* At Auguſtinus de experimento loquitur. Reſpondeo Conciliorum decreta quæ ad mores pertinent ſæpenumero ipſa experientia illegitima deprehendi, ut ſpecioſum decretum de cœllibatu ſacerdotum experientia impium eſſe docuit. Imò Auguſtinus à moribus ad fidem progreditur. *Quis neſcit ſacram ſcripturam Canonicam certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus*

Epi-

Episcoporum literis præponi ? Itaque addit: *cum cognoscitur quod latebat*. Eodem judicio Hieronymus est. *Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant concilia, nefas duco.* Hinc Isidori regula licet Augustini consilio de recentibus præferendis contraria usui tamen esse potest. *Quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia invenitur, illius Concilij magis sententia teneatur, cujus antiquior & potior autoritas extat.*

In Epist. ad Galatas.

Dist. 50. Canon. Domino Sancto.

CAP. V.

Papatus corruptissimus paulatimque vires eundo acquirens Ecclesiam obscuravit, non extinxit.

SIngulis seculis pij & constantes Doctores exorti sunt, qui erroribus se ingruentibus imo inveteratis opposuerunt, ut Ecclesia omni conspicua forma nunquam caruerit. Hoc ex lectione antiquitatis Ecclesiasticæ patet. Itaque omnino distinguimus Ecclesiam in qua Papatus fuit, ipsumque adeo Papatum & regnum Antichristi. In illa salutem omnes Christiani invenerunt; in hoc exitium cuivis pertinaci Idololatræ expectandum est. Nunquam Eccle-

sia Christi in terris esse desinit; quia Deus decrevit eam conservare. Christus se ei adfuturum ad finem seculi pollicitus est. Propheta Esaias testatur, *totum populum fore instar Sodomæ ac Gomorræ, nisi Deus reliquias quasdam conservasset.* Paulus: *Quos vocavit, justificavit.* Christus Ecclesiam petræ inædificavit tutam à portis inferni conservandam. In quem locum Iansenius. *Sensus est, regnum Diaboli regno Christi infestum esse, hoc variis modis ab illo oppugnari, nunc per blandicias & voluptates, nunc per persecutiones & falsa dogmata, nunquam vero Diabolum prævaliturum.* Ferus: *Loquitur de Ecclesia secundum Spiritum, quæ solos electos complectitur.* Defectio contigit in Apocalypsi prædicta. *Adorabunt bestiam omnes, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ.* Ribera ipse fatetur in hunc locum, *Ecclesiam tempore Antichristi ex prædestinatis constare. Qui Spiritum Christi non habet, is non est ejus,* teste Apostolo. Christus enim in veris suis membris operatur. Impij ex hoc corpore ut humores & stercora egeruntur. *Christiani non sunt,* teste Toleto, *qui viva fide Christi carent: Membra Christi cum capite suo resurgent,* ut Maldonatus docet. Ecclesia itaque Catholica, ex veris Christi membris composita, est *templum Dei*, ut Origenes loquitur: *quod ex lapidibus vivis ædificatur, ubi verus Israel est.* Hiero-

cap. 1.
Rom. 8.
Concord. in hunc locum.
Cap. 13.
Rom. 8.
In Rom. 8.
In Ioh. 16.
In Iohan.

In Ps. 101. Hieronymus: *Electi sunt Dei Ecclesia. Si hortus conclusus est sponsa Christi Ecclesia, patere ea prophanis & alienis non potest.* Cyprianus: *Quid est sponsa Domini, nisi congregatio justorum?* Augustinus: *Ecclesia est ovile Christi. Oves sunt quas nemo rapiet. Habent enim nomina inscripta in libro vitæ.* Bernhardus: *Vinea Domini est Ecclesia prædestinatorum.* Mortua membra non nisi æquivocè talia dicuntur. Bellarmini & Costeri somnia relinquimus. quorum ille ait, *impios esse vera Christi membra sed non viva*; hic *Christum possidere membra damnanda.* Sola externa fidei professio efficit ut Hypocritæ membra Christi vera VIDEANTUR; minime ut talia SINT. Hugo docet nihil in hoc corpore Christi mystico mortuum esse, quia Spiritus Christi in omnibus hujus corporis membris efficax est. Itaque extra dubium est semper fuisse illum *numerum justorum, qui secundum propositum vocati sunt, de quibus dictum est, Novit Dominus qui sint sui.* Interim hoc tristissimâ experientiâ convicti dicimus! Ecclesiam Dei non semper gloriosam & conspicuam externa professione sinceræ fidei Christianæ floruisse, verum aliquoties superstitione, erroribus, idololatria, malisque moribus oppressam & obscuratam latuisse. Hanc obscurationem Ecclesiæ defectio ista magna ab Apostolo prædicta invexit, ubi expresse ait, *filium*

Epist. 76.

Tr. 45. in Ioh.

Serm. 68. in Canticum.

August. contra Donat. l. 5. c. 27.

filium istum perditionis propediem revelandum: & *mysterium iniquitatis jam tum coeptum fuisse* peragi. Hoc mysterium iniquitatis mysterio pietatis opponitur, quod statim à lapsu Adæ cœpit, sed stato tempore completũ fuit. Hæreses evanescunt, hoc malum per omnia secula serpere debebat. Mysterium vero iniquitatis in N.T. *Papatus* est, nempe Oecumenicus primatus jurisdictionis in Ecclesia. Hoc mysterium Papatus temporibus Apostolicis non defuit. Hinc Paulus id operam dat, ut se iis exæquet, qui columnæ videbantur, nempe filiis Zebedæi & Petro, quibus Christus singulari privilegio nomina commutarat: quæ commutatio frustra à Deo non fit. Ita fundamenta Antichristianismi in Petro *passive* non *active* fuerunt; (ut idolum aliquod potest esse sanctus nempe aliquis passive) id est Petro contra Christi mandatum primatus iste delatus est hodieque defertur, quem Papæ sibi arrogant. Certè cum Christus *primus* sit: Antichristus *primus* volet esse, usurpatione dignitatis Christi, quæ in tribus officiis, Prophetico docendi, sacerdotali offerendi, regali gubernandi Ecclesiam consistit. Quis hæc sibi tribuit? Quis sibi jus in conscientias arrogat? Quis instituit incruentum sacrificium? Quis traditionibus pari pietatis affectu ac mandata Dei suscipiendis & exsequendis Ecclesiam

Ad Gal. c. 1. & 2.

clesiam obruit? Quis solus infallibilem se judicem & Doctorem Ecclesiæ totius fert? Quis autoritatem scripturæ ab Ecclesia, & Ecclesiam à suo arbitrio suspendit? In Apocalypsi Deus populum suum jubet, *Babylone egredi*. Ergo aliquamdiu populus Dei Babylone debuit latere, & quidem ad certum tempus. *Male* (itaque Papistas) *parietum amor cœpit: male Ecclesiam Dei in terris ædificiisque venerantur. Montes interdum & lacus & carceres tutiores sunt.* Qualis splendor & amplitudo status Ecclesiastici tempore de quo Hieronymus in hæc verba quæritur: *Ingemuit totus orbis & se Arrianum esse miratus est. Rarum olim erat*, inquit Hilarius, *apud Orientales invenire Episcopum, vel populum Catholicum.* Bellarminus: *Hæresis Arriana Ecclesiæ Catholicæ universæ quasi quandam ignorantiæ noctem offundebat.* Gregorius de Valentia fatetur: *Ecclesiam iis aliquando errorum, schismatum & persecutionum fluctibus obrui, ut imprudentibus cognitu difficilis fiat: Arrianam hæresin pene toto orbe dominatam Ecclesiæ navem fere obruisse.* Tandem huc evadit: *non negandum esse, quin Ecclesia alio atque alio tempore cognitu difficilis sit.* De occidente res clarissima testimonio Alphonsi à Castro, haut diffitentis: *Arrianam hæresin ab ortu solis & meridie per Græciam in Aquilonem transivisse, indeque Gothos egressos totum fere Occidentem infe-*

Cap. 18.

In fragm.

l. 3. de Ecclesia milit. cap. 16.

Analys. l. 6. cap. 4.

De hæres. l. 3. hæres. 6.

infecisse, eamque pestem trecentos & amplius annos durasse. Lindanus narrat; *Hieronymum in Chronicis ex Eusebio memoriæ prodidisse: omnes pene toto orbe Ecclesias Arrianorum consortio pollutas fuisse.* Hoc itaque Nazianzeni crebris sermonibus usurpemus: *ubi sunt qui Ecclesiam multitudine definiunt, & exiguum gregem aspernantur?* Canus non diversus abit: *Quadraginta Prophetæ Achabi mentiti sunt; ex ore solius Michæ viri contemptibilis veritas egressa est. Non itaque numero suffragiorum sententiam metimur. Sapientes pauci sunt: stultorum infinitus est numerus.* Chrysostomus nos jubet minime dolere multitudinem sectarum. *Idem enim Prophetarum tempore contigisse. Plures enim semper Pseudo-Prophetas extitisse, quorum comparatione veri Prophetæ clariores evaserint. Morbo enim sanitatem, tenebris lucem, tempestate tranquillitatem clarius demonstrari & cognosci.* Hinc certe satis apertum est verum esse quod S. Ambrosius docet: *ut luna ortus suos & defectus habet frequentes: sic Ecclesiam itidem habere, quæ à Christo lumen suum mutuetur.* Quis status Ecclesiæ veteris Ægypti vinculis constrictæ? Videatur ille apud Prophetam Ezechilem, ubi Deus ait: *se populum adhortatum fuisse ad idola abjicienda; sed ne unum quidem mandato paruisse.* Num Ecclesia conspicua fuit infidelibus sub regibus Achaz & Manassis, templo

Panopl. l. 4. c. 6.

Orat. contra Arrianos.

Locorum Theol. l. 5. c. 5.

Hom. 46. in acta.

In Hexaem. l. 4. c. 8.

Cap. 20. 18.

2 Chron. 29. 6. 7.

templo clauso quod unum in toto orbe divino cultui destinatum erat, inque omnibus urbibus Iudææ idolis erectis, altarique idolis constructo in templo Ierosolymitano ab ipso summo Pontifice Vria? Manasses regnum 52. annos eo modo Ecclesiam evertendo administravit. an vero licet exercitium religionis sublatum fuerit, cædes piorum Ecclesiam conspicuam reddidit? Conspicua forma Ecclesiæ tunc cessat cum nullus publicus conventus ad religionis officia exercenda instituitur. Religio in quibusdam Martyribus apparebat; Ecclesia vero formam externi cultus totam amiserat. Quot præterea dies in

2 Chron. 15. Israele effluxerunt *sine Deo, Sacerdote, & lege?* Per Israëlem non 10. tribus intelliguntur. Hæ enim post defectionem nunquam ad verum Dei cultum recipiendum conversæ sunt. *Hic autem Israel cum ad Deum conversus est, eumque quæsivit, invenit.* Quæro etiam de Romana Ecclesia, an 1400. annis à conditu omnibus gentibus conspicua fuerit? Nego. infinitæ gentes in noto orbe Romanam Ecclesiam ignoraverunt, religionis Christianæ nullo sensu imbutæ. De Indis Occidui & Orientis orbis res nautarum experimento comprobata est. Paulatim ajunt omnibus gentibus innotuit. Sed hoc non sufficit. Volunt enim ideo semper Ecclesiam conspicua forma externæ professionis in oculos incur-

risse

riſſe mortalium, *ut nemini aditus ad Eccleſiam interclusus eſſet*. Quæ ratio ſi quicquam valet, hoc omnino evincit Romanam Eccleſiam ſemper ab omnibus gentibus conſpectam & agnitam fuiſſe. Nam alias plurimis janua Eccleſiæ adeundæ occluſa fuiſſet, quod tamen in abſurdis habent. Cur etiam mulieri *alæ* datæ ſunt, ut in eremum fugiat ibique ad tempus commoretur? Nonne ajunt Antichriſtum *juge ſacrificium* abrogaturum? Itaque Eccleſia R. tunc formam externi ſplendoris planè amittet. Auguſtinus: *Eccleſia non apparebit, impiis perſecutoribus ultra modum ſævientibus*. alibi: *Eccleſia in iſta mutabilitate carnis conſtituta, propter ipſam mutabilitatem, Lunæ nomine in ſcripturis ſignatur*. Ambroſius: *Videtur ſicut luna deficere, ſed non deficit. Obumbrari poteſt, deficere non poteſt*. Hoc itaque notandum eſt ad multas objectiones Papiſtarum diluendas, non abſolute in externo ſemper cultu Eccleſiam defeciſſe ſed *comparate*. Nam initio clariſſima fuit, quod dicta Prophetarum teſtantur, poſtea obſcurata *Arrianiſmo*, ut adverſarij fatentur, deinde penitus ſed paulatim *Papiſmo* everſa, nempe quoad externum ſtatum, donec iterum veteri ſplendore effulſit. Prædicatio verbi Dei nunquam planè extincta, ſed obſcurius nec ſine *admixtu fermenti Phariſaici* propagata ſemper diſcrimen inter populum Dei & gentes oſtendit,

Apocal. 12.

Epiſtola 80. ad Heſichiū. Ep. 119. c. 6.

l. 4. Hexam. c. 3.

dit, sed quale olim. Hoc quod de prædicatione diximus, testimonio adversariorum probandum est. Espensæus. *Olim quidem Leo* 1. *negavit sibi liberum esse tacere & populo sermonis officium subtrahere.* Gregorius: *Absque tintinnabulis nec sancta ingredi Pontifici licebat, nec Antistitis nomen possidere. Audiatur Pastor sonitu prædicationis. At quotusquisque prælatorum majorum minorumve populum suum docere videtur? Certe ex nostratibus Episcopis (qui Tridenti pars aliquota fuerant, ubi prædicandi munus prælatis tanquam præcipuum officium impositum est) nemo per se docet. Ludimus in re seria? An potius decretorum specie reformationem poscentibus illudimus? Novi ex istis qui se ad istam docendi servitutem teneri præfracte negant. Res nobis est cum iis quibus nulli magis concilia, patres, Ecclesiam clamitant, & tamen functionem suam maxime sibi propriam & necessariam doctrinam abjiciunt. Non obtinebis, ajunt, ut Episcopi Cathedras rursus conscendamus, quas Theologastris & Fraterculis libenter concessimus.* Idem Espensæus de iis qui munus prædicandi obeunt. *Lex periit à sacerdotibus. Recitant pro historiis fabulas: pro seriis joca: pro veritate mendacia: pro virtute fidei portenta dæmoniorum.* Eccius. *Nostrates prælati ordinem invertunt Apostolicum, dum spiritualia graviora quam quæ subeant rati, in pontificalibus suffraganeorum, in judicialibus*

Com. in Tit. 1.

Epist. 24.

Lib. 6. serm. 19.

Hom. 2. de festo S. Steph.

bus officialium, in absolvendis pœnitentiariorum ope utuntur, in prædicatione Monachum nescio quem præferunt. Sin qua in re de censu & temporalibus agitur, res hæc ad Dominum nostrum Episcopum referenda est. Durandus. *Desperata est salus Romanæ Ecclesiæ; in quam dictum Esaiæ convenit. Erit cubile draconum.* Ferus ingenuè fatetur, si ipsi Petri successores eodem modo usi fuissent potestate sua quo Petrus, neminem Christianum eam inpugnaturum fuisse. Platina. *Ex hoc neglectu, luxu & avaritia cleri factum est ut vitia Papatus adeo creverint, ut vix ullum misericordiæ divinæ locum reliquerint. Quanta sit sacerdotum avaritia, quanta libido, quanta ignorantia suipsius, tum doctrinæ Christianæ; quam parva religio & simulata potius quam vera, quam corrupti in secularibus mores sint, quid attinet dicere?*

De conc. tit. 27. & 32.

In vita Marcellini.

Sed ad Espensæum Episcopum redeamus. *Nos proh dolor ex Pacificis in litigiosos degeneravimus, eaque est hodierna Ecclesiæ praxis, ut quæri serio soleat Theologusne an Canonista sit ad Episcopatum aptior? Dicunt quidam priscis quidem Episcopis Theologiam magis convenisse. Hodie vero contra jurisperitiam magis congruere, quia plures accidunt quæstiones ad jus quam ad fidem spectantes. Sed longe aberrant, quia Episcopi non minus hodie quam antea prædicare tenentur, quibus non minus jam quam tunc in consecratione prædicandi officium imponitur.*

In 1 Tim. digress. l.2.c.9.

Prædicationis autem materia est divina scriptura. Hanc igitur docere magis tenetur quam Canones. Salmeron. *Si cætera membra corporis ad multa officia conveniant, ut lingua ad gustum & locutionem; oculus tamen unicum officium habet.* Peraldus. *Est regimen* teste Fr. de Victoria *animarum ars artium, ut non possit unus & idem utrumque munus implere administrandi secularem & Ecclesiasticam potestatem. Olim,* inquit Ferus, *Portenti instar habitũ fuit, si pro Episcopo haberetur, qui non etiam reipsa verum & proprium Episcopi munus exhibuisset; quod hodie plus quam monstri loco habetur, si quis exhibeat: quos cum temporum natura, scriptura, Ecclesia, concilia, Pontifices, Patres, Cæsares, superi, inferi accusent damnentque, quis est qui absolvat?* Nec tantum nostra patrumque memoria Ecclesia in talem statum recidit, ut verbi divini prædicatio sincera ab Episcopis neglectui habita sit: sed etiam seculis retroactis, ut omnium fere temporum historiæ testantur. Nicolaus Clemangis Archidiaconus in Gallia librum edidit, qui publicè in Concilio Constantiensi prælectus est. in eo hæc quæritur: *Exercitatio & meditatio scripturarum deridetur & illuditur, idque ab ipsis Pontificibus, qui suas traditiones longè pluris faciunt quam mandata Dei. Ministerij Ecclesiastici functio in tanto contemptu est, ut indigna Episcopali dignitate videatur. Prædicant* per

Tract. 18. in parab. Hom. div. aum. 1.

Tom. 2. tr. de avarit.

Relect. 1. q. 1.

De corrupto statu Eccles.

per alios. At in debitis personalibus debitor non absolvitur, si id per alium facit quod debet. Mandatarius quod in mandatis accepit, alii mandare non potest. Monachos vocat *lupos pellibus ovinis amictos, diabolos se in angelos lucis transformantes, pharisæos, hypocritas, sepulcra inalbata,* verbaque Pauli 2 Tim. 3. ad eos accommodat. Theologiam totam R. E. *Pomis Sodomiticis* comparat, exterius pulchris, intus fuligine plenis. *Legendas* sanctorũ, ait *locum scripturarum* occupare, *Sanctos* locum ipsius *Dei*. Hinc merito Cassander queritur in hæc verba: *Quam longe monachatus hodie* à prima sua *origine degeneravit, & quantis abusibus contaminatus & deformatus sit, satis per se manifestum. Nam paulatim religio vera & solida in superstitionem & inanem speciem religionis conversa est, & accrescentibus opibus decrevit pietas, & in ejus locum larvæ ceremoniarum successerunt.* Non mirum itaque quod Marcellus Palingenius id hominum genus ita describit:

Consult. art: 25.

In Leone ad Herculem 2. Ferrariæ ducem.

Sed tua præcipue non intrent limina quisquam
Frater vel Monachus, vel quavis lege sacerdos.
Hos fuge. pestis enim nulla his immanior, hi sunt
Fax hominum, fons stultitiæ, sentina malorum,
Agnorum sub pelle lupi, mercede colentes
Non pietate Deum, falsa sub imagine recti

Decipiunt stolidos, & religionis in umbra
Mille actus vetitos, & mille piacula condunt.

Non est hoc unius Marcelli judicium sed totius Orbis, teste Concilio Lateranensi. *Totus fere mundus scandalizatur & male loquitur de tanta copia mendicantium, qui in mundum intrarunt, Trutannii dicti.* Concilium ipsum fratrum istorum pudet pigetque.

Tom. 4. Conciliorum.

Insigne patrum societatis encomium in epistola Adriani Turnebii ad Cardinalem Lotharingiæ extat.

Quæ nova surrexit secta & mentitur Iesum
Dulce latrociniis protendens nomen opertis
Tartareis emissa vadis, spoliaria plebis
Instituit, speratque suos ditare latrones.
Jamque gregem pascit simulatio dira rapacem,
Semper inundantem viduarum è viscere prædas,
Fallentem pueros & inertia pectora vulgi.

C. at si clerici. §. de judic.

De grege sacerdotum Constitutio Alexandri 3 notanda est, qua ob adulterium decernit officium non esse abrogandum, nisi majori culpæ affinis sit. Quales Theologos Concilium Tridentinum habuerit, Stella docet Pontificius Theologus nullius novitatis suspectus, nempe *ligna elignia, lapides mutos, Episcopos qui ab aliis doceantur & dirigantur quid respondendum sit.* qua in re à risu sibi nequit temperare. De prædicatoribus

Com. in Luc. 6. 39. p. 184.

Holcot

Holcot scribit, *Si audiat* (simplex Vetula) *prælatum prædicantem errorem, quem nescit esse talem, & credat ei, non peccat, sed tenetur errare, quia tenetur ei credere, imo meretur volendo credere errorem.* Quales Canonistas habeamus Zabarella Cardinalis describit, nempe *eos tales glossas juris Canonici edidisse, ut Papæ persuaserint, ipsi omnia licere. Unde innumerabiles errores exorti sunt, dum Papa aliarum Ecclesiarum jura ad se trahit, ita ut nisi Deus Catholicæ Ecclesiæ succurrat, naufragium factura videatur.* Canonicos seculares Crantzius vocat, *Monstra sine exemplo, Regulares Irregulares, Canonicos sine Canone.* Non ab re Carranza: *Puduit me, ut ingenue fatear, morum nostrorum: expuere libet in sinum subinde repetendo. En à quanto culmine decidimus! Nihil fere convenit præsenti rerum statui, si quis attente conferat cum illo, quem cernere licet in scripturis conciliorum.*

In 1. sent. q. 1. Lit. R. §. ad sept. princ.

De schism. circa annum 1406.

In tomos Conc. præf.

Speculum aureum: *Tota Romana Curia à planta pedis usque ad verticem excæcata est erroribus. Ista curia inebriat veneno errorum fere omnes partes terræ. Hac de causa murmurant fere omnes, sed nemo clamat.* Otto Frisingensis: *Roma crevit divitiis & potentia, decrevit autem in veritate & justitia.* Aventinus in annalibus: ***Amisso puro veritatis fonte ad lacunas lutosas convertuntur, & pietatem quæstum, religionem prædam existimant. Homines***

Anno 1404. in præf.

mines suaves, cœli se adituos faciunt, ubi nec fuerunt nec sunt, nec erunt unquam nisi nugari desinant. Petrarcha: *Spes vitæ futuræ, infernus, resurrectio carnis, finis seculi, Christus venturus ad Judicium, Hæc omnia in Gallica Babylone* (Papatus Curia) FABULA. Fasciculus temporum statum Romanæ Ecclesiæ cum temporibus Jeroboami vitulos in Israële erigentis comparat. Guilielmus Episcopus Parisiensis. *In Romano Clero neque pietas neque eruditio, sed diabolica turpitudo omnium vitiorum. Non sunt Ecclesia, sed Babylon, Ægyptus, Sodoma. Restituunt Luciferum in cœlum.* Joannes Sarisburiensis: *in Ecclesia sedent Scribæ & Pharisæi, importabilia onera hominibus imponunt, quæ digito ipsi non attingunt. Papa R. fere omnibus molestus & intolerabilis.* Lambertus Schafnaburgensis Monachus: *Zizania totum sacri gregis corpus quasi tabe quadam infecerunt. ô mores! ô tempora! ô abominationem desolationis stantem in loco ubi non debet, & Mammonem nostris temporibus publicè sedentem in templo Dei, ut extollat se super omne quod dicitur Deus aut colitur.* Gerson Cancellarius Parisiensis. *Fateor, abnegare non possum, multa inter Christianos simplices sub specie religionis introducta esse, quorum sanctior esset omissio.* Eberhardus Ep. Saltzburgensis nomine Episcoporum Germaniæ, *Hildebrandus Papa ante annos 170. sub*

Ep. 18. sine titulo.

De collat. benef.

Ep. in Polycrit. l. 6. c. 24.

sub specie religionis fundamenta antichristiani regni jecit. Papæ Babylonis cupiunt soli regnare; non cessabunt prius quam omnia pedibus conculcarint, seque in templo Dei collocarint, sustulerintque super omne quod colitur. Loquitur magna quasi Deus esset. In corde nova consilia agitat de imperio ad se transferendo: mutat leges. Hic est filius perditionis quem nominant Antichristum; in cujus fronte nomen blasphemiæ scriptum est: Deus sum, errare non possum. Hinc Mantuanus:

Respublica Christi
Labitur, ægrotatque fides jam proxima morti.

Aventinus. *Gregorius 7. ausus est dicere, Christum sibi gladium utrumque dedisse. Tum inceperunt tempora periculosa, quæ cavenda Christus, Petrus, Paulus monuerunt. Species pietatis loco veræ religionis subiit: Theologia inventis humanis contaminata est.* Bernhardus præsente Papa: *Nunc non habemus mercenarios pro pastoribus, nec lupos pro mercenariis, sed pro lupis habemus diabolos.* Alio loco. *Egressa est iniquitas à senioribus, judicibus, Vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere, ut populus ita sacerdos, quia nec sic populus ut sacerdos.* Alibi: *Dæmonum magis pascua hæc quam ovium, si auderem dicere.* Item alio loco: *Videtur o bone Jesu tota Christianitas contra te conjurasse; à planta pedis ad verticem nihil sani: Fœtens ulcus Ecclesiæ corpus*

An. Bojorum l. 5. & 7.

In Concilio Rhemensi.

De conversione Pauli.

De Consid. ad Eugenium.

Ep. 42.

corpus depascitur. Sunt servi Christi & Antichristo serviunt.

Alibi. *O Domine, sacerdotes tui facti sunt tonsores: prælati, Pilati: doctores, seductores.* Baronius de Romana Ecclesia: *Omnis caro corrupit viam suam. Non opus diluvio ad abluenda peccata, sed igni cælesti quo tanquam Gomorra consumatur.* Seculo 8.9.10. quam egregios prædicatores verbi divini Roma orbi dederit, ipse Baronius testetur, nempe Apotacticos, Apostaticos. Sed qualis Rex talis grex! Quid studio sibi Vicarii plerique Christi ante trecentos, quadringentos, quingentos annos habuerunt aliud, nisi ut armis Imperatores Romanos subigerent? Quanta in Europa hinc strages hominum?

Vol. 11. an. 1049.

Beda. *Videt quisque non sine lacrymis rem indignam, quantum Ecclesiæ status ad pejora quotidie & infirma devolvatur!* Basilius Episcopus Cæsareæ jam olim hoc ulcus Ecclesiæ tetigit: *In Ecclesia ait magnum dissidium & vehementem multorum, tum inter ipsos tum contra divinas scripturas dissensionem observavi, & quod horrendissimum est, ipsos Ecclesiæ præsides in tanto animorum & opinionum dissidio inter se constitutos, tantaque contrarietate mandatis Dei nostri Jesu Christi repugnantes Ecclesiam Dei crudeliter dissipare, & gregem illum absque ulla misericordia dissipare, ut in ipsis nunc verè impleatur illud Apostoli: Ex vobis*

Lib. de Sp. S. c. ult.

vobis ipsis exsurgent viri perversa loquentes. Ephrem Syrus: *Angelicum ferimus habitum, sed cum Diabolo militiam gerimus.* Ambrosius. *Qui debuerant esse Vicarii Apostolorum, facti sunt socii Iudæ & præambuli Antichristi.* Hieronymus. *Ex quo crevit avaritia in Ecclesia, periit lex à sacerdotibus & visio à Prophetis.* Augustinus. *Ecclesia humanis traditionibus obruta & corrupta est adeo ut Judæorum sub lege tolerabilior conditio fuerit, quam Christianorum sub Evangelio*, ut in epistola ad Januarium testatur.

Ex hisce brevissimè decursis testimoniis liquet, malis moribus, commentis traditionum humanarum, foliis ceremoniarum, neglectu Ministerii Ecclesiastici, atheismo, erroribus, idololatria, turpissimis monstris mendicantium Monachorum, variis sectis scholæ Pontificiæ, abusibus & corruptelis puro grano fidei admixtis, quas tempus, ambitio, avaritia, negligentia, ignorantia & aliæ pestes in Ecclesiam invexerunt, veram Ecclesiæ faciem obscuratam fuisse. Sed hoc in posteriore parte, ubi de doctrina papatus propria agemus, uberius patebit. Nihilominus videmus Deum Ecclesiæ Pastores dedisse, sed ejusmodi subingressos esse, qui oves in ea pascua duxerunt quibus etsi virus inerat admixtum, nihilominus tamen etiam inerat unde pascerentur. Ut hepar è chilo purissi-

purissimam partem ad sanguinem generandum attrahit: ita tum boni Christiani excrementa Papismi rejecto, fidei sane dogmata attraxerunt & in succum & sanguinem converterunt. Christus discipulos ad Pharisæos sedentes in Cathedra Mosis ablegat, qui tamen oves ad corrupta pascua ducebant. Nam fermentum Pharisæorum cavendum monet. Duplex itaque in Ecclesia doctrina, Christi & Antichristi sonuit. Quatenus prior illa locum habuit, Ecclesiam cōstituit; quatenus posterior priorem oppressit, Synagogam Sathanæ produxit, in qua nulli salus contigit. Sed verbum Christi veneno doctrinę Antichristianę infectum quomodo oves potuit pascere? Bernhardus: *Non ut sacerdos, ita & populus.* Venenum ab omnibus non receptum fuit quod Pastorum nequitia auditoribus propinavit. Antidotum à Spiritu Sancto vim veneni extinxit. Animi simplicitas non simulatè sed verè Deum studentium colere Ecclesiam conservavit. Quàm multi fuerunt qui non noverunt quid doceretur? Quàm multi qui norunt sed minimè probarunt? Quam multi noverunt & probarunt omnia quæ credi & agi jubebantur, sed ex mera animi simplicitate, seque vel metu schismatis vel spe correctionis in Ecclesiæ Romanæ communione continuerunt. Num continuo omnis error ex simplici-

plicitate cordis creditus ſignum eſt animi à Chriſti Eccleſia alienati? Fuerunt haut dubiè ſigna plurima quibus errores iſtos potuiſſent deprehendere, ſed extra æſtum tentationis conſtituti animum non advertenrunt, ut plerumq; fieri in agone mortis conſuevit, ubi totam ſalutis ſpem ad Chriſtum, abductam ab omni propriorum meritorum fiducia transtulerunt. Hoc manifeſtiſſimum evadit ex libellis iſtis ante quamplurimos annos ſcriptis editiſque in Anglia, Venetiis, Coloniæ, ubi moribundus omnem ſpem ſalutis in Chriſti ſanguine & merito jubetur collocare. Ut olim plurimi Arrianiſmum probabant, voculæ unius in concilio Ariminenſi ſimilitudine decepti, quorum lingua hæretica, mens Chriſtiana fuit. Ita in Papatu infiniti hodieque inveniuntur, qui in externa communione R. E. perſiſtunt, ipſa autem Papatus dogmata vel ignorant vel nonnulla ex iis deteſtantur. Quam multi purgatorium derident? quam multi indulgentias explodunt? Quam multi imaginum adorationem ex animo deteſtantur? Quam multi docti Catholici Caput 6. Johannis de manducatione ſpirituali intelligunt? Quam multi ſtatuunt hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, non neceſſariò veram mutationem panis, ſed etiam mutationem metaphoricam admittere? Hiſtoriæ conſulantur. Sunt talia infi-

Toletus in c.6. Ioh. an. 26.

Bell. l. 3. de Euchariſt. c. 19.

infinita. Cũ admiratione Catholici isti modo hoc, modo illud dogma Romanæ Curię deridentes, audiuntur. Ne de tanta multitudine Papistæ glorientur, legant quid de Indorum conversione ipsi Jesuitæ in epistolis testentur. Inter multa millia vix unus est qui vel unicum iota Papismi intelligit. Interrogati de fide se Christianos esse respondent, prætereaque nihil. Liber Gallicè editus est contra Ministros Parisienses sub nomine Richelij Episcopi Lussonensis. in eo disertè Cardinalis asserit quod R. E. haut aliam fidei regulam quàm scripturam teneat: nullum aliud Catholicæ Ecclesiæ caput quam Christum: nullum aliud purgatorium quam Christi sanguinem: nullum aliud propitiatorium sacrificium, quam quod in cruce oblatum est: nullum aliud meritum quam obedientiam Christi. In his capitibus summa religionis Christianæ, totiusque adeo controversiæ inter Christianos & Papistas cardo vertitur. Nam Pontificia religio subtilissimis distinctionibus, *quas ipsi Doctores vix capiunt, nedum rudis populus*, Bellarmino fatente, traditiones suas ἀγράφους, Pontificem, sacrificium Missæ, meritum operum, sanctorum intercessionem, ignem expiatorium, omnia denique ἀδιάφορα, non quidem, ut vult, quoad *approbationem*, tamen quoad

C. 3. s. 2. p. 45. & s. 3. p. 64.

De imagin. sanct. c. 22.

quoad *praxin*, admiſcet. Quot myriades autem in communione R. E. mortem oppetierunt, qui in ſimplicibus & generalibus veræ religionis axiomatis acquieſcentes, ſubtiliſſimas iſtas diſtinctiones quibus Papatus ſua paradoxa commendat vel non intellexerunt vel reſpuerunt? Itane credemus Donatiſtarum more neminem Chriſtianorum tot ſeculis elapſis ſervatum ex eorum numero qui Georgiani Armenij Abuſſini Græci in Oriente dicuntur? Adeone Romana Eccleſia Catholica eſt ut nemo ſervetur qui commercij cum ea nihil habeat? Abraham itaque, Iſaac, & Jacob damnati ſunt. Sed in N. T. plurimæ jam Eccleſiæ conſtitutæ erant, priuſquam Evangelium Romam propagaretur. Quid quod cultus ſpiritualis N. T. proprio nulli loco ut in V. T. aſtrictus eſt? Poteſt ubique Deus in Spiritu & Veritate invocari, quicunque Deum timet, & ſtudet juſtitiæ, eidem gratus eſt, neque publicum exercitium Chriſtianæ religionis notitiam certi loci deſiderat. eſt enim Eccleſia N. T. Catholica, id eſt, ubique diſperſa, nullius ſedis humanæ irrefragabili autoritati ſubjecta; ſed ſolius Chriſti eam gubernantis arbitrio & mandato obnoxia, à quo in libertatem aſſerta eſt, ut hominum ſerva ne evadat. Sed ad rem. Cypriani hoc notemus: *Si quis de anteceſſoribus* Epiſt. 3. ad Cœcilium.

 noſtris

nostris vel ignoranter vel simpliciter hoc non observavit, quod nos facere Dominus & exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi, nobis vero non poterit ignosci qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus. Quo dicto respondemus huic cavillo Papistarum. Aut qui delituerunt in Ecclesia Romana olim ante reformationem pij fuerunt aut impij. Si hoc, nulla fuit vera Ecclesia in mundo. Si illud, Secessio nostra Schismatis rea vel non necessaria est. At non est eadem ratio temporum. Captivum licet esse dum exitus non patet, sed cum præstinato tempore ad libertatem omnes vocantur, quis situ carceris malit squalere & in vinculis delitescere?
Apoc. 18. 4. Illud, *Egredere è Babylone popule mi*, innotuit. Deinde majores nostri toties reformationem abusuum frustra expetentes plerumque vi & tormentis ad silentium & quietem redacti sunt, imo ad necem tracti. Hinc in Occidente mutatio externi cultus & exercitij religionis contigit. Exivimus itaque Romana communione primum coacti, expulsique, deinde mandato obtemperantes Domini, desperata emendatione. Quod eo
In 14. & 18. Apoc. majoris momenti est quod Jesuitæ maximi
§. 1. in 18. Apoc. nominis Ribera & Vegas hæc de Roma non Ethnica sed Christiana qualis futura erat sub Antichristo interpretantur. Vegas: *Nobis illud*

illud etiam docendum videtur cum Areta, Primasio, Ambrosio, Ansberto Haymone, & aliis, hoc loco idololatriam Romæ significari, defecturamque Romam à fide, atque adeo futuram habitationem dæmoniorum & omnis spiritus immundi & volucris immundæ, ob execranda flagitia, idololatriæque superstitionem, quæ tunc temporis in Romana civitate, Romanoque imperio latè grassabitur. Majores nostri manserunt in ea communione Ecclesiæ Romanæ. nondum enim Deus viam illis ad justissimam secessionem patefecerat: multa scholarum dogmata nondum in fidei necessitatem versa erant: nondum tota superstitio vim legis acceperat. Sed quomodo pij potuerunt cum R. E. religiosa societate conjungi idque in cultu impio & idololatrico? Respondeo, cultus potest impius dici *in se* vel *relatè*. Cultus in se impius, relatè potest non impius esse, imò pius, cum ignoratur animo recto & simplici quid rerum geratur. Sic Papa honore affectus est à Christianis multis eo quod illum non noverunt qualis esset, quem si cognovissent, respuissent.

Nuptiæ germani fratris cum sorore nota, sunt incestæ in se & relatè, sed si ignores, *in se* quidem tales sunt, non *relatè*. Ita olim Pij Antichristo *materialiter* non *formaliter* subjecti fuerunt. Nemini enim intentio erat Antichristo serviendi. Subjecti possunt

obedire ſine crimine læſæ majeſtatis, hoſti regis, qui habitu diſſimulato ſeſe pro legitimo principe venditat & gerit, eouſque dum fraus pateſiat. De ſacris Miſſæ eadem ſententia eſt. Infiniti Miſſæ interfuerunt, qui ignorarunt corpus Chriſti de integro ibi reapſe dici immolari. Sed pergunt: Occulti iſti fideles aut fidem ſuam profeſſi ſunt, aut non. Si prius, manifeſti fuerunt. Si poſterius, ſalute exciderunt, *ore enim fit confeſſio ad ſalutem*. Objectio hæc tantum eos tangit qui doctrinam Papatus plenè norant & rejecerant. De his itaque adverſariis ſatisfaciendum. 1. Duplex eſt profeſſio religionis. Altera poſita eſt in exercitio bonorum operum. Hæc ſemper neceſſaria eſt; altera ſita eſt in publica & aperta confeſſione omnium dogmatum veræ religionis, quæ neceſſitatis perpetuæ non eſt. Deinde alia eſt profeſſio occulta, alia aperta. Nam de 7000 Eliæ ignotis Dei cultoribus objectio hæc aliter evadi nequit. Valet enim contra ipſos æquè ac contra fideles ſub Papatu verſantes. Demum ab idololatria poſſum abſtinere. 1. *Negativè* genua Baali non flectendo. 2. *Poſitivè* edito ſigno deteſtationem idolorum pateſaciendo. quod Daniel cum ſociis ſuis fecit. Illa eſt perpetuo neceſſaria: hæc non. Niſi hoc concedant, 7000 illa in hypocritarum numerum referant neceſſe eſt.

Cap.

CAP. VI.

Papatus est officina turpissima Simonis Magi.



Uot abusibus Romana Curia orbem repleverit, Papa ipse Adrianus 6. fassus est per legatum in Comitiis Noribergensibus. Æneas Silvius postea Papa Pius 2: Nihil est quod absque argento Romana Curia det. Ipsa manuum impositio & Spiritus Sancti dona venduntur, nec peccatorum venia nisi nummatis impenditur. Hæc non abusu hominum in Ecclesiam Romanam irrepserunt; sed Apostolicis sanctionibus confirmata agrum Domini zizaniis repleverunt. Extat Taxa Cancellariæ Apostolicæ & Taxa sacræ Pœnitentiariæ itidem Apostolicæ. Liber venundatur Parisiis in vico S. Jacobi ad crucem ligneam prope sacellum Divi Ivonis per Tossanum Denis bibliopolam, cum descriptione Italiæ & compendio Universitatis Parisiensis & taxis beneficiorum Ecclesiasticorum regni Franciæ, cum privilegio in triennium, 6. die Junij anno 1520. Hunc librum in Bibliotheca Viri Clarissimi, & summi Theologi Dn. A. Riveti perlustravi, ex eoque hæc pauca Papistis ob oculos ponenda judicavi.

Sleidanus l. 4. & 11. Epist. 66.

De gratiis expectativis.

Expectativa ad unum beneficium pro præsente gratiosa. Grossi. xii.
Pro executoria. G. x.
Ad duo beneficia gratiosa. G. xiii.

De indultis Laicorum.

Quod ducissa & ejus familia propter participationem cum subditis mariti sui, qui adhæreat Antipapæ, nullas incurrant sententias & censuras. G. xx.
Quod Laicus loco quartæ partis, quam solvebat de injusto, de cetero solvat G. xxv.
Quod Laicus non teneatur jejunare diebus, quibus per Ecclesiam astrictus existit, & quod possit uti caso. G. xx.
Quod quis possit eligere confessorem. G. xx.
Quod quilibet secularis & Ecclesiastica persona in studio possit audire leges & physicam & in eis studere. G. xii.
Quod quidam Comes propter infirmitatem diebus vetitis possit vesci carnibus & ovis. G. xii.
Quod Rex hora matutinali in nativitate Domini possit coram se ensem evaginatum teneri facere: sicut fieri consuevit coram R. P. G. cl.
Quod proponens verbum Dei in præsentia regis, possit dare indulgentias præsenti. G. xii.

Quod

Quod Rex & Regina consequantur indulgentias ac si ivissent Romam. Groß. cc.

Quod possit quis comedre carnes tempore prohibito. G. xvi.

De absolutione.

Absolutio in mortis articulo pro uno in forma. G. xiv.

Absolutio pro rege, qui ivit ad sanctum sepulchrum sine licentia cum suis familiaribus. G. c.

Dispensatio de contrahendo in secundo gradu affinitatis taxata fuit die 20. Decembr. Anno 1481. G. xl.

De indultis Clericorum secularium.

Quod quis possit promoveri extra tempus ad sacros ordines. G. xii.

Ut Clericus possit præbendam pinguiorem optare non obstantibus statutis. G. xx.

Quod prædicator proponens verbum Dei possit dare certos dies de indulgentiis. G. xvi.

Commissio reformationis Monastery in capite & membris. G. xxx.

Quod Officiales Domini Papæ non possint excommunicari per ordinarios vel delegatos. G. xii.

De Conservatoriis.

Quod corpus alicujus possit dividi in duabus sepulturis. Groff. XII.

Committitur examinatio testium super vita unius sancti canonizandi. G. XX.

De indultis religiosorum & relaxatione juramenti.

Litera quod quis participare possit cum excommunicatis & hæreticis. G. VIII.

Quod fratres possint uti certis Capuciis in uno loco. G. XXX.

Quod Abbas possit benedicere vestes & calices. G. XX.

Quod Abbas possit absolvere Monachos apostatas Monasteriorum sibi subditorum. G. XVI.

Quod Eremitæ non teneantur solvere decimam de terris quas colunt manibus propriis. G. XX.

De dispensationibus super defectu membrorum.

Quod habens maculam in oculo possit retinere Archidiaconatum. G. XX.

De Indulgentiis.

Indulgentia unius anni pro Hospitali vel Capella. G. XVI.

Duorum annorum. G. XX.

Trium annorum. G. XXIV.

Qua-

Quatuor annorum. G.xxx.
Indulgentia tertiæ partis peccatorum. G.c.

De absolutionibus mortuorum.

Pro mortuo excommunicato pro quo supplicant consanguinei litera absolutionis venit D.l. Carlenos 9.

De absolutione à Simonia.

Absolutio pro eo qui Simoniacè recepit ordines. D.4.Car.4.
Pro illo qui commisit Simoniam in beneficiis, & petit ea retinere. 6.
Absolutio qui Virginem defloravit. G. VI.
Absolutio pro vitio Simoniæ pro Laico, G. VI. *pro Presbytero,* 7. *pro Monacho,* 8.
Absolutio pro perjuro. G.VI.
Absolutio pro eo qui falsificavit literas Apostolicas. G.XVII. vel XVIII.
Absolutio pro eo qui interfecit patrem, matrem, sororem, uxorem aut alium consanguineum Laicum. G.V. vel VII.
Absolutio pro muliere, quæ bibit aliquem potum, & alium actum fecit, per quem destruxit fœtum in utero vivificatum. G.V.

De matrimonialibus.

Dispensatio de contrahendo in cognatione spirituali. G.LX.

Ex-

Expedivi tamen unam pro 50. sed de gratia. Item. *Est judicium de secundo gradu, & componitur cum datario in maxima summa, aliquando 300. aliquando 600. & alias juxta qualitatem personarum. Et nota diligenter quod hujusmodi gratiæ & dispensationes non conceduntur pauperibus, quia non sunt, ideo non possunt consolari.*

Hæc notabilia (paucis interjectis) *diligenter à sollicitatoribus notari debent & practicari. Notaq uod Ducatus strictus valet 10. Julios & 10. quatrinos. Ducatus largius valet 10. Julios & 20. quatrinos. Carlenus valet 33. quatrinis. Carleni & grossi sunt ejusdem valoris.* Hic valor monetæ in eodem libro indicatur.

Absolutio pro eo qui usuras occulte exercuit. G. VII.

Absolutio pro eo, qui in Ecclesia cognovit mulierem & alia mala commisit. G. VI.

Absolutio pro concubinario, & dispensatio super irregularitate, & hoc contra Provinciales & Synodales constitutiones. G. VII.

Absolutio pro Laico sacrilego. G. VII.

Absolutio pro eo qui matrem, sororem & aliam consanguineam vel affinem suam aut commatrem carnaliter cognovit. G. V.

De

De absolutionibus, juxta stilum hodiernum R. curiæ.

Absolutio ab Apostasia. Groß. xx.
Erectio Monasterij vel Ecclesiæ collegiatæ. G. XL.
Erectio Cathedralis Ecclesiæ. G. L.

Credemusne Mantuanum mentitum cum cecinit:

Venalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, Cœlum est venale Deusq;

nonne hæ sunt παραδιατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν, καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας, νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν. ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων. 1 Tim. 6. 5.

Carrantza de Papa Bonifacio 9. *Hic annatarum (hostium potentiam veritus, vel augendæ ditionis Ecclesiasticæ causa, ut aliqui volunt) usum beneficiis Ecclesiasticis imposuit primus, hac conditione, ut qui beneficium consequeretur, dimidium annui proventus fisco Apostolico persolveret.*

CAP. VII.

Papatus idololatricus est.


GRegorius de Valentia cum negare non posset R. E. colere creaturas divino cultu, quandam idololatriam lici- In Apolog.

licitam esse contendit. Vetitam esse cum creaturæ divinus cultus exhibeatur tanquam Deo, id est, cum intentione opinionem summæ & divinæ majestatis ei conciliandi qua-
Rom. 1. 25. lis in solum Deum convenit. Hæc appendix Apostolo ignota fuit. Hos enim idololatras judicat qui *coluerunt & servierunt*, Græcè ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν *creaturæ præter creatorem*. Non ait creaturæ *tan-*
Lib. 5. de trin. c. 6. *quam Deo*. Itaque Apostoli judicio *Idololatra est qui religiose colit*, καὶ λατρεύει *creaturæ*. Augustinus eandem ignoravit. *Idololatræ sunt qui simulacris eam servitutem exhibent, quæ Deo debetur*. Clausulam *tanquam Deo* omisit. Nam verè ridicula est, ut paulo post apparebit.

In 2. 2. q. 94. a. 1. Thomas Aquinas, *Idololatria est superstitio, qua creaturæ divinus honor exhibetur*. Tota Ecclesia Catholica in Concilio Ephesino & Nicæno Arrium & Nestorium Idololatras declaravit, qui quidem Christo religiosum cultum non tamen tanquam summo Deo exhibebant. Eo enim nomine hæreseos condemnati sunt. Itaque judicio Ecclesiæ Idololatra est, qui creaturam religiose colit invocat adorat, spem in ea ponit, gratiam & gloriam ab eadem expectando. Testes hujus rei habemus Athanasium & Gregorium Nyssenum. Synodus Nicæna 2. Act. 6. ait:

ait: *Arrianos juste à Catholica Ecclesia Idololatras appellari.* Act. 7. ep. Synod. ad Constant. & Irenen: *fidenter anathematizat Nestorij idololatriam in Homine.* Idem, Synodus Ephesina ep. ad Theodosium & Valentinum testatur. Hinc liquet religioso cultu creaturæ præstando idololatriam committi, licet opinio divinitatis eidem non concilietur. Christi hominis divinitatem (inculcandum hoc est) Arrius & Nestorius apertè negabant. Itaque quisquis creaturæ divinum cultum exhibet, qualem Arrius & Nestorius Christo homini, idololatra est. Talem R. E. Mariæ & sanctis exhibet ut probabimus. Exemplis utemur.

Contra Arrianos Orat. 1. Orat. in laud. Basilii.

Irenæus de Gnosticis. *Habent imagines quasdam depictas, quasdam de reliqua materia fabricatas, dicentes esse formam Christi factam à Pilato.* Gnostici à R. E. has imagines adorando, idololatræ judicantur. Sed num eas imagines Gnostici tanquam Deum ipsum colebant?

Lib. 1. c. 24.

Augustinus: *Sectæ Carpocratis traditur fuisse socia quædam Marcellina quæ colebat imagines Jesu & Pauli & Pythagoræ, eas adorando, incensumque ponendo.* Sed num mulier istas imagines pro unico Deo habebat? Minimè. Nihilominus idololatriæ se obstrinxit.

7. cap. tit. quod vult Deus.

Concilium Nicenum 2. *Adoramus cineres, vestes, sanguinem & monumenta martyrum.*

Act. 4.

tyrum. Hoc apertè ethnicum & idololatricũ, licet eas reliquias tanquam ipsum Deum non venerati sint. Sed de ea adoratione postea.

Ex. 32. Judæi sacrificantes vitulo idololatræ erant, nec tamen vitulum recens fusum pro summo Deo habebant.

Sed ratio evidentiæ summæ idem nos docet. Avaritia spem ponens in pecunia est idololatria, quam pro Deo summo non habet, nec colit. Quid præterea aliud est idololatria, quam habere alium Deum præter Jehovam? Quid est habere alium Deum, nisi alium colerent Deum? Quid est alium colere ut Deum, nisi divinum cultum ei exhibere? Quid est divinus cultus aliud quam religio? Hæc enim tale est vinculum, quo soli Deo religamur, teste Augustino, imo ipso Deo. Quale enim vinculum conjugii, tale religionis. Quid juvat adulteram si obsequatur alii non ut marito sed ut amico? Num ideo minus rea erit adulterii? Jam cum in peccatis, teste Thoma, quæ contra Deum committuntur, gravissimum sit, cum aliquis honorem divinum creaturæ impendit: sedulo inquirendum, quisnam sit cultus iste, quem sibi Deus vendicet. Hic enim haut dubiè divinus est. Itaque cultus Deo debitus est religiosus, isque vel interior solius cordis, vel exterior etiam corporis. Ad inte-

De vera religione c. 55.

2. 2. q. 94. 3.

interiorem cultum *spes* & *fiducia* refertur. Hæc enim in solo Deo collocanda. Unde ipse *fiducia* & *spes* nostra dicitur. *Cor ejus à Deo recedit, qui in creatura fiduciam ponit.* Fiducia cordis sacrificium est. Cui enim confidimus ei cor nostrum sacrificamus & addicimus. Ipse Bellarminus Christum probat Deum esse, *quia in eo confidendum est. Nam,* ait, *Scriptura passim dicit, in solo vero Deo confidendum esse,* ut Ieremiæ c.17. at Ps.2. dicitur: *Beati qui confidunt in eo.* Item invocatio, quæ corde fit potissimum. Exterior cultus divinus est: vel *signi* vel *facti*. Prior est religiosa adoratio. Græcè προσκύνησις. De creaturis enim dicitur, *Non adorabis eas,* scilicet honore signi, non *coles*, sc. honore facti. *Deum tuum adorabis, & ei soli servies.* Ubi Jansenius fatetur in priore etiam parte intelligendam esse vocem *solum*, alioqui tentatori adorationem deposcenti minus aptè Christũ respondisse. Hinc Epiphanius: *Sancta Dei Ecclesia creaturam non adorat.* Et Athanasius: *Creatura creaturam non adorat. Solius numinis est adorari.* Idem: *Non adoramus creaturam, absit! In Ethnicos & Arrianos istiusmodi delirium competit.* Honor facti est religiosa servitus λατρεία dicta sive δουλεία τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Ad hanc servitutem religiosam pertinet invocatio voce

Ps.71.5. Ioël 3.16. Col.1.27. Ier.17.5. Hebr.1.16. De Christo l.1. c.5. Psal.50.15. Esaiæ 19.21. Exo. 20.5. Matth.4. Concord. Evangel.c.15. Hæres.69. Orat.5. contra Arrianos. Contra Arrianos ad Adelphium. Rom.1.25.

edita, juramenta, vota, sacrificia, altaria, festa, templa. Itaque probandum hæc omnia Romanam Ecclesiam cum creaturis communicare, & inprimis cum B. Virgine. Quicunque creaturæ titulos divinos & divinam potestatem tribuit, qui in creatura spem salutis & fiduciam plenam cordis ponit: qui creaturam religiose invocat ex toto corde & adorat: qui creaturæ sacrificium orationis, gratiarumque actionis offert: qui suffitum ei adolet: qui per eam jurat, ei vota nuncupat, ei ἀναθήματα offert, altaria extruit, templa, festaque consecrat, is est idololatra. Hoc autem ex præcepto Romana Ecclesia facit, & faciendum publicæ praxeos approbatione & concessione jubet.

De titulis divinis & potestate divina Mariæ.

Com. in Apo. 12. sect. 1. n. 9. Vega Jesuita. *Tetragrammaton est nomen sacerrimæ Virginis, nec hoc solum, sed etiam suo modo ineffabile, non solum hominibus, verum & ipsis angelis.* Item: Sect. 2. n. 6. sect. 12. *In nomine tuo Maria flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, inferorum.* Holcot. com. in lib. Sap. lect. 36. edit. vet. Bernhardinus in Mariali. *Possumus* PROVOCARE *à foro justitiæ Dei ad* CVRIAM *B. Mariæ. Ibi si quis à filio terreatur, quia judex est, matrem adeat, quia medicina est.* Sed ad Vegam redeamus. In Apoc. 12. s. 2. n. 3. *Maria est Domina absolutè: est Domina per excellentiam,*

tiam, & princeps omnium (in Cantico Mosis ad Mariam translato, *Domina nostra omnipotens* audit) *creaturarum. Constituta quippe est super omnem creaturam, & quicunque Jesu curvat genu, matri quoque pronus supplicat, & filii gloriam cum matre non tam communem judico quam eandem.* Delrius. *Obedientia Mariæ similis facta est obedientiæ Christi. Magna ergo in hoc laus Mariæ, magna ejus gloria, quod imitatio ejus gloriæ* EXÆQVATVR *obedientiæ Christi, quam imitatur illa.* Osorius Jesuita: *Maria sua bonitate vicit* OMNEM MVNDI MALITIAM SVMMAM *existentem: Deum in mundum adduxit, remissis omnium hominum peccatis. Hæc bonitas omnem mensuram excedit, quæ adeo bona mater Christi dici debet, ac* BONVS EST PATER ÆTERNVS. Tursellinus Jesuita. *Omnes intelligant se quicquid ab æterno illo & augusto bonorum omnium fonte in terras profluit sumere per Mariam, quam* DIVINÆ MAIESTATIS POTESTATISQVE SOCIAM, *quatenus licuit, adscivit: Cui cœlestium mortaliumque principatum detulit, ad cujus* ARBITRIVM *(quoad hominum tutela postulat) terras, mare, cœlum, naturamque totam moderatur.* Idem Ozorius: *Cui comparemus Mariam?* PLANE DEO, *bona omnia continenti.*

Comm. in Cant. c. 1. s. 2.

Hom. t. 3. conc. 1. in annunt. B. Mariæ. item in assumpt. B. Bartholom.

Epist. dedic. hist. Lauretanæ.

T. 5. dom. 4. Epiph.

Hinc audit misericors fons gratiæ & veniæ, omnipotens regina Cœli, stella maris,

Off. B. Virg. in hym. & antiph. Lit. B. M. Lauret.

domina mundi, portus salutis, vita, spes nostra, DEA.

Miss. Sarisb. infr. octav. assumptionis B. M. d. 7. Antid. animæ & hist. secundum chorum Ang. in com. B. Virginis.

Leo X. ad Bembum ep. l. 8. ep. 17.

Ne DEAM *ipsam lusisse videamini.*

DOMINA Iesu Christi.

Gaude Matrona cœlica.
Tu ancillam Jesu Christi
Te vocare voluisti,
Sed ut docet lex divina
TU ILLIUS ES DOMINA,
Nam lex jubet & ratio,
MATREM PRÆESSE FILIO.
Ergo ora suppliciter
ET PRÆCIPE SUBLIMITER
Ut nos in mundi vespera
Ad regna ducat suprema.

In Mariali impresso Argentorati apud Martinum Sinum An. 1493. ibi lib. 1. c. 5. *Mater misericordiæ juvit patrem misericordiæ in opere redemptionis. Sed quomodo ait Dominus* Es. 63. *Torcular calcavi solus, & vir non fuit mecum. Imo Domine verum, & vir non erat tecum, sed mulier, quæ omnia vulnera in corde accepit, quæ tu in corpore.* l. 2. part. 10. *Vere languores nostros ipsa tulit. Sic Maria dilexit mundum, ut daret filium suum unigenitum.* Magnatum preces quales sint constat, mandata nempe.

Publica institutione Innocentii Papæ appellanda est his vocabulis, Clementissima

Domi-

Domina, Mater orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus & spes in eam sperantium, fons vitæ & veniæ, fons salutis & gratiæ, fons pietatis & indulgentiæ, fons consolationis & lætitiæ. Item. Regina misericordiæ, vita dulcedo & spes nostra, mulier virtutis, quæ contrivit caput serpentis, sancta, sancta, sancta Maria, clemens & pia Domina nostra. Item.

In cursu horarum B. Virginis secundum ordin. Eccles. Hildeshem.

Salus & consolatrix vivorum & mortuorum, desperatorum spes VNICA, peccatorum salvatrix magnifica, misericordiarum & veniæ fons inevacuabilis, imo IPSA MISERICORDIA & VENIA nulli dans repulsam, quæ supplicem orationem exaudit, & vitam æternam tribuit. Lipsius:

Ex compass. Mariæ.

Tunc tibi laudes DEA *dicit omnis*
Sexus & ætas.

Clarissimus Vir D. Andreas Colejus testatus est se Venetiis audiisse pro concione Monachum ita prædicantem:

6. Mart. anno 1627. Alli stati.

Che Maria era vera mediatrice tra gli peccatori, e Christo: Che Christo era ben mediatore, ma ancho gjudice: Che staressimo freschi e male, se havessimo solamente Christo Mediatore: Deum in filios Moab vindictam exerciturum, i. e. eos qui solum patrem vel Christum adorant.

Rituale Duræus contra Witt. fol. 352. item Cotonus defendunt.

O felix puerpera
Nostra pians scelera
JURE MATRIS IMPERA
REDEMPTORI.

Nihil qui hoc scripsit à vera religione alienum cogitasse plane mihi persuadeo. Duræus.

Serm.2. de coronat. Mariæ.

Bernhardinus: *Omnes alii sancti sunt Deo subditi, & non prælati. Ipsa vera benedicta Virgo, licet sit subjecta Deo, in quantum creatura,* SUPERIOR *tamen* ILLO *dicitur & prælata, in quantum est ejus* MATER. Hinc Cassander queritur; *Ventum est eo ut Christus etiam in Cœlo regnans Matri subjiciatur.* Epiphanius: *Quis Prophetarum præcepit hominem adorare, nedum* MULIEREM? Augustinus: *Christus non agnoscit viscera humana, operaturus facta divina.* Sed hoc nihil ad Costerum: *Solve,* ait, *Domina nostra vincula reis. Solve precibus: solve* MERITIS, *solve* AUTORITATE, *solve* IMPERIO, *solo* NUTU & VOLUNTATE. *Omnia potes in Cœlo ac in Terra. Quid enim est Matrem esse Dei? Mater causa est filii: Mater superior est filio: Matri debetur honor à filio:* MATRI TENETUR MOREM GERERE FILIUS.

In consult. hæres. 79.

Tr. 8. in Ioh.

Medit. in hymnum: Ave maris stella.

Miss. Sarisb. infr. octav. ass. B. M. d. 7.

Salve splendor firmamenti
Tu caliginosæ menti
Desuper irradia.
Placa mare, maris stella,

Ne

Ne involvat nos procella
Et tempestas obvia.

Episcopus Patracensis in Concilio Lateranensi, loco orationis Dominicæ, ita Concilii nomine precatus est. Sub Iulio 2. & Leone 10. sess. 2. 7. 9.

Sola tu Virgo dominaris astris,
Sola tu terræ, maris atque cœli
Lumen, incœptis faveas rogamus
Inclyta nostris:
Ut queam sacros reserare sensus
Qui latent chartis nimium severis,
Ingredi & celsa duce TE *benigna*
Mœnia terræ.

Sic gratiam & gloriam à Domina R. Ecclesia petit & exspectat. De Valentia. *Gloria Deo & B. Virgini Mariæ Dominæ nostræ, item Jesu Christo. Cur Domine Jesu, ascendens in Cœlum, non adduxisti matrem tuam? Domine, ne tuæ cœlesti curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret, tibi Domino suo, an ipsi Dominæ suæ.* Barradius in concord. Euang. t. 1. l. 6. c. 11. In fin. operum de satisf. & idololatria.

De spe, fiducia, & religiosa adoratione B. Mariæ.

Psalterium Mariæ Constantiæ editum est cum approbatione Episcopi. Hoc non vidi, sed aliud, ex quo hasce preces exscripsi publica R. Ecclesiæ & diuturna praxi approbatas, quæ nunquam judicem purgatorium subierunt, vel subibunt. Anno 1611.

PSALMUS I.

Beatus qui nomen tuum diligit Virgo Maria. Tua gratia ejus animam firmabit. Gloria sit tibi semper ô regina Cæli.

2. *Tua dextra nos defendat Mater Dei. Venite ad eam omnes qui laboratis & onerati estis, & requiem dabit & solatium animabus vestris. Benedicite ei ex toto corde vestro, nam omnis terra est plena misericordia ejus.*

4. *Cum ad te clamarem ô Domina, exaudivisti me de sublimi sede tua, & dignata es mei meminisse. Nam misericordia tua & bonitas benigna omnibus, qui invocant sanctum nomen tuum. Veneramini illam Nationes omnibus viribus vestris, & omnes gentes terræ exaltate ejus benignitatem.*

7. *Domina mea in Te Speravi, ab inimicis meis libera me.*

9. *Confitebor tibi Domina ex toto corde meo, & inter gentes eloquar laudem tuam. Tibi enim debetur gloria, gratitudo & vox laudis.*

10. *In hac Domina confido plenè propter multitudinem misericordiæ nominis ejus.*

Bra-

Brachium tuum extende ad Nos ô Virgo Maria, nec gloriosam faciem tuam averte à nobis.

11. *Orbem terrarum circumspicis Domina, ad opem ferendam iis qui te invocant.*

12. *Quandiu mei oblivisceris Domina, nec liberabis me è die tristitiæ meæ? Sis nobis Domina turris fortitudinis, & firma petra conterens inimicum nostrum.*

14. *Amplectamur præcipuè vestigia Mariæ, procidamus ante sanctos pedes ejus, & teneamus eam, nec dimittamus quousque cognoscamus quod ab ea benedicti sumus.*

17. *Diligam te Domina Cæli & terræ, & populo nomen tuum annuntiabo.*

21. *Domina mea ad te clamavi nocte & die, & tu misericordiam præstitisti servo tuo. Cum in tua misericordia speravi, æterna vitia à me abstulisti. Familiæ gentium adorent te, & omnes chori angelorum glorificent te.*

25. *Judica Tu me Domina, nam ab innocentia mea recessi. Cinge cor meum igne tui amoris, & cingulo castitatis compesce renes meos. Confitemini nomini ejus, quoniam san-*

ctum est; miracula ejus annuncientur in seculum.

26. *Domina illuminatio mea sit splendor vultus tui, & sinceritas gratiæ tuæ illuminet mentem meam. Te dilexi & elegi Regina gratiæ. Misericordiam & gratiam tuam ne auferas à servo tuo.*

28. *Exaudi gemitus ad te, & tua dextra parata sit ad auxilium meum. Tibi benedicant Cœli & terra, mare & altitudo orbis terræ.*

29. *Converte me & vivifica me, & reducito me à porta mortis. propter potentiam & bonitatem dextræ tuæ disperge omnes hostes meos, & offeram tibi sacrificium laudis, tuamque gloriam devotè exaltabo.*

30. *In te Domina speravi, in æternum non confundar, inclina ad me aures tuas. Tu es refugium & virtus mea, solatium & defensio mea. Ad te clamavi, cum tristis erat animus meus, & tu exaudivisti me de supernis collibus. ô Domina in manus tuas commendo spiritum meum, totam vitam meam, & supremum diem. Gloria sit tibi semper.*

31. *Beata corda quæ te amant Beata Virgo*

Virgo Maria, peccata à te eorum misericorditer remittentur.

32. *Date ei Sacrificium laudis, & inebriabimini uberibus dulcedinis ejus.*

33. *Benedicam Dominæ nostræ semper, laus ejus nunquam deficiet in ore meo. In omnibus periculis & rebus dubiis invocate eam, & in necessitatibus vestris invenietis auxilium & refugium.*

35. *Mater Dei converte faciem Dei ad nos & coge eum peccatorum misereri. Potentia & virtus est in brachio tuo, vis & fortitudo in dextra tua.*

37. *Facies tua videat omnia desideria nostra, nostram spem & fiduciam.*

38. *Miserere mei de cælo & altitudine throni, serva pedem meum ne cadat neve titubet, tua gratia præsens mihi sit in agone mortis.*

39. *Expectans expectavi ô Domina gratiam tuam, & fecisti mihi secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, &c.*

41. *Sicut cervus desiderat fontem aquæ, ita anima mea adhæret amori tui. Nam tu es Mater vitæ meæ, & nutrix & reparatrix carnis meæ. Initium tu es & finis salutis meæ.*

42. Iu-

42. *Judica me Domina & discerne causam meam à gente perversa.*

44. *Sanctitate tua purgantur delicta nostra.*

45. *Domina tu es refugium in omni necessitate nostra. terra est plena benignitate tua.*

46. *Miserere mei Domina, nam tu es spes, & lumen omnibus qui confidunt in te.*

50. *Effunde gratiam tuam in me. Nam tibi confiteor peccata mea, & coram te accuso delicta mea.*

52. *Ne glorieris de lapsu Mulieris* (Satan:) *nam Mulier conteret caput tuum.*

53. *O Domina in nomine tuo sana me, & in tua justitia libera me. Sub umbra alarum tuarum protege me. Tibi offeram sacrificium laudis: confitebor nomen tuum quia bonum est.*

56. *Tu es anchora spei, portus veniæ, & janua salutis.*

60. *O Domina sis mihi fortis turris.*

61. *O Domina nonne anima mea tibi subjecta erit? exaudi gemitus cordis mei.*

O Virgo

O Virgo ablue peccata nostra, ô mater sana omnes languores nostros.

62. *O Domina conserva animam meam ne unquam prolabatur in peccata.*

63. *Illumina oculos meos & illustra cæcitatem meam.*

66. *Illumina animam meam ô Stella Maris, & purga eam claritate tuæ gratiæ, extingue in cordo meo ardorem peccati, & gratia tuæ dextræ me semper defendat.*

70. *In te Domina speravi ne condemner in æternum, in tua misericordia libera me.*

71. *In dextra tua ô Domina est salus & vita. Asperge cor meum gloriosa dulcedine tua.*

73. *O Maria solve vincula peccatorum nostrorum & libera nos dextra tua.*

81. *O fons vitæ effunde gratiam in os meum, à quo emanant & fluunt viventes aquæ. Omnes qui sititis venite ad eam & potabit vos de fonte suo: qui inde haurit, saliet in vitam æternam, qui inde bibit nunquam sitiet.*

86. *Qui te non invocat in hac vita non veniet ad regnum Dei.*

89. O Do-

89. *O Domina tu facta es refugium in omnibus necessitatibus nostris. Qui in te sperant, vestientur luce, & accipient gaudium & æternam lætitiam.*

90. *Qui in eam sperat huic porta paradisi aperietur.*

94. *Venite, adoremus omnes eam & procidamus coram ea, & confiteamur ei cum lacrimis peccata nostra.*

110. *O Domina confitebor tibi ex toto corde meo, & glorificabo te ex tota anima mea. Gloriosum & admirabile est nomen tuum: qui hoc servat in corde suo, non timebit hora mortis.* Item: *dixit Dominus Dominæ meæ sede à dextris meis.*

116. *Laudate Dominam nostram omnes gentes, glorificate eam omnes populi, quoniam misericordia ejus firmata est super nos & veritas ejus manet in seculum. Qui eam dignè honorat justificabitur.*

118. *Beati qui spem & fiduciam habent in Maria Matre Dei.*

120. *Omnes linguæ angelorum & hominum laudent te, & coram te omnia genua flectantur.*

122. *Ad te sustuli oculos meos, ô regina*

gina quæ habitas in Cælis. Auxilium nostrum sit in virtute nominis tui.

131. *Memento Domina David & omnium qui invocant nomen tuum.*

133. *Benedicite Dominæ nostræ omnes qui speraſtis in nomen ejus.*

136. *Nulla salus sine ea reperitur.*

140. *O Domina clamavi ad te, exaudi me & memento precationis & necessitatis meæ. Effundatur oratio mea ut vivum sacrificium coram facie tua tempore sacrificii vespertini, & mane illumina cor meum luce intellectus, & igne amoris tui accende cor meum.*

FINIS.

Sed nondum finis. In officio B. Mariæ reformato jussuque Pij V. edito Maria sic compellatur à Romana Ecclesia. P. 324.

Consolatio desolatorum, Via errantium, salus omnium in eam sperantium. Item: *Regina, Mater misericordiæ, Vita, Dulcedo, Spes nostra.*

Hortulus animæ. *Ave mundi spes Maria. Exaudi me miserum peccatorem in tua misericordia & pietate confidentem: Mater misericordiæ, Mater gratiæ, spes omnium desolatorum,* Impressa Ant. per Christop. Plantin. ann. 1557. f. 113. 154. 115.

lutorum, consolatrix omnium desperantium, salus omnium in te sperantium.

Breviarium Romanum in festo visitationis Mariæ 9. sept. *Tu es spes unica peccatorum*, PER TE *speramus delictorum veniam, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum.*

Fol. 215. Hortulus animæ. *Ad te hodie unica spes miserorum confugio, plena fiducia tibi me ipsum & omnes necessitates meas devote recommitto.*

Ibid. fol. 107. *O Domina mea Sancta Maria in tuam benedictam fidem ac custodiam & in sinum misericordiæ tuæ hodie & quotidie & in hora exitus mei animam meam & corpus meum tibi commendo.*

Ibid. fol. 181. *Hanc orationem supplicem suscipias, audias, & exaudias, & vitam æternam mihi tribuas.*

8 Decembr. Breviarium Romanum. *Nos culpis solutos mites fac & castos, vitam præsta puram.*

Officium B. Mariæ. *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

Sed quid ad hæc sancti Doctores veteris Ecclesiæ Christianæ?

Thesauri l. 10. c. 10. Cyrillus: *Quomodo non erimus Idololatræ* CREATVRAM COLENTES, ET SPEM IN IPSA HABENTES?

In Orat. funebri Placillæ. G. Nyssænus. *Qui creaturam adorat, etiamsi*

etiamsi IN CHRISTI NOMINE *id faciat, simulacrorum cultor est.*

Idem Cyrillus. *Creatura nulla se patitur apud scripturam adorari, nisi quæ seipsam* IGNORAT. Thes.l.5.c.1.

Athanasius. Θεοῦ ἐστι μόνου τὸ προσκυνεῖσθαι. Καὶ τοῦτο ἴσασι καὶ αὐτοὶ ἄγγελοι, ὅτι κἂν ἀλλήλους δόξαις ὑπερέχωσιν, ἀλλὰ κτίσματα πάντα εἰσὶ, καὶ οὐκ εἰσὶ τῶν προσκυνουμένων, ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων τὸν δεσπότην. id est, *solius Dei est adorari, & hoc noverunt & ipsi angeli. Nam licet gloria alij alios excellant, creaturæ tamen omnes sunt, nec sunt ex iis qui adorantur, sed qui adorant Dominum.* Orat.1.contra Arrianos.

Bellarminus in Apologia contra Regem Angliæ concedit hoc Psalterium Bonaventuræ esse. Hoc etiam titulo impressum à Claudio Chapellet in vico S. Iacobi Parisiis anno 1601. cum approbatione Theologicæ facultatis in linguamGallicam translatum est. Defenditur idem à Bellarmino peculiari scripto. Nam B. Mariæ tribui ait quæ Deo conveniunt, ut sanctis in scriptura, quæ Christi sunt assignantur. Sed cum scriptura magistratus Deos, & Apostolos lucem mundi appellat, seipsam declarat. *Moriemini sicut homines. Iohannes non erat lux sed testimonium de luce præbebat.* Deo

N inte-

integrum est loqui ut vult, nobis haut item. Regulam nobis religio fixit, quæ nos monet cavere *ἵνα μὴ πέσωμεν εἰς τὴν ἀρρειανικὴν καὶ τὴν ἑλληνικὴν ἀφροσύνην τῇ κτίσει δουλεύοντες παρὰ τὸν κτίσαντα*, id est, *ne incidamus in Arrianam & Græcam stultitiam creaturæ serviendi præter creatorem.*

Athanosius Orat. 3. contra Arrianos.

Lib. 2.

Irenæus; *Ecclesia nec invocationibus Angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec aliqua prava curiositate, sed munde, pure, & manifeste orationes dirigit ad Dominum qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi invocat.* Ambrosius: *Tu solus Dominus invocandus es, tu rogandus.* Idem: *Maria erat templum Dei, non Deus templi. Ergo Deus ille solus adorandus, qui operabatur in templo.* Ignoravit sane Ecclesia adorationem ὑπερδουλικὴν, alias hanc B. Mariæ tribuisset. Augustinus: *Deus solus animæ colendus est, qui solus ejus est autor. Homo autem quilibet alius quanquam sapientissimus & perfectissimus, & qualibet anima* AMANDA TANTVMMODO *&* IMITANDA est. Epiphanius. Ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία, ὁ δὲ πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω. τὴν μαρίαν μηδεὶς προσκυνείσθω. id est, *in honore sit Maria; sed pater, filius & spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo adoret.* Hieronymus: *Quod si in aliquo fiducia est,* in SOLO DOMINO

In oratione de obitu Theodosij.

l. 3. de Spiritu sancto.

lrde qurnt. animæ c. 34.

Hæres. 39.

l. 4. in Ezechielem c. 14.

MINO *confidamus.* MALEDICTUS *enim omnis homo, qui spem habet in homine, quamvis sanctus sit, quamvis Propheta.* Item, *Nullum invocare*, id est, *in nos orando vocare, nisi unum Deum debemus.* Porro nonne alienissimum est à vera religione redemptionem & meritum in alio quærere, quam in Christo Iesu? Nihilominus R. E. B. Virginem *Redemptricem* appellat, *cum qua pater dimidium regni communicavit, nempe misericordiæ,* teste Gabriele Biele. Praxis quam manifesta! Ludovicus Uives. *Multi Christiani in re bona plerumque peccant, quod Divos Divásq; non aliter venerantur quam Deum: nec video in multis quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis, & id quod Gentiles putabant de Diis suis.* Sed an non sancti in cælo cum Christo REGNANT? Uerum. Beata Virgo nonne regnat in cælo? Haud dubiè. Reges sunt sancti omnes *in cælis*, non *reges cœlorũ. Lilia non nent.* Num regnum Galliæ dignius cœlesti? Sancti *regnant* & *triumphant* in cœlis ob victoriam de *diabolo, mundo* & *carne sua* obtentam; imperium in universas creaturas creatori relinquunt. Nullam itaque Reginam cœli agnoscimus. Sed in hoc Psalterio excusando sudant: ajunt, *sano sensu* posse hæc omnia B. Virgini applicari: ab ea peti auxilium & salutem suo modo, nempe *impetrative* & *ministe-*

Com. in proverb. 1, 1. c. 2.

Annot. in 8. lib. de civ. Dei c. 27.

nisterialiter. ſcilicet: *jure matris impera Redemptori.* Cur dicitur Regina cœli? num ob miniſterium? Cur ei omnis poteſtas data eſt, omnis autoritas, ut ſolo nutu quos vult ſalvet? Cur regnum miſericordiæ poſſidet? Cur forum ei tribuitur gratiæ, ad quod à Deo provocare liceat? Quis ſanus ſenſus erit in his verbis: *Protegat nos dextra tua mater Dei. Venite ad eam omnes qui laboratis. Benedicite illam in* TOTO CORDE *veſtro.* Si totum cor petit, quid Deo reliquum erit? *Miſerere mei Domina, ab iniquitatibus meis munda me. In manu tua Domina ſalus & vita conſiſtunt. Sede à Dextris meis. Beatus vir qui timet Dominam. Beati qui in ea habent ſpem & confidentiam. Qui digne coluerit illam, juſtificabitur. Vivifica me & faciam voluntatem tuam.* At Apoſtolus ait ſe quoſdam *ſalvos facere.* Poteſt igitur Maria. Apoſtolus loquitur de *exemplo* & *miniſterio* ſuo, quorum neutrum Mariæ convenit. Imò quis ob hæc verba Pauli ad ejus adorationem inductus eſt his verbis, *Miſerere mei Paule, ſalva me!* Officia miniſterij & caritatis à cultu religioſo diſtinguenda ſunt. Auguſtinus λατρείαν θεοσέβειαν ſolo Deo vindicat non tantum FINALITER, ſed etiam IMMEDIATE. Sancti honorandi IMITATIONE non ADORATIONE, CARITATE non SERVITUTE. *Religet nos*

1 Cor. 9.

Aug. de vera religione c. ult.

religio

religio uni omnipotenti Deo, quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus patrem & veritatem, id est, *lucem inferiorem, per quam illum intelligimus*, NULLA INTERPOSITA CREATURA est.

Non est, ait Salvator, *quo eas nisi* AD ME, *non est qua eas, nisi* PER ME. Tract.22.in Ioh.

Colimus sanctos cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei. l.20.contra F. Manich.c.21.

An non ex doctrina Thomæ constat quod *religio hominem ad* SOLUM DEUM *ordinet?* Deinde recenset & distinguit actus elicitos & imperatos religionis, quorum illi immediate ad Deum tendunt; hi ad omnia caritatis officia à religione mandata. *Illi soli aut impendimus orando religionis cultum, à quo quærimus obtinere quod oramus, quia in hoc protestamur, eum bonorum nostrorum autorem, non autem eis quos requirimus, quasi iinterpretatores nostros apud Deum.* Deinde honor qui Deo & sanctis defertur non *gradu* sed *specie* omnino debet differre. Si jam ille religiosus est, eò quod omnes actus eliciti religionis, nempe *invocatio, adoratio, votum, sacrificium* DIRECTE & IMMEDIATE in Deum tendunt, hic certè religiosus esse nequit nisi ratione actus imperati, quo sensus amor parentum religiosus est. Si religiosus cultus per sanctos mediatè Deo po- 2.2.q.81.a.1.

test exhiberi, etiam sacrificium sanctis offerri potest. Ita omnes actus eliciti religionis, cum creaturis poterunt communicari. Sed ratio
1. Reg. 8. hoc evincit. Solus Deus invocandus, quia
Rom. 10. solus novit corda filiorum hominum; solus invocandus, quia in eum solum credimus.

T. 6. de sancta virgine. Augustinus. *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quàm carne gestasset. Utroque nomine est beatissima.*

Q. 94. a. 2. Thomas de Aquino docet adorationem esse actum externum latriæ proprium & religionis, item devotionem.

At non adoratur ut pro summo Deo habeatur. R. Nec ita Nestorius Christum hominem adorabat, cujus tamen idololatriam Ecclesia Cathòlica in homine anathematizavit. Invocatur autem S. Maria tali cultu, quò ei omniscientia, omnipotentia, misericordia, veritas, divinusque honor tribuitur. Nam adoratur religiosè, devote, ex toto corde, cum omni spe & fiducia in omni necessitate, ita ut credatur omnium hominum actiones, cogitationesque simul oblàtas per totum orbem terrarum uno eodemque momento, unoque actu intelligendi sine discursu comprehendere: iisque omnibus posse salutem animi & corporis dextra & gratia sua largiri: neque tantum intercessione, sed pote-

potestate, nutu & imperio in ipsum Dominum Jesum Christum, cui omnis potestas data est in cœlo & in terra, omnia in cœlo & terra peragere quæ ad salutē humani generis spectant, tanquam Reginam Cœli, quæ in cœlesti throno resideat, ipsiq; filio imperet jure matris, adeo ut in illam unicam omnis spes & fiducia in omni necessitate collocanda sit. Quid ultra in religione Deo potest tribui? Merito talem Leo X. Deam appellat. Si Idololatra non est, nisi qui creaturam pro supremo numine habet, nullus Ethnicorum, Vulcanum, Apollinem, Mercurium invocando idololatriç argui potest; hos enim nemo loco supremi numinis habuit. Certum autem est experientia Romanam Ecclesiam plus honoris Mariæ, imo plerisque Sanctis exhibere: plus virtutis & potestatis eis tribuere, quàm olim Ethnici Flamines Marti, Cereri, Junoni, Baccho, Dianæ, Vestæ, Floræ, Bonæ Deæ. His extructa templa sunt, & illis: his attributi Sacerdotes; & illis Canonici S. Petri Bavii Lamberti, item Moniales S. Claræ, S. Brigidæ: his sacrificia exhibita; & illis officia & Missæ in honorem S. Antonii, Huberti, Rochi, Barbaræ, & omnium Sanctorum. *Si quis negat Missas fieri in honorem Sanctorum debere, sicut intendit Ecclesia, anathema sit.* Ethnici non credebant se à Divis audiri & juvari, nisi de

Creatorem sacrificare in honorē creaturæ! Conc. Trid. sess. 22. can. 5.

cœlo descenderent, adeoque ipsos non omnia nosse, teste Homero. Juno enim nesciebat, quid Thetis cum Jove egisset. Sancti vero in cœlo corda omnium se invocantium tanquam præsentes intuentur in speculo Trinitatis, nec tantum precibus, sed autoritate, meritis, potestate, tanquam Dii tutelares humano generi succurrunt. Amici Dei vocantur, sed & Divi. Quid ultra? Non licuit mihi *tam præsentes alibi cognoscere Divos*, quam in Romana Ecclesia. Huc accedat testimonium Episcopi Espensæi. *Multi sunt, qui* NON MINUS *fidunt ac tribuunt Divis, quam Deo, quia hunc quam illos minus placabilem putant & exorabilem.* Bodinus: *Divus Antonius à plerisque in Italia ac Gallia Narbonensi ardentiore voto, certe majore metu colitur, quam Deus immortalis.* De method. hist. l. 5. Num ideo in manus Inquisitorum inciderunt? Nũ in Hispania in tales Idololatras animadvertitur? Quis unquam supplicio capitis in Italia affectus est ea caussa quod ita precatus sit: *O omnipotens, omniscia Dea Maria, jure matris imperans ipsi Jesu Christo miserere mei! Salva me!* Bell. de sanct. beatitud. c. 17. De sacrificio, suffito, juramento, voto, anathematis B. Mariæ, R. E. sacrificium laudis offert, quod Deus ipse externis sacrificiis potius ducit. Imagini vero Virginis quotidie incensum adoletur perq; eam juratur. Praxis *mani-*

1. Iliados.

Com. in 2. Trin. 3.

Ps. 50. 12. 13. 23.

Missale de ritibus celebrandi missam. c. 4.

manifestior operosiorem probationem non desiderat. At olim Israëlitæ idololatriæ accusabantur fœdissimæ & execrandæ, *quod quisque in manu sua thuribulum haberet*, quo imaginibus adoleret. Nonne Israëlitæ æneo serpenti, imagini Christi crucifixi, ut ipse testatur, incensum adolentes, ita Regem piissimum irritaverunt, ut eum confractum è medio tolleret? Ez.8.11. Ioh.3.

De voto res notissima. Vovent enim promiscuè Deo, B. Virgini, Francisco, Dominico, eodem actu in professione religionis. Votum est actus latriæ propriæ. Thoma definiente 2.2. q.88. a.5. Promissio materiale voti à voto formaliter distinguitur; jam Cajetanus fatetur: *Eadem ratione votum Sanctis & Deo fieri. Votum est promissio Deo facta.* Non aliter.

Templa quoque anathematis ita repleta sunt suspensis ad imagines B. Virginis, ut cœcus sit qui id sibi probari postulet.

De altaribus, festis, templis.

Res notissima est de templis & altaribus. H. Vida in hymnum magnæ matris virginis.

Nos quoque divinos ut cuique est copia honores
Largimur: tibi centum aræ, tibi maxima centum
Thure calent delubra.

Hoc loco tantum agemus de Festo con-

1.Th. l.7.c.1. ceptionis B. M. V. Canus fatetur; E sacris literis juxta germanum literæ sensum nusquam haberi B. Virginem à peccato originis liberam fuisse; quin imò legem in iis generalem tradi, quæ ex Adæ carnali propagatione creatos, sine ulla exceptione complectatur; nec dici posse id dogma Apostolorum tempore in Ecclesiā descendisse; constare enim priscos scriptores id à majoribus suis non accepisse, imò omnes sanctos, qui in hujus rei mentionem inciderunt, uno ore asseverare B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse. Suaresius fatetur *paulatim* crevisse hujus rei fidem, præsertim abhinc *ducentis annis*. Nihilominus Romana Ecclesia *Festum* instituit, non tantum ob gratiarum actionem respectu Dei, sed etiam in HONOREM VIRGINIS, fatente Suaresio. Denique R. E. Sanctis Festa dedicat, ita ut Bellarmini testimonio, honor dierum festorum *immediate* & *terminative* etiam ad Sanctos pertineat. At Durandus: *Ad latriam pertinent templa & altaria, sacerdotalia sacrificia, festa.* Nunquam in V. T. festum honori cujusquam mortalis institutum fuit: Nusquā melioribus temporibus in Ecclesia Christiana. Res tam absurdè idololatrica est, ut Gratianus neget hoc festum celebrandum esse. Epiphanius: φιμώσθωσαν ὑπὸ Ἱερεμίου

In Thomam p.3.q.27.a.1

De cultu sanct. l.3. c.16.

Rat.l.4.c.39. n.2.

Dist.3.c.promanant.

Hæres.79.

aj

αἱ τοιαῦται γυναῖκες, μὴ λεγέτωσαν, τιμῶμεν τὴν βασίλισσαν τοῦ οὐρανοῦ.

De agno Dei.

Romana Ecclesia agnis cereis per Pontificem consecratis, eandem virtutem delendi peccati adscribit, quam sanguini veri agni Dei, qui peccata mundi tulit. Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus autor libri de ceremoniis S. R. E. hosce versus Papæ Urbano attribuit, quam vere, ex consecratione liquet, quæ in ceremoniali continetur.

Balsamus & munda cera, cum Chrismatis unda, L. 7.
Conficiunt agnū quod munus do tibi magnū:
Fonte velut natū, per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit, & omne malignū
Peccatum frangit, ut CHRISTI SANGVIS, ET ANGIT;
Prægnās servatur, simul & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis.
Portatus mundæ, de fluctibus eripit undæ.

Quid ultra volumus? Judæi olim vitulo suo tantam virtutem non tribuerunt, & tamen Idololatræ manifestarii habebantur. Quia autem hic cereus agnus est imago Christi, eandemque delendi peccata virtutem quam Christi sanguis habet, non tantum ob repræsentationem, sed & ob eandem

dem illam vim divinam, germanissima latreia, eaque non tantum relativa, sed & absoluta, ex præscripto Thomæ & R. E. praxi afficiendus est. An non spem & fiduciam in tali agno colloco, quem gesto ea causa ut fulgura depellat, & tempestates compescat, omne peccatum ut Christi sanguis angat & frangat, prægnantes servet, virtutem ignis destruat, & de fluctibus undæ me eripiat? Sed quam virtutem habeat, melius ex formula consecrationis discemus: *Quemamodum ille agnus innocens tua voluntate immolatus in ara crucis, Jesus Christus filius protoplastum nostrum de diabolica potestate eripuit:* SIC ISTI AGNI IMMACVLATI VIRTVTEM ILLAM ACCIPIANT, *quos consecrandos offerimus in conspectu divinæ majestatis tuæ. Tu eos bene✠dicere, sancti✠ficare & conse✠crare digneris, ut tua larga benedictione sanctificati,* EANDEM *virtutem accipiant contra omnes diabolicas versutias, & fraudes maligni spiritus.* En tibi agnum, qui EX CONSECRATIONE divinam virtutem qua sola diaboli malitia depelli, frausque maligni spiritus dissipari potest, accepit. Quidni in genua procidamus, & absoluta talem agnum latreia colamus? Sed R. E. non tantum tales agnos ejusmodi efficaciæ supernaturalis; sed & plurimas virtutes, teste FeroMonacho doctissimo & probissimo habet.

De

De Cruce.

Romana Ecclesia profitetur & asserit ex sententia communiori & magis trita in Scholis, Gretsero teste, crucem colendam esse latreia. In honorem Crucis eadem Festa instituit *Inventionis, Exaltationis, Rogationum.* Item Missam de S. Cruce. Item Officium. Utque ad crassam & ridiculam idololatriam nihil desit, *Sacrificium* ei offerunt *suffitus.*

L. 1. de sacra cruce, c. 57.

Bellarminus de triumphante Ecclesia l. 1. c. 13. hoc fatetur. *Suaves odores etiam cruci offerimus in Ecclesia.* Sed Missale Romanum rem clarius ob oculos ponit. *Sacerdos celebrans in Missa solenni post crucem ter reliquias bis incensatas, incensat imagines, semel singulis thuribulum ducens.* (Nonne credas hic Levitam quendam Aaronicum in vitam reducem sacris Mosaicis operari?) *Cum benedicitur nova crux, thus à Pontifice in thuribulum imponitur, deinde aspergitur aqua benedicta, & mox incensatur.*

Psalm. 141. 2. Apoc. 8. 3.

De ritu celeb. Miss. Pont. p. 2. de benedict. novæ crucis.

Ezechiel propheta ipsos doceat quid cultus sit. Sed audiamus benedictionem LIGNI. *Oremus te Domine sancte Pater, ut digneris benedicere* HOC LIGNUM *Crucis* TUÆ, *ut sit* REMEDIUM *salutare generi humano, sit* SOLIDITAS *fidei, bonorum operum profectus,* & REDEMPTIO ANIMARUM: *sit* SOLAMEN & PRO-

C. 8, 11.

& PROTECTIO *ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Crux suos fortiores semper facit & victores; morbos sanat & languores: reprimit dæmonia: dat captivis libertatem, vitæ confert novitatem, ad antiquam dignitatem crux reducit omnia. O crux* LIGNVM TRIVMPHALE! *Mundi* VERA SALVS *vale: inter* LIGNA *nullum tale fronde flore germine: Medicina Christiana, salva sanos, ægros sana, quod non valet vis humana, fit in tuo nomine. servi crucis, crucem laudent. Ave salus totius seculi* ARBOR SALVTIFERA.

p. 2. t. de bened. novæ crucis. In Pontificali Romano Episcopus precatur. *Ita quæsumus* (Christe) *accipias istam crucem, quemadmodum & illam, quam manibus amplexus es. Et sicut* PER ILLAM *mundus expiatus est à reatu: ita offerentium famulorum tuorum animæ devotissimæ* HVIVS CRVCIS *merito careant omni perpetrato peccato.*

Breviarium Romanum: *per* SIGNUM *crucis de inimicis nostris libera nos Deus.* Antidotarium. *Lignum crucis defendat me ab omnibus malis.*

Breviarium Sarisburiense castigatum. *Ara crucis, lampas lucis, vera salus hominum. Nobis pronum fac patronum, quem tulisti Dominum. Salve lignum vitæ, dignum ferre mundi pretium.*

Hic Romana Ecclesia LIGNVM apertè & di-

& distinctè à Christo invocat: *decora & fulgida, ornata regis purpura, electa digno stipite tam sancta membra tangere, cujus brachiis pependit secli pretium, quam Helena concupiscenti animo requisivit, quam Macarius Ierosolymorum Ep. precatus Deum fœmina morbo gravi affectæ admovit eo affectu ut continuo revalesceret*, reliquis duabus nihil tale efficientibus. Quid hinc concludis? Nempe R. E. LIGNO divinam virtutem adscribere, quæ soli Jesu Christo convenit, quam vim in cruce primigenia Christi attactus, in reliquis consecratio indiderit. Itaque hoc lignum consecratum est VERA SALVS mundi, est ARBOR SALVTIFERA, est REMEDIVM salutare generi humano. Hinc clare R. E. mentem explicat suam: *Ecce* LIGNVM *crucis, venite adoremus, dulces clavos, dulce lignum, dulcia ferens pondera. Tu solum fuisti dignum, sustinere regem Cœlorum & Dominum!*

In Dom. pass. in festo. inv. crucis 3. Maji. exalt. crucis 14. sept.

Antiphona in Festo inv. S. Crucis 3. Maji.

Brev. Rom. correctum à Pio V. *O crux digna portare mundi talentum, salva præsentem catervam in laudibus tuis congregatam.*

Sabb. infr. hebd. 4. quadrag.

Ex hisce in medium allatis, liquet R. E. internam & externam latriam LIGNO crucis distinctè considerato à Christo, deferre. Thomas. *Si loquamur de ipsa cruce, qua Christus crucifixus est, utroque modo est à nobis veneranda & adoranda* EADEM ADORATIONE

Sum. p. 3. q. 25. art. 4.

CVM

cum Christo, *& per hoc crucem alloquimur & deprecamur quasi ipsum crucifixum; & in ea spem salutis ponimus.* Thomas apertè crucem, cui Christus affixus fuit, ab alia quavis distinguit: hancque duplici titulo repræsentationis & contactus, aliam solius repræsentationis caussa religiosè & divino cultu adorandam docet. Quod nisi ipsi ligno divinum cultum tribueret, cur tam anxiè & distinctè rationibus allatis disputaret. *Pontifex flexis ante crucem genibus, ipsam devotè adorat & osculatur.* Apertè hoc Deus prohibet, Exo. 20. *Non incurvabis te,* nec simulacrum coles. in Hebræo, non tam interna affectio, quàm externa corporis inclinatio prohibetur. Pontificale Rom. sub Pio V. p.2. c. de bened. S. Crucis. Christus non habet vim è consecratione: Christus non adoratur propter contactum, neque propter repræsentationem. Metonymia itaque qua Crux pro crucifixo Christo accipiatur, locum non habet. Quis sanus preces istas de Christo intelligat: *O Crux lignum triumphale, inter ligna nullum tale fronde flore germine. Tu fuisti dignum sustinere regem, crux quam manibus Christus amplexus est, &c.* Festum inventionis, exaltationis Christo non institutum est. Est, ajunt in adoratione crucis *περὶζωποιΐα*. Hoc idololatriam non minuit, sed auget. Patet enim ultrò crucem vita & sensu carere. Itaque ea

ratione

ratione minimè compellanda est, qua ipse Christus. Fit enim frustra. Involent Christum, eique gratias pro redemptione agant. Non per lignum crucis, sed in ligno crucis λύτρον persolutum est. Meritum, non ligni sed Christi, est. Nec avarus excusabitur, si per προσωποποιίαν Auro dicat: *Tu es spes mea*, præsertim si ei vim adscribat divinam, totoque cordis affectu illud amplectatur, ut Papistæ crucis lignum tractant.

Lactantius Papistas nostros vere his verbis tangit. *Metuunt ne ipsorum religio vana sit, si nihil videant quod adorent.* Nos illud Ambrosij observemus. *Helena invenit titulum. Regem adoravit, non lignum utique. Quia hic gentilis est error & vanitas impiorum.* Hinc olim à Catholica Ecclesia σταυρολάτραι inter hæreticos relati sunt. Nihil enim illi potuerunt cruci honoris aliud exhibere quam Papistæ exhibent. In orat funebri Theodosij.

De Imaginibus.

Athanasius inducit Ethnicos ita imaginum cultum excusantes, ταύτας γὰρ εἶναι γράμματα τοῖς ἀνθρώποις, οἷς ἐντυγχάνοντες δύνανται γινώσκειν περὶ τῆς τοῦ θεοῦ καταλήψεως. *Esse literas quas legentes homines possint cognoscere Dei comprehensionem.* Augustinus. Simulacrorum cultor ita lo- Oratione contra gentes.

 quitur.

quitur. *Nec simulacrum nec Dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo.*

Inst. moral. p.1.l.9.c.6.

Hi Ethnici ab Azorio nostro nondum didicerant: *Constantem esse Theologorum sententiam: imaginem eodem honore & cultu honorari, quo id, cujus est imago, colitur.* Hoc enim Athanasio & Augustino Ethnici respondissent. Nec illud Nanclanti. *Non solum fatendum esse, fideles in Ecclesia adorare coram imagine, sed & adorare imaginem sine quo volueris scrupulo: quin & eo illam venerari cultu, quo & prototypon ejus.*

In Ep. ad Rom.c.1.

quæst.25.a.6. disp.110. c.2. & 3.

Vasques paulo altius se in hoc mare absurditatum immittit. nam tradit mirificam quandam doctrinam revera horrendam Christianis auribus. *Res omnes inanimæ & irrationales rite adorari possunt* (adoratione divina, de qua sermo est) *conjunctæ cogitatione cum Deo. Homo quivis potest latreia adorari, adeo ut ipsum eodem motu adorationis cum Deo complectamur, sicut imaginem cum exemplari.* Addit; *Non esse necessariam ignorationem, ut ab Idololatria quis excusetur, qui in radio luminis vel specie crucifixi, sub qua dæmon delitescit, Deum adorat.* Sic olim Ethnici primum numen in variis effectis colebant, teste Augustino. Hic aperte docet Deum in qualibet creatura adorari posse: omnes res capaces esse latriæ propter conjunctio-

De civit. Dei l.6.c.5.

junctionem & habitudinem cum Deo: sicut proxima materia adorationis sit quævis res creata; ratio adorandi Deus. Sic impunè possum adorare omnia Ethnicorum idola, imò diabolum ipsum: sic olim veteres *Thurificati* qui idolis cogebantur thus adolere non peccarunt. Nam mentis intentione hoc incensum per idola Deo potuerunt offerre. Opera hujus Iesuitæ cum publica approbatione in lucem exiverunt. Hæc doctrina quam sit Christiana quid attinet dicere? Nonne imago etiam quatenus est repræsentatio, aliquid creatum est & Deo inferius? Quomodo itaque latreia cum imagine communicari potest? Regerunt latreiam per se Deo propriam esse; latreiam propter aliud creatis rebus tribui posse. At sic summus cultus non erit summus. Nam quod honoro propter aliud, ei summum honorem non exhibeo, eo ipso quia propter aliud honoro. Iudico enim causam honoris, id est, excellentiam illam non in ipso, sed in alio residere. Hinc sequitur latreiam propter aliud inferiorem cultum esse. Deinde adoratio debet respicere excellentiam, qua res adorata digna est veneratione. Hæc aut est infinita, aut non. Si imaginis excellentia infinita est, creatura creatori exæquatur. si non est; in summi cultus participationem venire non potest. Imo

 quod

quod mireris hanc doctrinam Papistæ hodierni abhorrent. Bellarminus eam populo negat proponendam; esse enim periculosam, neque populum capere subtiles distinctionum mæandros, è quibus ipsi doctores vix se expediant. Contra Vasques sententiam Bellarmini qua censet imaginem quatenus imago est per se non propter aliud religioso cultu dignam esse, ut stultam explodit. Nam res inanima ait religioso cultu per se quomodo digna sit? Litigent & irrideant alter alterum quoad libet. Sanior Abulensis fatetur in imaginibus Deum pure signantibus, sc. trinitatem, duo incommoda evenire, 1. idololatriam, 2. Hæresin Anthropomorphitarum; Hinc synodus Nicæna 2. Imagines Dei Patris & Spiritus sancti excludit. Uadiani vel Audiani teste Augustino Hæretici, ut & teste Nicephoro Armenij *cogitatione carnali Deum fingebant ad similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Pingebant imagines Dei Patris & Spiritus S. quod est valde absurdum.* Habemus sententiam Ecclesiæ Christianæ. Gregorius 2. in Epistola, quam Baronius ad annum 716. refert hanc idololatriam damnat. Baronius adnotat. *Hoc in Ecclesia non amplius observari.* Vere. Nam hæ imagines papatus templa mirifice exornant. Senex quidam juvenem gremio tenens cum columba supernè capiti-

Lib. de imag. cap. 22.

in c. 4. Deut.

Act. 7. ad Cōstant. & Irenen.

tit. quod vult Deus c. 50.

Niceph. l. 18. c. 53.

capitibus vel involitante vel insidente trinitatem dicitur repræsentare. Senex cana barba venerandus solio insidet, orbemque complectitur manu, cruce insignitum; filius in gremio requiescit patris; columba utrumque obumbrat. Quid hæc imago est? Idolum. Quando unquam Trinitas sese sic manifestavit? Quid quod distinctæ essentiæ differentias ea doceat Arrianorum & Anthropomorphitarum maximo commodo? Bellarminus tria genera imaginum recenset, quorum primo essentia, altero Historia, tertio analogia significetur. Sed dicat quænam pictura unquam essentiam repræsentet? De historia non sumus soliciti. Historia non adoratur: hæc imago adoratur. Sed quæ analogia tam potens est tantique momenti ut velit Deo ipso sapientior esse? Cur non quod Deus & verbis & factis significavit se fieri nolle, omittit? *Non vidistis* VLLAM IMAGINEM *in die qua locutus est Dominus ad vos in Choreb in medio ignis. Ne forte corrumpamini, & faciatis vobis sculptile, imaginem* OMNIS *similitudinis, formam masculi aut fœminæ, &c.* Num Deus in Choreb analogicam imaginem sui exposuit imitandam? NVLLAM. Corruptus es Bellarmine cum Romana Ecclesia & Chorœbo stultior, qui studes disputando Deo ipsi os oblinere, & pictoribus eam repræ-

De Eccles. triumph. l. 2. c. 8.

Deut. 4. 16.

ſentandum tradere. Solam vocem oppoſitam omnibus figuris Deus exhibuit. Hanc debebas attendere. Imo diſerte imperfectam & analogicam imaginem Maſculi reſpuit. Nonne Deus pro regula officij noſtri vult haberi quod verbis præcepit & factis demonſtravit? Strabo ait: *Moſin ſtatuiſſe colendum Deum* εἴδες χωρὶς, id eſt, *ſine ſpecie.* Clemens Alexandrinus. *Deus ex Moſis diſciplina nec hominis effigie, nec ulla alia exprimitur.* Apud Philonem Agrippa Iudæus Epiſtola ad Caligulam ait. *invisibilem Deum majores noſtri nefas duxerunt fingere aut pingere.* Auguſtinus. *Tale ſimulacrum nefas eſt Deo collocare.* Hinc Salignacus, Bontillerius, Eſpenſæus, Piſcherellus delecti Theologi à Sorbona ad colloquium Sangermanni habitum una cum Montucio Ep. Valentino teſtati ſunt ſe cupere trinitatis imagines è templis aliiſque publicis & privatis locis prorſus amoveri, quod eæ per ſcripturam, per ſynodos & per complures eximia doctrina & ſanctitate viros interdictæ ſint. Sed Romana Eccleſia non eſt eo ſenſu & animo. Nam ex doctrina ſui Thomæ eis mavult latreiam exhibere. Nam illud: *bene de me ſcripſiſti Thoma*, ab ipſis imaginibus diſcamus licet, quæ adeo latreiam veram edita voce ſibi expoſcunt. Sed num hoc præceptum Iudæos forſan obligat

Strom. l. 1. & 5.

De fide & ſymbolo. c. 7.

Hiſt. Eccl. in Gallia l. 4.

ligat ut Vasques vult, Christianis libertate relicta? S. Paulus, ὀυκ ὀφείλομϑν νομίζἐν χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης ὲ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπȣ τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον. i. e. *Non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis &* COGITATIONIS HOMINIS, *Divinum esse simile.* Nervus argumenti Paulini hic est, cui τὸ θεῖον non est simile, ei non debet assimilari. At nulli rei conspicuæ simile est. Hoc præceptum à Paulo Gentibus proponitur observandum. Est itaque morale. Deinde cujus interdicti causam Deus ex æternæ suæ essentiæ conditione desumit, id non est ceremoniis adnumerandum. Non enim Deus minus ignis consumens est ac olim. Cui itaque Deum assimilabimus? Quam imaginem ponemus ei? *Analogicam,* si Bellarmino, *Nullam*, si Deo ipsi credimus. Hoc dico, astipulatu S. Augustini. *Primo præcepto prohibetur, ne colamus ullam imaginem Dei, nisi* VNAM EANDEM*que cum ipso,* i. e. *Christum.* Denique omnes antiqui patres hoc præceptum *de Deo non exprimendo,* Ecclesiæ Christianæ æquè ac Judaicæ traditum, judicaverunt.

Act. 17. 29.

Ep. 119. ad Ianuarium c. 11.

Sed generale interdictum in Exodo exstat: *Non facies tibi sculptile, nec ullam similitudinem, quæ in cœlis desuper, & quæ in terra, &c.* C. 20. 4.

 Non

Non incurvabis te eis, neque servies eis, quia ego Dominus tuus zelotes. Hoc cum tonitru & cœli fragore horribili editum interdictum, Romana Ecclesia nihil ad se attinere judicat. Sed ubi id abrogatum est? A Christo vel Apostolis? Ostendant hoc. Vetus Ecclesia Christi id sibi traditum ὁμοθυμαδὸν judicavit. Biblia Lovaniensia reddunt: *Imaginem sculptam*, & similitudinem. Sed effugium occlusum est. Nam nullius rei imago ad cultum religiosum effingẽda est, ubi ubi existat. Non tantum sculptile, sed omnis similitudo excluditur. Quid hic dubii? Praxis Ecclesiæ Judaicæ manifesta est. Prohibentur idola haut dubiè. Sed ex imagine idolum fit, cum præceptum hoc violatur. *Ne adorato, neque colito ea.* Bellarminus acta Concilii Francofurdiensis agnoscit, in his dicitur: *Non nos imagines in basilicis positas, idola nuncupamus; sed ne idola nuncupentur, adorare, & colere eas recusamus.* Imago itaque religiosè culta, idolum est. Excipiunt Papistæ 1. se imaginibus Christi, crucisque, latriam exhibere *impropriè & per accidens.* Sed cultus divinus & religiosus, nullo modo cum creatura communicari potest. Carpocratiani, imaginem Jesu propter Jesum colebant, itaque impropriè ipsam, & per accidens. Audiamus Ethnicos apud Arnobium. *Neque nos æra, neque auri, argentique materias aut alias, quibus signa con-*

L.6. & 7. contra gentes.

fiunt,

fiunt, esse per se Deos, & religiosa decernimus numina; sed eos ipsos in his colimus ac veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulacris. 2. Imaginis cultum ad exemplar referri. Sed hic cultus imaginum ad exemplar relatus, idololatras Judæos constituit. Hi Jehovam in vitulis & sculptilibus colebant. Vitulo ad adorationem erecto, ajunt: *Cras festum Jehovæ.* Dicunt quidem: *Ecce Elohim tui*, sed aperta metonymia. Satis enim se aperiunt, addentes, *qui te ex Ægypto eduxit.* Quomodo NOVUM JEHOVAM FECISSENT, à quo jam ante ex Ægypto se eductos ajunt? Igitur verum Deum in isto signo constituerunt colere. Alibi Simulacrum conflatum ex argento, dicitur *sanctificatum Jehovæ fuisse.* Num ideo Micha vel mulier, minus idololatræ erant? Jehu: *Vide zelum meum pro Jehova,* qui tamen vitulos colebat. Sed notandum est Catechismum Tridentinum Pii V. & Gregorii XIII. jussu editum, & autoritate Synodi munitum tradere, Verum Deum ejusmodi simulacris repræsentatum ab idololatris fuisse. Sed juxta Ambrosium. *Non vult se Deus in lapidibus coli.* 3. Deo ajunt se latriam propriam servare, sanctis & imaginibus duliam. Sed in præcepto non tàm latria quàm externa inclinatio, & genuflexio interdicitur, ita ut nequeant excipere, hic agi

Exod. 32, 5.

Iud. 17. v. 3.

2. Reg. 10. 16. 23. 29.

Epist. 31. ad Val.

tantum de latria, quæ simulacris directe ut Diis impendatur. Pugnat itaque adversa fronte cum hoc: *Non incurvabis te.* Nicena 2. Synodus. *Definimus cum omni cura venerandas imagines ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis, dedicandas & collocandas in templis, illisque salutationem & honorariam adorationem exhibendam.* Idem Papa Adrianus I. *Ut his osculum & honorabilem salutationem reddat.* Epiphanius Episcopus Concilii. *Sive placebit salutationem, sive adorationem vocare, idem erit, modo sciamus excludi latriam, quæ soli naturæ divinæ reservatur.* Sed eo usque superstitio progressa est, ut ab his initiis profecta, ad latriam eruperit *relativam* illam & *impropriam.* Porro Papistę ante imagines se prosternunt, candelas iis accendunt, vestes pretiosissimas induunt, rosaria pedibus imaginum affricant, deinde osculo honorant. Concilio Tridentino videtur bonum, ad imaginem sancti alicujus, orationem dominicam pronuntiare.

Act.7.

Tom.2. Ep. Pont. in repreh. ad c.9. Act.7.

Cap. dę orát.

4. Deinde cum interdictũ generale est, non est subjectorũ, exceptiones afferre. Hoc enim Legislatoris est. Verbum Dei non nisi de una religiosa loquitur adoratione, *quæ est actio qua creatura ratione & intellectu prædita, se corám alio quocunq; submittit, eũ invocando, eiq; serviendo religionis officiis, tanquã ei, qui cor & cogitationes suas norit, precesque suas possit exau-*

exaudire. Hoc officiũ ſolus Deus ſibi ab homine vult præſtari. Nam nullũ mandatũ Dei de religiosè adorãdis creaturis exſtat, nullum exemplum in Scriptura. Immo in Scriptura δȣλεία iſta Deo debetur. δȣλεύσατε αὐτῷ μόνῳ. i. e. *Servite illi ſoli.* Sed & ſi hæ duæ ſpecies religioſæ adorationis recipiuntur, omnis illa probatio, qua Scriptura ad divinitatem Chriſti probandam utitur, vana erit. Ad Hebræos Divinitas Chriſti probatur inde, quia ſcriptum eſt, *Omnes Angeli cœli illum adorabunt.* 5. Certum eſt, quod populus non intelligat ſpecies religioſæ adorationis, *latriæ abſolutæ & relativæ, duliæ abſolutæ & relativæ,* item, *hyperduliæ abſolutæ & relativæ*; ſed adgeniculans imagini totam eò devotionem cordis afferat. neque enim poteſt eam in adeò ſubtiles ſpecies dividere. Sed adorare imaginem relativè eſt imaginem adorare. Adorare ſtatuam reſpectu Chriſti, non eſt adorare Chriſtum. De hoc enim nulla lis eſt: de altero eſt, quod ipſi ſatis oſtendunt eo, quod illam relativam, hanc abſolutam adorationem appellant. Unde ſequitur eum, qui relativa utitur, eo ipſo actu abſoluta adoratione non uti. Quid quod relativa hac adoratione recepta, nulla creatura in mundo eſt quam nequeamus tuto adorare. Quod Vaſques ſtatuit. *Quid quæſo obſtare poteſt, quo minus quamcumque rem mundi cum Deo,*

1. Sam. 7.

C. 1.

L. 3. d. 1. §. 8. p. 455.

Deo, qui in ea est secundum essentiam, & quam continua sua virtute conservat, secluso periculo adorare & colere possimus? Quid quod hæc distinctio mentem solum Ecclesiæ R. declarat, non eam ex verbo Dei stabilit. Monstrent ubi Deus & Sancti, hanc relativam imaginum suarum adorationem mandarint. Deinde ajunt, Ethnicos, falsos Deos adorasse; se, amicos Dei. Sed cultum soli Deo debitum, non magis ad amicos, quàm ad inimicos ejus transferre licet. Fœmina adulterii rea est, si amicis Mariti copiam sui faciat æquè ac inimicis. Deus est zelotes.

De artolatria.

Artolatriam Papatus omni virium contentione defendit. Sed Ecclesia Christi cum S. Augustino rectissime *panem Domini*, & *panem Dominum* discernit. Sacramentum corporis & sanguinis Domini facta conversione, R. E. absolute statuit adorandum esse religiose, idque summo cultu, quem latriam vocat, sed hypothesibus suis contraria decrevit, adeoque in manifestam idololatriam incurrit. 1. Consecratio non peragitur sine legitima intentione legitimi Sacerdotis. Quod Concilii Tridentini decreto ita firmum est, ut à nemine Papistarum in dubium vocari possit. 2. Ista intentio, ut & potestas Sacerdotis unice dependens, tum ex inten-

Conc. Trid. de ministr. sacr. can. 11. item de venerab. sacr. cœnæ, can. 5.

tentione ejus à quo Sacerdos baptizatus, tum ex poteſtate & intentione ejus à quo ordinatus eſt, ſub fidem non cadit, ideo de ea licebit dubitare. 3. Nemo deſtitutus legitimâ ordinatione & intentione poteſt conſecrare. 4. Abſoluta latria Deo debetur eique SOLI. 5. Converſione nulla factâ panis eſt & manet qui in miſſa ad adorandum proponitur. 6. Quod in miſſa adorandum proponitur habet rationem formalis objecti, proponitur enim ut ipſe Deus benedictus & crucifixus, non ut materia Uaſqueſij proxima, quæ ut conjuncta cum Deo adoratione relativa adoretur.

Ratio dubitandi de converſione panis.

Ita ſe res habet ut in iis, quæ ab induſtria & cura humana dependent, periculum ſit minus rectæ adminiſtrationis, præſertim ſi non unius ſed plurium, opera ad eam requiratur. Sacerdos iteque millies baptizans poteſt aliquando aberrare, item ordinantes toties alios Epiſcopi. Preſbyter de Epiſcopi ſui intentione & poteſtate certus non eſt: multo minus de intentione eorum qui illum olim Epiſcopum ordinarunt. Quod ſibi vitium admiſſum ſit, nulla poteſtate erit præditus ordines conferendi,

licet

licet maximè intentione debita non caruerit: atq; ita sursum adscendendum ad Petrum usq; Principem Apostolorum, qui reliquis, ut volunt, ordinem & jurisdictionem tribuit, nam alias non fuit Monarcha Ecclesiæ. E. G. Petrus ordinatus est à Paulo, Paulus à Iohanne, Iohannes à Luca, hic ab alio, atque is iterum ab alio usque ad Petrum. Ut Petri ordinatio valida sit, oportet Paulum habuisse legitimam intentionem, adeoque à Iohanne cum debita intentione ordinatum esse: hunc Iohannem item à Luca eisdem legibus, scilicet habente legitimam intentionem & ordinato cum eadem: Lucam itidem ab alio per omnia Christianæ Ecclesiæ secula. Quod si non tantum Paulus sed quicunque alius in illo ordine vel debita intentione caruerit, aut ipse sine tali ordinatus sit, Petri ordinatio nulla est. Item si in illo ordine Episcopus ordinans simoniacus sit, totum robur ordinationis fractum est. *Nam quicunque studet per pretij dationem sacrum ordinem accipere, sacerdos non est, sed inaniter tantummodo dici concupiscit.* Item; *Quicunque sacros ordines vendunt aut emunt, sacerdotes esse non possunt. Vnde scriptum est: anathema danti, anathema accipienti. Hæc est Simoniaca hæresis. Quomodo igitur si anathema sunt & sancti non sunt, sanctificare alios possunt? Cum in Christi corpore*

Cauſ. 1. q. 1.

c. qnicunque.

corpore non sint, quomodo Christi corpus tradere vel accipere possunt? Item: *Cum ordinatur Episcopus* (pretio), *quod dedit aurum fuit; quod perdidit anima fuit: cumque alium ordinat, quod accipit aurum fuit, quod dedit lepra fuit. Gratia si non gratis datur vel accipitur, gratia non est. Simoniaci enim non gratis accipiunt.* E. *nec habent. Dant quod habent speculum mendacij. Nam si spiritus veritatis gratis accipitur, procul dubio spiritus mendacij esse convincitur, qui non gratis accipitur vel datur.* Itaque cum per tot secula tot actus intervenerint in tanto conflictu schismatum, & copia Simoniacorum, credibilius est, aliquem eorum irritum quam omnes ratos fuisse. Vno autem irrito sequentium ordinatio inefficax est. Nam ita res humanæ comparatæ sunt ut vix fieri possit, quin defectus aliquis multis variisque actionibus obtingat. Itaque sacerdos illud quod elevat, populo proponit tanquam objectum formale latriæ absolutè vel cum conditione, nempe si conversio facta sit. Si prius, tum ipsi certo necesse est veritas conversionis cognita sit per revelationem, quod tamen falsum est. Itaque cum conditione sibi ignota Deum istum adorandum proponit. Hinc autem sequitur sacerdotem nescire utrum panem an Deum adorandum proponat, populumque itidem nescire utrum panem

c. cum ordinaretur.

c. qui perfectionem.

c. 1. q. 1. cap. gratia.

panem an Christum adoret. Hæc autem adoratio peccatum est, quia ex fide non fit. Populus adorat id, & jubetur adorare, de cujus divinitate salva fide potest dubitare. An non hęc est horrenda idololatria? Adoratio est absolutè summa, Deoque unicè debita, quam sibi soli vindicat, quam cum nulla creatura vult communicari. Sic transfertur ad id objectum, quod tanquam formale, i.e. ipse Deus proponitur, de quo fide certus non es, an eo cultu dignum sit. Atque ita cultum proprium uni Deo cum summo periculo idololatriæ committendæ, communem facis Deo & creaturæ. Num docet Scriptura, ut religiosè id invocemus, quod interdum panis est? Minimè. Itaque illud crustulum in Missa elevatum, legitimum latriæ objectum non est. Imò an Scriptura jubet te eum invocare, cujus divinitatem credere non debes? Minimè. Itaque panaceum istum Deum missum fac, cujus divinitatem conjectura non fide tenes. Quem invoco ut Deum, hunc credere debeo Deum esse. Itaque Hostiam Missaticam, Papista debet credere Deum esse. At non potest. Respondent: Christum semper adorari ratione intentionis, qua adorans præditus est, licet circa objectum materiale aberret. Respondeo. Nullum hic est objectum materiale, sed formale. Sacerdos enim populo non panem, sed

ipsum

ipsum Deum ostendit. Si intentio idololatriam aufert, cum latria exhibetur Non-Deo, nullus idololatra in mundo fuit. Quis enim intendit falsum Deum adorare? Ferus ait, omnium gentium animum fuisse, vero Deo cultum exhibendi, licet idola sibi præstituerint. Non itaque omnis qui intendit verum Deum adorare, adorat, sed tum demum, cum id eo modo facit, quo ipse jussit. Ostendant nobis mandatum Christi in Cœna ultima, qua hunc panem jusserit non edi tantum, sed & adorari. Ferus: *Deus non curat intentionem nostram, sed verbum suum. Quilibet in Israele agebat, quod rectum sibi videbatur*. Micha ait: *Consecravi illud argentum Domino*. Quid hic in intentione Papista desideras? Intendis Christum in accidentibus panis conversi adorare. Ubi hoc jussit? Idololatria committitur duplici ratione, 1. cum ab ipso objecto vero aberratur, 2. cum vero objecto præstituto, modus à Deo præscriptus, & mandatus negligitur, cum utroque potest intentio verum Deum colendi consistere. Deus sui colendi rationem accuratè clareque nos edocuit, hanc observemus, neque *ultra id quod scriptum est, sapiamus*.

In Act. c.17.
In Iud. c.17.
Iud. 17.3. c.18.31.
1.Reg.18.21

P CA-

CAP. VIII.

Papatus Antichristianus est.



ERE dixit Chrysostomus. *Qui primatum in terra desideraverit, inveniet confusionem in cœlo; nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit.* Non opinor hic doctor jus Pontificis ignoravit, vel hæreseos obstinatione negavit. Gregorius Papa: *Quis in hoc tam perverso vocabulo* (universalis Episcopi) *nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & NVLLI subesse, & OMNIBVS praeesse videretur? Totum autem gregem Episcoporum omnium*, Dominationi Pontificiæ subjectum esse, patet ex eorum juramento. *Vis B. Petro Apostolo, cui à Deo data est potestas ligandi & solvendi, ejusque Vicariis Romanis Pontificibus* FIDEM, SVBIECTIONEM & OBEDIENTIAM *secundum Canonicam autoritatem exhibere? Volo.* Antonium Puccium audiamus. *Non ignari sumus* OMNEM TIBI VNI *in cœlo & in terra traditam à Domino potestatem: ut non spiritualibus tantum viris; sed terrenis quoque hujus seculi potestatibus, in causa communis boni, jus dicere non pertimescas.* Item Stephanum Episcopum Patracensem. *Reges in compedibus magnitudinis magni regis liga, & nobiles in mani-*

In Dial. l. 3.

L. 4. ep. 38. ad Ioh. Constan.

Pontif. de consecr. Episcop. in exam.

Conc. Lateranensi sess. 9. sub Iulio 2. & Leone 10.

Sess. 10.

manicis ferreis censurarum constringe, quoniam tibi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Qui totum dicit, nihil excipit. Iterum Puccium: *In te* (Leo X) *propheticum illud debuit rursus compleri: Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Baronium ipsum. *Princeps Saracenorum deosculatis pedibus fixit genua coram Papa, & inclinato capite tanquam sanctum & pium Christianorũ Deum ipsum Pontificem adoravit. Populus hæc videns, dixit: Et adorabunt eum omnes reges terræ, & omnes gentes servient ei.* Sed ut ordine rem strictimque exsequamur, 1. Sedem Antichristianam, 2. titulos divinos, 3. comparationes Papæ blasphemas cum Deo, 4. dispensationes horribiles in divina & naturali lege, 5. Ceremonias intolerabili superbia conspuendas, 6. Praxin alienissimam à Christi mandatis & moribus, imo eisdem è diametro contrariam, 7. tempus Antichristi venturi consideremus.

Tom. 12. annalium de Alexandro 3.

1. De sede Antichristi.

Roma dicitur Babylon, quia ad finem seculi futura est officina omnis idololatriæ. Hoc Ribera Jesuita dicit, plurimosque testes veteres & recentiores laudat. Collegium Anglo-Remense: *Roma erit sedes Antichristi.* Lorinus in c. 5. prioris epist. Petri idem sentit. Idem Vega testatur. Roma autem non *Ethnica,*

Com. In Apoc. 14.

In Apoc. 17.

In Apoc. 18.

nica, sed *Christiana* intelligitur. *Cecidit, cecidit Babylon, & facta est habitatio Dæmoniorum.* 1. His verbis Apostolus ad Romā Ethnicam non respexit: eversa enim Romæ Ethnicæ superstitione, Religio Christiana ibi effloruit, factaque est domicilium Christianorum, & officina pietatis, cum ante esset impura, & idolis tota dedita. 2. Post eversionem Babylonis, Joannes loquitur de nuptiis agni, & ultimo judicio. Itaque meretrix illa Babylonis, non nisi sub finem seculi perdenda est. Non itaque ad Romam Ethnicam hæc eversio Babylonis spectat. 3. Bestia quam Joannes vidit, cui meretrix insidebat, non adhuc erat, qualis futura erat, neque imperium inchoaverat. Ex abysso enim adscensura erat. At Roma vetus tempore Johannis cum summo imperio erat & florebat. 4. Decem reges tempore Johannis nondum incœperant regnare, sed imperio collabente, regnum suscepturi erant. Angelus ait: Eos nondum regnum accepisse, sed una cum Bestia accepturos, sc. Antichristo. Itaque per Bestiam non vetus Roma, sed Papana intelligenda est. 5. Roma vetus non potest dici mater fornicationum, poculum in manu tenens plenum abominationis. Nam religionis corruptelas Roma vetus in mundum non invexit, imo ab aliis gentibus pleraque sua idola accepit. Roma autem

Apoc. 17.

autem Papana quicquid non continet armis, religione tenet. Hinc Hieronymus: *Lege Apocalypsin Iohannis, & quid de muliere purpurata & scripta in ejus fronte blasphemia, de septem montibus, aquis multis & Babylonis canatur exitu, contuere. Exite,* inquit Dominus, *de illa.*

2. De titulis divinis.

Nomen Pontificis quatuor primis seculis, Episcopi Romani sibi nunquam tribuerint. Crimen fuisset læsæ Majestatis. Nam, Imperatores tam Ethnici quam Christiani usque ad Gratianum hoc nomen *Pontifex maximus*, possidebant. Itaque tanto magis dolendum horum Episcoporum audaciam eo eripuisse, ut titulos sibi arrogarint, quibus divinæ majestatis læsæ crimen incurrerunt. Nam Papa Romanus 1. Caput & fundamentum totius Ecclesiæ visibilis se dici vult. *Petrus Cephas*, id est, *Caput & principium Apostolatus tenuit.* (à janua miser aberrat.) Item: *Apostolica sedes caput & cardo à Domino, & non ab aliis constituta est. sicut cardine ostium regitur: sic Romanæ sedis autoritate omnes Ecclesiæ.* Turrecremata: *Papa non est omnino aliud caput distinctum à capite quod est Christus, sed ejus vicarium est, & ejus personam, autoritatem, potestatem in terris repræsentat, ut ejus judicium,*

Baronius hoc fatetur.

Dist. 22. c. sacros.

1. sum. 2. c. 26.

judicium Dei reputetur, & consistorium ejus consistorium Dei.

In Breviloquio. 2. Sponsus Ecclesiæ, unicus à Bonaventura dicitur. Hunc titulum Bell. defendit, nec non Augustinus Triumphus. Innocentius 3. *Qui habet sponsam sponsus est. An non ego sponsus sum? quilibet vestrum amicus sponsi? Utique sponsus. Quia habeo nobilem, divitem, sublimem, decoram, castam, gratiosam sacrosanctam Romanam Ecclesiam.* Leo 10. *Ut Ecclesia sponsa nostra in sancta unione conservaretur.*

L. 2. de conc. c. 17. Art. 1. q. 19. serm. 3. de cons. Pontif.

In Bulla concord. cum Fr. 1.

Antonius Puccius: *Exsurge, matrem nostram, sponsam tuam circunda,* (alloquitur Leonem) *ipsam complectere*, in Conc. Lateranensi.

Turrecr. l. 2. sum. c. 4. Rex Ecclesiæ. *Non est inconveniens putandum, Papam dici regem Ecclesiæ.*

In Conc. Senen. Paris. a. 1612. Martinus V. Constantinopolin Legatos cum his titulis sibi tribuendis misit: *Sanctissimus & beatissimus, qui habet cœleste arbitrium, qui est Dominus in terris, successor Petri, Christus Domini, Dominus universi, regum pater, orbis lumen.*

Thes. Carafiæ Neapoli impressæ, anno 1608. Deus in terris ter optimus, ter maximus.

Lelius Zechius de rep. Eccl. c. de statu Papæ. *Est & dicitur Christi Vicarius, & quasi Deus in terris, & quod ipse facit, non humanus Princeps, sed Deus facere videtur.*

Dist. 96. c. satis evidenter. Nicolaus 1. *Satis evidenter monstratum est, quod Pontifex non potest omnino, neque ligari*

ligari neque solvi per potestatem secularem, de quo constat, quod à religioso principe Constantino appellatus est Deus. Iam manifestum est, quod Deus non potest ligari ab hominibus. Si voce Deus utitur proprio significatu, manifestâ se blasphemia obstringit: Si figuratè pro iis, quos scriptura Deos vocat, suæ ipsius potestati refragatur. Nam Principes Papæ ligant solvuntque.

Divina majestas in Concilio Laterano Leoni x. tribuitur. Supremum in terris numen Gregorius 13. à Stapletono salutatur. Seff. 9.

Petrus *in consortium individuæ unitatis* assumptus dicitur, quod jus haut dubie ad successores derivatum esse credunt. In præf. de princ doctr.

Papa est quoddam NVMEN, *& quasi visibilem Deum,* Gomesio teste, præ se ferens. C. fundam. de elect. in 6. De reg. cancel.

Blondus narrat: *Omnes Principes orbis terrarum Pontificem ut Deum summum honorare & colere.* Lib. 11. Romæ instauratæ.

Bellarminus ait: *Verbum Pontificis è Cathedra docentis, esse quodammodo verbum Dei.* Quibus verbis dum Papam studet evehere deprimit. Nam nihil cadit sub fidem nisi absolutè verbum Dei. Aut igitur dictis Papæ fides abroganda erit: aut ea pro verbo Dei absolute habenda sunt. *Quod à Papa factum est, debet reputari quasi factum à Deo.* Lib. 3. de verbo Dei c. 10. c. quanto. de translat. prælatorum. in l. decretalium.

Non homo, sed Deus separat, quos Ro-

manus Pontifex (qui non puri hominis, sed Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensata, non humana sed divina potius autoritate dissolvit. Hinc glossa in hæc verba: *veri Dei vicem.) Vnde dicitur habere cœleste arbitrium: naturam rerum immutare: de nullo posse facere aliquid: sententiam nullam facere aliquam: pro ratione ei esse voluntatem: nec dicendum esse, cur ita facis? de injustitia posse facere justitiam* (hoc nec Deus ipse vult nec potest:) *tandem plenitudinem obtinere potestatis.*

Erasmus in 1 Tim. annotat. in N. T. de consid. Bened. de Bened. prof. Bonon. a. 1608.

Olim in scholis disputatio floruit: An Papa simplex homo sit; vel num quasi Deus utramque naturam cum Christo participet?

Vnctione Christus dicitur à Bernhardo. Eugenius: Vice-Deus & invictissimus Reip. Christ. Monarcha (non dominantes Cleris, ait S. Petrus) & conservator fortissimus omnipotentiæ Pontificiæ.

Cornelius à Lapide: *Papa non ad humanum principatum institutus est, sed ad divinum: non ad dominandum solum mortalibus, sed angelis; non ad judicandum vivos, sed mortuos: non in terra solum, sed in cœlo: non ad præsidendum solis fidelibus, sed infidelibus.*

De potest. Eccles. q. 6. art. 1.

Augustinus de Ancona: *Sententia Papæ & sententia Dei una sententia est. Cum provocatio fiat à minori Judice ad superiorem, sicut*

ſicut nullus eſt major ſe ipſo, ſic nulla provocatio rita eſt à Papa ad Deum. Quia unum Conſiſtorium eſt. Poteſtas Papæ eſt infinita: omnis creatus intellectus in ejus perſcrutatione invenitur deficere: huic cuncta genua curventur, cœleſtium, terreſtrium, inferorum. Præf. in librũ de poteſt. Eccleſ. ad Ioh. 22

Culpas ejus redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe judicaturus, à nemine eſt judicandus. Diſt. 40. c. ſi Papa.

Froſſardus teſtatur Cardinales ad Regem Galliæ ſcripſiſſe, *Sicut unicus eſt in cælis Deus; ſic nullo jure poteſt ac debet non eſſe unicus in terris Deus.*

Petrus de Monte: *Papa accuſatus de crimine non tenetur ſe purgare.* In Monarchia.

Vetus & novum teſtamentum recipienda ſunt, quia de eis recipiendis S. Papæ Innocentij prolata videtur ſententia. Diſt. 19. c. ſi Romanorum.

Adſcribit ſibi poteſtatem peccata remittendi majorem quam quæ homini competit. *Qui dicit omnia, nihil excipit.* Baldus: *Papa eſt omnia & ſuper omnia.* C. ſolitæ. de Maj. & Obed. l. 1.

Papa *eſt Dominus dominantium, & jus Regis regum habet in ſubditos ſuos: & cauſa cauſarum, de cujus poteſtate non inquirendum, cum primæ cauſæ nulla cauſa ſit.* In l. Barbarius. de off. prætoris. Idem in c. Eccl. ut lite pend.

Idem Conſiſtorium Chriſti & Papa eſt: unum tribunal, ut Abbas Panormitanus & Turrecremata docent. Eſt lapis in fundamentis Sion, probatus, angularis, pretioſus, C. licet de elect. l. 2. ſum. c. 8.

 lapis

lapis offensionis & petra scandali, si Bellarmino credendum.

Præf. in Pont. Rom.

Potest, ut gloriatur Innocentius, regna transferre; sed Propheta Daniel hoc Deo soli reservat.

c. solitæ. de maj. c. 2.

Papa in nocte nativitatis Domini benedicit ensem quem postea donat alicui Principi in signum infinitæ potentiæ Papæ collatæ.

Ceremonialis l. 1. c. 7.

Est Doctor utriusque juris non scientia sed autoritate. Habet omnia jura in scrinio pectoris sui ut Paulus 2. gloriatus est. Quid talem lateat?

Baldus.

Leo est de tribu Iuda, radix David.

Stechus de primatu. Itē conc. Later. sub Leone x. sess. 10.

3. De Comparationibus.

Concilium Lateranense Baldi dictum approbat:

Majorem esse potestatem Papæ, quam omnium sanctorum: In Papa esse omnem potestatem tam cœli quam terræ. Papa major est Apostolo in administratione, ut Petrus Paulo. Iohannes à Capistrano.

De Papa & conc. p. 95.

Pontificalem autoritatem Clemens 3. docet regali potestate tanto majorem esse, quanto sol lunam magnitudine excedit.

Turrecremata docet: Papam perfectiorem esse, quam totum residuum corpus Ecclesiæ. Panormitanus Papam *Dominum Ecclesiæ*

l. 2. sum. c. 26.

clesiæ vocat. Hinc in consilio delectorum Cardinalium Episcopi Ministri Papæ usurpantur. *His castigatis, quæ ad constituendos tibi ministros pertinent, quibus veluti instrumentis cultus Dei administretur & populus regatur.* Turrecremata ait: *Minores, debere obedire prælatis, quia dicitur Iobi 1. Boves pascebant & asinæ juxta eas.*

Æneas Silv. de gestis cōc. Bas.

lib. summ. 4. cap. 14.

Bonifacius 8. Iubilæo instituto præconis voce se declaravit esse Pontificem & Imperatorem, seque habere terrestre & cœleste imperium. Primo die Pontificio habitu: altero paludamento Imperatorio indutus conspectui Ecclesiæ sese obtulit. Gregorius M. *Quantum ad me attinet, serenissimis jussionibus tuis* (Imperatorem alloquitur) *obedientiam præbeo.* Quid sanctus Ambrosius? *Abominatio desolationis exsecrabilis adventus Antichristi est, eo quod sacrilegiis infaustis mentium interiora contaminat, sedens juxta historiam in templo, ut sibi divina vindicet solium potestatis. Principes orbis terrarum dictatorem perpetuum non Cæsaris, sed Piscatoris Petri successorem, Pontificem summum adorant & colunt.* Ægidius Corrocetus Italus narrat præstantem pictorem Raphaelem Vrbinatem Apostolos Petrum & Paulum rubris faciebus pinxisse, rogatumque causam respondisse: *Pudet ipsos successorum suorum.* Meritò. Neque enim ipsi unquam per somnium

l. 4. Ep. 32.

l. 10. in c. 21. Lucæ.

Blondus Romæ instauratæ l. 3.

nium cogitarant successores suos diademata de Imperatorum capitibus in genua provolutorum pedibus dejecturos, quod Celestinus 3. fecit teste Ranulpho Cesternsi; neque passuros ut principes cum collari canino sub mensa repetentes, ossa legerent, quod Francisco Dandalo Venetorum duci & legato à Clemente v. evenit: neque collis imperatorum insulturos, quod Alexander 3. præstitit: neque dilaturos poculum accipere è manu regum id genu flexu porrigentium, quod Urbano 6. placuit: neque in corpora mortuorum sævituros non beluina sed diabolica rabie, quas tragœdias Stephanus 6. in Formoso spectandus exhibuit: neque Sympresbyteros saccis indutos in mare abjecturos, sicut Vrbanus 6. Cardinales quosdam tractavit: neque bella gesturos plurima, ut Sixtus 4. Iulius 2. & alij: neque veneno Imperatoribus exitium propinaturos, ut Conrado Jmperatori Innocentius 4. propinavit: neque regna hujus mundi spoliaturos & exausturos missis quæstoribus qui remissionem peccatorum pretio accepto cuiquam addicerent: neque virginibus, viduis, matronis, pueris, filiabus propriis stuprum illaturos, quorum Historiæ exemplorum refertissimæ sunt: neque sacra & prophana omnia Simonem Magum imitando vendituros esse.

Sabell. Ennead. 9. l. 3.

Naucl. pen. 14.

Niem. de schism.

Polonus. Platin. in Steph. 6.

Nieml. 1. de schism.

Paris. in Henr. 3.

4. De

4. De diſpenſationibus.

Papa ſecundum plenitudinem poteſtatis de jure poteſt ſupra jus diſpenſare: contra Apoſtolum: in Evangelio interpretando ipſum.

l. 3, t. 8. de conceſſ. præbend. c. propoſuit.

Petrus de Monte paulo apertius rem eloquitur: *Papa tollit jus divinum, diſpenſando contra Evangelium: contra univerſalem ſtatum Eccleſiæ: contra vetus teſtamentum: contra multa capitula* 4. *Conciliorum*. Exempla infinita literarum monumentis prodita diligens lectio ſuggeret. Bonifacius 8. Ladiſlao Regi Siciliæ indulſit, ut abdicata uxore legitima aliam ei ſuperinduceret. Quæ diſpeuſatio non ſolum Apoſtolo ſed ipſi Chriſto adverſatur, Gobelino Perſona fatente. Cranzius meminit puellæ tertium maritum expertæ prioribus fato nondum functis, idque diſpenſatione Pontificia.

Diſt. 34. c. lector. cauſ. 25. q. 1. c. ſunt quidam. in Gloſſa.

Coſmod. ætat. 6. c. 87.

Saxon. l. 5. c. 13.

Abſolvit Papa à juramentis, & vinculum affabrè relaxat, quo unico res humanæ continentur, qua re quantam feneſtram nequitiæ, perjuriis, parricidiis, perfidiæ aperuerit, ecquem fugit? *Cum perjuro poteſt diſpenſare*. Quis autem diſpenſat de lege vel contra legem niſi major ipſa lege? Martinus V. legem divinam & naturalem abrogavit, conjugium fratris & ſororis Germanæ approbando, quod fruſtra Bellarminus negat,

De jurej. c. verum in ea. & ibi Dd.

Ibidem.

Bezam

Bezam mendacii insimulando. Vide Revium de Pontificibus. Bellarminus: *Protestantes negant R. Papam potuisse cum Henrico Anglorum rege dispensare, ut acciperet uxorem fratris sui defuncti, quia id expresse prohibeat lex divina.* Fatemur autorem naturæ de naturæ gradibus posse dispensare, cujus rei exempla in Scriptura exstant. Alias gradus Levit. 18. & 20. non capiunt dispensationem. Deus enim pronunciat se gentes puniturum ob conjugia quæ ibi prohibentur. Id innuitur etiam voce turpitudinis, addita singulis gradibus.

L. 1. de matrimonio, c. 25. §. & hanc.

5. De Ceremoniis.

In ablutione manus jubetur Laicorum nobilissimus Rex vel Imperator, aquam adferre & fundere, dumque lavat, omnes tenentur genua flectere, clerici adstare capite aperto. Item: *Imperator debet primum ferculum inferre mensæ, vel Rex aliquis, idque ipse sumere de manibus cujusdam ministri extra vestibulum aulæ.* Item: *Imperator freno equum Papæ ductat, stratorisque officio fungitur: pedes Papæ osculatur, & genu flexo auri massam ad pedes Pontificis offert.* Monlucius Ep. Valentinus recenset Papas Sacramentum in itinere præmittere, comitesque ei adjungere cantores, muliones, agasones, postea ex urbe id ei obviam proferri, ejus in urbem deducendi causa, de-

Cerem. Romano tit. 3. l. 1.

Iov. l. 27.

Cerem. Rom. sect. 5. c. 3. Cerem. Rom. 2. tit. 1. lib. in §. ordo process. 3. tit. 6. de prima lotione manuum.

nique

nique nutu inter se sine ulla voce consalutare. Papa procedente in publicum, satellites inclamant populum: *Abasso, Abasso.*

6. De publica praxi.

Humeris Papa gestatur: coronam gemmatam gestat: pedibus oscula expetit regum & principum, quod nec monstra illa naturæ fecerunt. Caligula privatos ad id genus adulationis infimæ admisit, ut & Diocletianus, nullos reges, nullos principes. Calceos præterea crucis signo ornat, & Scripturam pedibus subjicit: recipit à fidelibus adorationes, prostrationes, oscula pedum, imò majorem sibi quàm angelis honorem deberi censet: tributum ab Imperatore exigit, quod Christus persolvebat: collocatur super altare in inauguratione ad venerationem religiosam, cujus fundamentum est sanctitas: quamvis Papirius Massonus de vitis Pontificum in Julio 3. dicat: *Sanctitatem in Pontificibus hodie nemo requirit. Optimi putantur, si vel leviter boni sunt, vel minus mali, quam ceteri mortales.* Homines mortuos ἀποθεώσει ethnica in Divorum numerum refert, quibus Ecclesia teneatur religiosum cultum exhibere: è purgatorio antiquis Christianis ignoto animas nescio, quibus bullis educit: Imperat angelis, ut easdem depurgatas in paradisum transferant: reges & principes impe-

Antoninus in sum. part.3. tit. 22. c. 5. §. 4.

Cerem. Romano tit. 7. de bened. ensis.

Cerem. Romano tit. 7. de bened. ensis.

Iovius in Phil. 3. de Martino 4.

Bell. de amissione gratiæ & statu peccati l. 2. c. 18.

imperiis exuit, soli enim sibi omnem potestatem temporalem adeoque summam in cœlo & in terra arrogat, qui dominetur à mari ad mare & à flumine ad terminos orbis terrarum: patitur se adorari his verbis. *Qui tollis peccata mundi, miserere nostri*: indulgentias in multa millia annorum vendit, earundemque nundinatione Simoniaca omnia olim Europæ regna expilavit, ut nihil iis spoliatius vel egentius deinde esset: integra regna per excommunicationem publicis religionis exercitiis & quantum in se est omni spe salutis ipsos infantes interdictione baptismi privat, ut olim regnum Angliæ per 6. annos & 6. menses, quo spatio ultra 600000. è vivis excesserunt, idque ob investituras Episcorum, id est, Mammonem. Iuramenta & vota legitima solvit, quod idem est ac si dicat: Libro te necessitate id præstandi quod Deo debes: liberos e patria potestate eximit: lupanaria publica tributo iis imposito constituit & defendit tanquam jure permissa: conjugium sacerdotibus impunè scortantibus interdicit. Scripturam populo Christiano, certam illam tutamque regulam credendi Bellarmino teste, eripit; contraque idola infinita adoranda objicit: miraculis dogmata priscis seculis inaudita stabilit: mandata hominum ad salutem comparandam necessaria Ecclesiæ obtru-

obtrudit: superstitiosis ritibus Ecclesiam obruit. Denique cultum Dei lingua populo ignota Christiano, contra expressum mandatum Apostoli peragit. Hæc omnia communi consensu in Ecclesia Romana docentur, adeo ut ad privatas opiniones Doctorum referri non possint. Quin imò ipsi Papæ in publicis decretis, pleraque omnia sibi adsciscunt, ut necessariò publica doctrina Ecclesiæ Romanæ, & Cathedræ Pontificiæ hic agnoscatur. Nunquam enim Ecclesia Romana ullum ex his dictis ad indices expurgatorios retulit. Dicamus itaque cum S. Bernhardo: *Bestia illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum sanctis, Petri Cathedram, tanquam leo paratus ad prædam, occupat.* *Planum est,* ait idem S. Vir: *Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, Papa, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum; aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque. Alioqui non te exceptum eorum numero putes, de quibus Deus queritur: ipsi regnaverunt, & non ex me, principes exstiterunt, & non cognovi eos. Stetisse Apostolos judicandos lego; sedisse judicantes, non lego.*

Ep. 125. p. 1316.

De consid. ad Eug. l. 2. c. 6.

l. 1. c. 6.

Audiant Papistæ judicium Gregorii Papæ: *Ego fidenter dico, quod quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in*

l. 6. ep. 10.

elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Sed ante probavimus: Papam ab omnibus Episcopis subjectionem flagitare, adeoque juramentum obedientiæ in concessione pallii exigere. Neque Gregorius ex demissione animi hunc titulum rejecit, ac si ipse eo indignus esset; sed contra istum titulum prophanum, se indignum judicavit. *Hinc plerique omnes boni,* inquit Sigbertus, (at quantus vir?) *aperti, justi, ingenui, simplices sub Gregorio 7. imperium Antichristi cœpisse, memoriæ literarum prodiderunt. Plerique Episcopi Germaniæ querebantur hunc Gregorium 7. pietatis specie debacchari: titulo Christi, negocium Antichristi agitare; in Babylonia, in Templo Dei sedere, qui se extollat supra omne id, quod colitur; quasique Deus sit, se neget errare posse.* Hanc causam afferunt Waldenses suæ à Romana Ecclesia defectionis: *quod Sacerdotes in concionibus tum autoritate divinarum vocum, tum rationibus validissimis, & exemplis firmissimis, se, schismaticos, hæreticos, sacrilegos, pseudoprophetas, lupos rapaces, beluam atque meretricem Apocalypticam profanè notantes & concionantes, arguere approbare moliti sint.* Hic obiter notandum judicium Rainerii Pisani, ordinis prædicatorum, fidei contra eos Inquisitoris, ante trecentos circiter annos, proditum memoriæ, & ab ipso Gretsero Jesuita editum.

Aventinus l. 5. hist. Bojorum.

In confess. Wald. apud Orthuin. Grat. in fasciculo rerum expetendarum & fugendarum.

Inter

Inter omnes sectas, inquit ille, quæ sunt vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiæ (Papisticæ) *quàm Pauperum de Lugduno, tribus de causis. Primo, quia diuturnior. Quidam enim dicunt, quod duraverit à tempore Silvestri: alii à tempore Apostolorũ deducunt. Secundo, quia generalior. Ferè enim nulla terra est, in qua hæc secta non serpat.* Bellarminus ait uno die 100000 Albigensium cæsa esse. *Tertio, quod omnes aliæ, cum immanitate blasphemiarum in Deum horrorem inducant. Hæc sola Waldensium seu Leonistarum, magnam habet speciem pietatis, quod coram hominibus juste vivant, & bene omnia de Deo, & omnibus articulis credant, qui in symbolo continentur. Solam Romanam Ecclesiam blasphemant & oderunt.* De notis Eccle. c. ult.

At eodem omnes boni teste Sigberto olim fuerunt sensu. Episcopus Salisburgensis haut ab re in hæc verba questus est: *Flamines Babylonis soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt. Non desistent, donec omnia pedibus suis conculcarint, atque in templo Dei sedeant, extollanturque supra omne id quod colitur.* Post: *Nova Papa sub pectore consilia agitat, ut proprium sibi constituat imperium: Leges commutat: suas sancit: contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit perditus homo ille, quem Antichristum vocare solent, in cujus fronte contumeliæ nomen scriptum est: Deus sum, errare non possum.* Neque Petrarcha: *Bonorum hostis,* Avent. annal. Bojor. Ep. sine nom. 20.

& malorum hospes pessima rerum Babylon, infamis meretrix fornicata cum regibus terræ. Illa quidem es, quam in Spiritu sacer vidit Evangelista: illa quidem es, & non alia, sedens super aquas multas: mater fornicationum & abominationum terræ: ebria sanguine Sanctorum & Martyrum Jesu: Habitatio & regnum dæmoniorum. Denique edictum Romani Imperii exstat, in quo Papa R. expresse omnium consensu Antichristus declaratus est. Itaque non Bernhardi solius, sed communem Ecclesiæ vocem censeamus in hanc sese querelam effundentis: *Heu, heu Domine Deus, quod ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, principatum gerere.* Quid Gregorium I. censeamus dicturum fuisse, si Antoninum audiisset docentem: *Non minorem deberi honorem Papæ quam Angelis, imo majorem: eumque recipere* (jure haut dubie fieri id intelligit) *à fidelibus adorationem, prostrationem, & oscula pedum, quod non permisit Angelus sibi fieri à Johanne.* Si legisset Bullam Clementis quinti, qui anno circiter 1309. Angelis mandavit ex Pontificia autoritate, ut animas, Jubilæi tempore, in itinere Romam versus morientium, continuo in cœlum traducerent, sine ullo purgatorii cruciatu? Quid si fama, vel auditione accepisset, Sacerdotem & successorem Petri, regna & imperia pro arbitrio suo

Apud Aventinum.

Serm. de conv. Pauli.

Summ. theol. p. 3. t. 22.

Bullæ adhuc Viennæ, Limogii, & aliis urbibus Galliæ adservantur.

ſuo conferre & eripere, idque quia ſcriptum ſit Pſalmo 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; hacque poteſtate fretos Gregorium IX. & Innocentium IV. Friderico II. Imperium abrogare:& Henrico Landgravio Thuringiæ dono dare: Urbanum IV. Conradino Regnum Siciliæ eripere jure hereditario debitum, aliique Principi attribuere ea lege, ut annuatim 40000. coronatos Sedi Apoſtolicæ penderet? Ex qua re Veſperæ Siculæ exortæ ſunt, Gallis omnibus à Siculis qui cum Petro Rege Arragoniæ, affine Conradini faciebant, trucidatis. Porrò Bonifacium VIII. Philippo regnum Galliæ auferre, & Alberto Imperatori adſignare, nulla alia cauſa, niſi quod homagium ſibi præſtare recuſaret? Item Alexandrum VI. anno 1400. Ferdinando Regi Caſtiliæ, Caroli V. avo, Indias occidentales ex motu proprio, mera liberalitate, certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine donare? Nec non Leonem X. anno 1515. Franciſco Regi Galliæ Imperium Turcarum offerre, & denique Paulum II. Regnum Bohemiæ ejecto legitimo rege, Principibus Germaniæ dare. Hinc Fridericus II. in epiſtola ad Otthonem. Bavariæ Ducem, haut immerito ſcripſit: *Pontifices Romanos affectare dominationem & divinitatem, utque ab omnibus haut aliter, imo magis quàm Deus timeantur.*

Platina in Alexandro 3.

Nauclerus.

Chron. Carionis.

Franciſcus Lovetz de Gomora. in ejus hiſtoria Indica Bulla illa exſtat.

Aventinus annal. l.7.

In 4. sent, dist. 20. Thomas de Aquino Papæ tribuit potestatem in Ecclesia, qualem rex in regno suo habet.

De jure Pontif. Rom. c. 16 Alvarius Guerrerius: *Principatus summi Romani Pontificis non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendit, ita ut toto orbe jurisdictionem habeat temporalem.* Hanc

Cap. 1. jurisdictionem, ut idem autor ait, Petrus hamo jussus est piscari.

Num vero Christus unicus Ecclesiæ Monarcha talis regiminis autor est? Minime.

Luc. 22. *Reges gentium dominantur; Vos autem non sic.*

1 Pet. 5. Hinc Petrus *Clero dominari* vetat. Sublato dominatu Monarchia collabitur. Qualis enim Monarchia sine imperio? At *Episcopum*, ait Hieronimus, *non fastigio crescere; sed humilitate decrescere oportet.* Hinc manifestum est unius universalem dominationem in totam Ecclesiam, ei relinquendam fore, qui in templo Dei sedens, seque extollens supra omne quod Deus dicitur, sub titulo Christianæ religionis Antichristum, regem illum super universos filios superbiæ elatum agit.

Gregorium magnum, judicem in hac causa si capiant Papistæ, lis finem habet.

7: De tempore Antichristiani Imperij.

Circumstantiæ temporis rem non ambiguam

biguam relinquit. Nam Romano Imperio everſo Antichriſtus venturus prædicitur. *Tantum ut, qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat.* Hoc Patrum & Bellarmini ſententia de Romano Imperio deſolato intelligitur. Zonaras narrat Gregorium 2. Gallos fœdere ſibi adjunxiſſe, cum Italia ab Imperatore Leone defeciſſet: poſtea Gregorius 7. aliique Romam & regnum Neapolitanum, aliaſque imperij provincias Imperatoribus eripuerunt. Hoc unum ſtuduerunt ſemper Papæ, ut ex ruinis Imperij Papatum exſtruerent. Hinc tot bella in Italia: hinc factio Guelphorum & Gibellinorum exorta eſt. Platina narrat, Papas id ſtudio ſibi habuiſſe ut Aquilam Imperij bicipitem redderent. Hinc Alexander 3. legatis Græci Imperatoris Emanuelis diſertè profeſſus eſt, ſe nolle permittere, ut oriens cum occidente de integro uniatur. Nam in turbidam aquam iſte piſcator libenter ſuum rete conjicit; tum enim piſcis facilius hamum vorat. Imperio paulatim collabente jus ad ſe Imperatoris confirmandi & eligendi traxerunt, quorum nihil poterant ſeculis prioribus, quibus adhuc Majeſtas Imperij effloreſcebat, adeo ut ne ſynodos quidem Eccleſiaſticas ſua autoritate indicerent; ſed toti ex nutu Imperatorum ut reliqui Patriarchæ penderent. Dicant mihi quodnam regnum è ruinis

l. 3. de Pontifice Rom. c. 5.

In Leone Iſau. 20.

In vita Alexandri 3.

Imperij excreverit aliud quam Papatus? Itaque cum Roma non amplius Imperatoris sed Papæ legibus gubernetur: adeoque Imperatori nihil fere juris in Italia reliquum sit: impedimentum illud, quod Antichristum detinebat, sublatum penitus est. Non nominari sed esse Romanorum Imperatorem decet. At ex Italia Imperatores Germanorum armis sæpissimè olim expulsi, jam non nisi ludibrium Romæ debent. Ubi Imperium Romanum, cum omnes nationes obedientiam civilem erga Romam exuerunt, suisque ipsarum legibus regantur? Soto ridiculè primam defectionem ab imperio concedit contigisse; sed addit alteram itidem expectandam. Thomas respondet: imperium non cessasse, sed commutatum esse de temporali in spirituale. Hæc confessio sufficit. Nam Imperium Romanum erat temporale, adeoque detinebat Antichristum. Hoc non amplius est, quia mutatum est. Venit ergo ille rex superbiæ.

In 4, sent. dist. 46. q. 1. a. 1.

CAPVT VLTIMUM.

Papatus est Incurabilis.



IN monitis politicis ad Imperij principes p. 36. refertur Paulum 3. solitum fuisse illos deridere tanquam

schola-

ſcholaſticos & rerum politicarum ignaros qui poteſtatem Papalem à Chriſti inſtitutione tam anxie repeterent, *cum ejus ſolam & nudam poſſeſſionem pro optimo & firmiſſimo titulo haberet, quam opibus viribuſque tueri poſſet.* Itaque videmur inanem operam, rationibus hunc ſtatum convellendo ſumpſiſſe.

Auro loquente nil quævis pollet oratio, ait. Quando enim Curia Romana incipiet rationes audire? In quem ſtatum Eccleſia reciderit, tempora Leonis x. teſtantur. Hic vir nimia erga cognatos, aulicos, doctos, liberalitate exhauſtus ad theſaurum Eccleſiæ confugit. Quæ ratio rem faciendi in Eccleſiam irrepſit ſedente Vrbano 2. qui plenam indulgentiam cunctis in terram ſanctam peregrè militatum abeuntibus, conceſſit. Deinde eadem liberalitate ſucceſſores erga eos qui militem mercede conducerent eo abiturum uſi ſunt. Tandem eo deventum eſt, ut hujus theſauri novi fructu perciperent ij qui Papæ partes contra principes non illos quidem hæreticos ſed aliis de cauſis Curiæ R. minus obſequentes propugnarent. His exemplis Leo x. inductus remiſſionem peccatorum per pleraſq; omneis provincias promulgavit ea lege atque omine, ut pecuniam quæſtoribus ſuis erogarent. Hanc liberalitatem ad functos,

An.cIↄ c.

Ergo non gratis.

è flamma expiatoria eximendos protendit, addito auctario non aspernando, nempe licentia vescendi ovis & lacticiniis tempore jejunij, eligendique sibi confessarium, aliisque ejusmodi privilegiis. Pecuniam è Saxonia colligendam sorori Magdalenæ nuptæ cuidam notho Papæ Innocentij 8. dono dedit. Hujus conjugij favore ad Cardinalatum Leo annos 14. natus puer obrepsit. Hanc originem dignitas Ecclesiastica in domo Medicea residens cepit. Nec tam affectu, hac erga sororem liberalitate usus est, quam necessitate sumptuum quos fecerat Genuæ. Alexandro enim 6. sedente locus ipsi Romæ denegabatur, quod Papa Florentinis, hostibus domus Mediceæ, qui ipsum in exilium pepulerant, addictus esset. Cura demandata est cuidam Arcemboldo, Episcopo, qui tales ministros & quæstores ad hanc mercaturam faciendam delegit, quales Thuanus supra descripsit. Hinc Romanæ Curiæ obedientiam pleræque occidentis provinciæ exuerunt, & Lutherus in arenam descendit. Leo Lutherum Bulla confutat. Germaniam edocet: Indulgentias (tales nempe quales ipse concesserat) ratas esse & plurimum valere, seque ut vicarium Christi potestate præditum esse easdem concedendi vivis & mortuis: Hanc esse doctrinam Ecclesiæ Romanæ matris & magi-

An. 1518. 9. Novembr.

stræ

ſtræ omnium Chriſtianorum, recipiendam ab omnibus, qui in communione Eccleſiæ velint permanere. Hanc bullam Cardinalis Cajetanus in Germania promulgavit, addito edicto ut Epiſcopi cunctos neceſſitate hujus fidei amplectendæ & retinendæ adſtringerent. Hinc Lutherus animadvertens quid Romæ ſibi expectandum eſſet, à judicio Papæ ad Concilij generalis ſententiam provocat. Iſto exordio deſiderium illud Concilij generalis totis 40. annis univerſos Chriſtianos præter Curiam Romanam cœpit.

Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora!

Leoni defuncto Adrianus ſuccedit, qui in comitiis Norigerbenſibus morbum R. Curiæ fatetur, & deplorat. Hic doctrinam indulgentiarum, unde diſſenſio orta erat, explicando, morbo mederi voluit. Dixit indulgentiam acquiri totam, ſi meritis compares, quæ eiſdem æquiparentur; alias non totam, ſed partem pro ratione meritorum percipi. Hac doctrinâ putavit malo obviam ſeſe iturum. Sed fruſtra, Cajetanus ajebat, doctis hanc ſententiam cordi fore ſed plebi non convenire. Imò doctos inde collecturos eſſe, emolumentum omne non indulgentiis ſed operibus tribuendum eſſe. Neminem autem indulgen-

tias quærente, autoritatem Pontificiam collabi. Canones antiquos pœnitentiæ publicæ in Ecclesiam revocandos esse, tum indulgentię usum fore manifestum. Germanos hoc freno indigere qui licentiâ vitæ diffluerent. Adrianus rem refert ad Curiã. Laurentius Puccius summus pœnitentiarius Canones antiquos in usum revocari posse negat.

Caritatem & zelum antiquum deferbuisse, jugum illud gravius esse, quam pro viribus præsentis seculi. Ita res in irritum cadit. Alij ajebant reformationem Curiæ nihil facere ad extirpationem hæreseos, imo noxiam magis fore. Nam populum sibi persuasurum, ubi in moribus emendandis opera posita fuerit, Curiam recte à sese vituperatam fuisse, paulatimque ad alia convellenda hoc jacto fundamento progressurum esse. Hæreticos semper vitia R. Curiæ objecisse, nec quenquam Pontificem ideo quæ fecisset, minuisse. Regimen perire mutata ratione regiminis: optimam rationem esse principes ad protegendam Ecclesiam adhortari, ubi admonitio & instructio necessaria præcesserit: Innocentium 3. armis Albigenses oppressisse. Bellum Italiæ imminere gravioris momenti cui averruncando vel expediendo exiguæ vires Curiæ supperant; Nullam reformationem institui posse sine detrimento Fisci

Ponti-

Pontificij, cujus opes ex 4. fontibus promanent. 1. *Ex reditibus ſtatus Eccleſiaſtici.* 2. *Ex indulgentiis.* 3. *Ex diſpenſationibus.* 4. *Ex collationibus beneficiorum.* Reformationem fontes hoſce exſiccaturam eſſe. Hæc omnia Papæ dividiæ & mœrori erant. Videbat nullam reformationem poſſe in Curiam cadere, niſi ipſe toto dominatu abiret ſeque in mores Apoſtolorum formaret. Nihilo minus Franciſcum Cheregatum Noribergam mittit qui pluribus rationibus publico ſcripto comprehenſis Germanos adhortaretur ad fidem Romanam recipiendam. fatetur in ſancta ſua ſede *multa abominanda contigiſſe, multos abuſus in rebus ſpiritualibus multos exceſſus in præceptis*. & tādem: *Omnia mutata in pejus: dici poſſe morbum à capite in membra defluxiſſe, nec quenquam bonum ſupereſſe, ne unum quidem. ſe Curia Romana emendanda unde origo mali forte ſit ſerio vacaturum: nemini mirum debere videri, quod non ſubito mutatio in melius appareat, morbum enim inveteratione nimias vires acquiſiviſſe.* Hæc ita audiuntur ut Principes Germaniæ centum gravamina ediderint. Quid reliquæ provinciæ Europæ in Concilio quæſtæ ſint, quem latet? Interea Adrianus mortem obiit. Clemens 7. ſuccedit. Hic à Concilio penitus abhorrens ſolitus eſt dicere: *concilium utile eſſe ubi autoritas Pontificia ſarta* Anno 1522.

tecta

tecta sit, alias ea in dubium vocata, nihil exitiosius esse. Olim ad Concilia Papas confugisse; jam fugienda iis omnino videri. Leonem X condemnasse Lutheri doctrinam. Hoc judicium in dubiũ vocari non posse salva autoritate Pontificia. Hinc res eò deducta est, ut Carolus statum Ecclesiasticũ in ordinem redacturus, & urbes R. Imperii recuperaturus bellum in Italiam transtulerit, Romamque expugnarit. Hic Clemens duas epistolas ad Carolum scribit, priorem acerbis contumeliis, minis, bellique denuntiatione tumescentem; alteram, haut paulo mitiorem. Eodem pacto binis Carolus respondet. Notatu dignum est, Carolum in iis fateri, *se aures occlusisse honestis precibus Germaniæ, ut Pontifici gratificaretur.* Quibus verbis declarat se obedientiam sedis Apostolicæ, ut artem gubernandi amplecti, tectam mantello religionis. Clementem autem constat variis de causis Concilium pro virili impediisse. Nam 1. metuebat sibi, quia artibus Simonis Magi ad hoc culmen Romani fastus obrepserat. 2. Videbat Episcopos Romanæ Curiæ infensiores esse ob collationem beneficiorum ipsis præreptam per *reservationes, præventiones*, adeoque magnam partem administrationis interceptam per *exemptiones, dispensationes, absolutiones.* Hinc Imperatorem exquisitis rationibus à celebrando Concilio dehor-

hortabatur, belloque Principes Germaniæ *Protestantes*, exprimendos esse iudicabat. Cum variis modis Imperatorem Boloniæ, Mantuæ, & alibi ludificatus esset, vita concessit. Succedit Paulus III. homo qui nullam virtutem majori studio habuit, quam simulationem. Animum visus est ad reformationem adjicere Cardinalium. Frequenti sermone ajebat, *Emendationem Curiæ summe necessariam esse*. Quid fit? Paucis post diebus Alexandrum Farnesium 14 annorum, nepotem ex Petro Aloisio, & Guidonem Ascanium Sforzam nepotem, itidem ex Constantia filia, 16 annorum puerum Cardinalem creat. O reformatorem! Exprobrantibus hanc sibi hypocrisin regerebat: *se decrepita ætate quod illorum infantiæ deesset, supplere*. Igitur metus Curiæ decessit reformationis. Unde enim eam auspicari voluit, nisi ab ætate & habitudine eorum, quos in Collegium adsciturus esset? Papa ipse paulatim reformationem silentio involvit. Nam actione ista videbat personam hypocrisi suæ detractam esse. Hinc cogitationes transfert ad Concilium: Mittit Legatos ad Principes, qui suum Concilii celebrandi desiderium & propositum ipsis indicarent. De loco & tempore nondum sibi liquere ait. Injungit Legatis, ut catè quid de loco Principes sentirent, expiscentur, non alio fine, nisi ut nego-

negotium extrahat, & ipse sibi loco caveat. Mantua placuit:

Mantua Doctori nimium vicina Latino.

Tandem ad reformationem redit: Edictum promulgat: Cardinales ei negocio idoneos deligit. Quid agitur? Reformant *Datariam, pœnitentiariam* verbis, quibus nihil unquam subest. Hinc iterato studio 4. Cardinalibus, & 5 Prælati idem negocium demandat. Hi scripto comprehendunt 14 abusus in administratione rerum Ecclesiasticarum, 1. *ordinationem Clericorum.* 2. *collationem beneficiorum.* 3. *pensiones.* 4. *permutationes.* 5. *regressus.* 6. *reservationes.* 7. *pluralitatem beneficiorum.* 8. *commendas.* 9. *residentiam.* 10. *exemptionem.* 11. *corruptionem ordinum Monasticorum.* 12. *ruditatem pastorum.* 13. *licentiam impressorum.* 14. *sordes quæstuariorum*; Dispensationes deinde sigillatim enumerant. In gubernatione ipsius R. E. 4 defectus annotant. Quid sequitur? Nicolaus Scomberg Dominicanus, Cardinalis S. Xisti, in Consistorio frequenti nihil hoc tempore innovandum esse suadet, Ne ansa detur Lutheranis gloriandi. Petrus Caraffa ait: *Corruptionem istam è medio tollendam esse necessario, quia Deus haut dubie ea offendatur.* Ubi frigent, huc evadunt: *Negotium differri oportere.* Tandem post infinitas amba-

ambages Episcopi Tridenti coierunt. Legati eo mittuntur, *Maria de Monte, Marcellus Cervinus de Sancta Cruce, Reginaldus Polus*. His Papa in mandatis dat, ut omnia *cum consensu Concilii* administrent. Scribunt Romam, ea ratione suam autoritatem penitus deprimi: ampliore facultate sibi opus esse. Impetrant *absolutam*, sed *secreto*. Fit initium. Bitontinus Ep. ad Patres verba facit. In oratione ista plurima prudentibus displicuerunt. *Silvas Tridentinas jubet per totum orbem sonum diffundere, ut omnes se Concilio mortales submittant, ni id fecerint, merito dici posse: Lucem Papæ in mundum venisse, homines autem magis tenebras quam lucem dilexisse. Aperire portam Concilii, esse aperire januam Paradisi, unde debeat aqua profluere viva ad replendam terram scientia Domini.* Admonet Patres, ut *animos purgent*. *Quod si neglexerint, Spiritum sanctum nihilominus ora eorum aperturum, ne Ecclesia erret, licet mentes spiritu malo repletæ sint.* Sed Legati scripto comprehendunt παραίνεσιν qua fatentur: *frustra invocari Spiritum sanctum, nisi Patres peccata abjiciant, sordesque vitiorum expurgent, & recte Deum invocent.* Quæ oratio cum plausu excepta est. In Cathedrali Ecclesia.

2. Frater Richardus de Mans Franciscanus, in hoc concilio adeo abhorrebat à Scripturæ lectione populo permittenda, ut dice-

ret dogmata fidei jam perspicuè declarata à Scholasticis esse, ut opus non sit amplius Scriptura: Olim Scripturam in Ecclesia lectam ad instructionem populi, eademque causa à doctis meditatam fuisse; jam vero non nisi ut preces publicas debere prælegi, eique usui tantũ servire: studio Scripturam contaminari & prophanari. Hæc sententia adstipulatu multorum patrum excepta, & usu R. E. confirmata, omnem spem reformationis præscidit.

De sensu Scripturæ mirificè philosophati sunt. Erant qui negabant intelligentiam Scripturæ è Patrum expositione & consensu hauriendam esse. Nam ajebant, plerumque Scripturas ad allegorias τὸ ῥητὸν negligentes, detorquent: alii literam sequuntur; sed eam temporibus suis accommodant, ita ut ætati nostræ, ea expositio minus apta sit. Cusanum virum sanctitate & doctrina insignem, eruditè dixisse: *Interpretationem Scripturæ, tempori accommodandam esse, & exponendam secundum ritus & consuetudinem receptam, nec mirum debere videri, si Ecclesia alio tempore aliter Scripturã interpretetur.* Non aliter vltimum Concilium Lateranense, cum statuit: *Scripturam exponendam esse secundum Doctores Ecclesiæ, vel ut longus usus approbavit, & recepit.* Hic videor mihi nasum quendam Pighii cereum videre. Quid ab his

his reformatoribus sperandum? In Germania mirum videbatur 5 Cardinales, & 48 Episcopos (tot initio tantum erant) summi momenti controversias, à quibus reliquæ pendent, tam facilè decidisse, libros dubiæ autoritatis in Canonem recepisse: versioni ab origine sua mirificè declinatę authentiam tribuisse: Scripturæ sensum usui R. E. adeo depravatæ, non tàm accommodasse, quàm subjecisse. Plerosque plumbeos in theologicis esse, aulicisque moribus & artibus, quàm pietate instructiores. Mirum etiam videbatur patres istos traditionis necessitatem adeo ursisse, nec tamen dogmata enarrasse, quæ traditione ista nitantur. Ipsa Curia R. diaconissas rejicit, institutione Apostolica institutas: nec electionem ministrorum populo permittit, rem amplius octo seculis in Ecclesia usu receptam: Communionem calicis, populo ex institutione & usu amplius 1000 annorum debitam intercipit.

3. Sed num forsan reformatio R. E. ex prædicatione Euangelii exspectanda? Nulla. In Concilio gravissima inter Episcopos & Monachos contentio exorta est. Episcopi asserebant sibi prædicationem Euangelii, Christi mandatu injunctam esse; hanc officii sui partem occupari à Monachis, qui *exemptione Pontificia*, Episcoporum jurisdictioni sese subtraxerint, adeo ut gregi suo

non possint amplius attendere. Hinc omnia in pejus mutata esse: Academias suæ potestati subductas exemptione Papali quodlibeta docere: Fratres in docendi munere inspectionẽ & gubernationẽ Episcopi minimè curare, ita ut officiũ Pastoris Episcopis reipsa abrogatum sit. Monachos olim non nisi exercitiis pietatis & pœnitentiæ ab administratione rerum Ecclesiasticarum remotos vacasse. Temporarios istos Agyrtas & circumforaneos prædicatores modo in hanc, modo in illam urbem irrepere; nec novisse, quid ex usu gregis sit. Non instructioni populi alio fine incumbere, nisi ut eleemosynam corradant, inde fiat, ut parasiticam assentando, & palpum hominibus obtrudendo faciant. Manifestum esse, prædicandis indulgentiis in quem statum Ecclesia à quæstoribus Monachis redacta sit. Itaque ex usu Ecclesiæ esse, ut hæc privilegia Fratribus adimantur, & Episcopis officii sui administratio gregisque commissi integra gubernatio restituatur. Contra Generalis Mendicantium Fratrum: Episcopos officium suum tralaticiè administrasse, & defunctoriè, imò planè abjecisse: Deum excitasse Mendicantes, ne greges pastore destituti perirent: privilegio summi pastoris. Fratres hoc sibi munus docendi arrogare: trecentis jam annis in eo munere versatos esse; quod ni fecissent,

vix

vix vestigium Christianismi superfuturum fuisse. Romana Curia olfecit, quorsum hæc tenderent. Episcopos conari papatum in sua diœcesi obtinere. Quod si omnes à jurisdictione Episcopi dependeant, Romam desertum iri. Papas præcipuum hoc, & arcanum Monarchiæ suæ institutum semper observasse, ut è jurisdictione Episcoporum Abbates eximerent. Exemplo esse Benedictinos & Cistercienses, quos sedes Apostolica semper fideles propugnatores experta sit. Itaque exemptionis istius privilegia oppugnare, esse nihil aliud, quàm Pontificatum ipsum adoriri. Res tandem eò recidit, ut Episcopi tanquam delegati Papæ, nonnihil juris in fratres acquirerent, sed ita ut ἀμέσως à Papa in administratione rerum Ecclesiasticarum dependerent. Ita abusus mutato vocabulo in Ecclesia mansit.

4. Sessione 5. tractant de peccato originis. Ubi notanda est contradictio. Nam docent: *Peccatum Adæ in totam posteritatem transiisse.* Deinde ajunt: *Sibi non esse propositum B. Virginem eo decreto comprehendere.* Hæc exceptio universalem propositionē destruit. Nec quicquā juvat ambiguitas. Nam instantia ista ambiguitate sua universalem istam propositionē dubiam reddit, quam tamen ut certam decreverunt. Nam si certum

non est, an B. Virgo in peccato originis concepta sit, nec certum est quod asserunt, peccatum Adæ in totam posteritatem diffundi. Opinio hæc, *immaculatæ conceptionis*, in Ecclesiam irrepsit superstitione, ut pleraque alia. Olim Ecclesia contra Nestorium ad honorē Christi clamabat: *Μαρία θεοτόκος!* Hoc encomion paulatim matris caussa superstitiosi ingeminarunt, donec tandem anno 1050. institutum fuit officium quotidianum, distinctum 7 horis Canonicis, in honorem B. Virginis, quo laudes filio Dei debitæ, ad Matrem translatæ sunt, *Dominus me possedit ab initio, &c.* Canonici Lugdunenses anno 1136. hanc opinionem in Officium suum insercerunt, quibus S. Bernhardus cordatè contradicit, novamque superstitionem acerbè exprobrat. Anno 1300. Johannes Scotus Franciscanus, litis integratione Ecclesiam perturbat. Ait, Deum potuisse creare ad momentum Virginem in peccato isto, non esse absurdum hoc credere. Dominicani sequentes Thomam, contrarium docent. Hujus doctrinam Johannes XXII. approbavit, autorem ipsum una cum doctrina canonizando, idque odio Franciscanorum, qui Ludovici Bavari Imperatoris, à se excommunicati partes sequebantur. Superstitio priorem opinionem complexa est, quam Mordicus Sorbona propugnat, nixa autoritate

Con-

Concilii Basileensis. Sixtus IV. anno 1476. Bulgas tandem duas promulgat, quarum altera novum officium, compositum à Leonhardo Nogarolo Protonotario approbat, indulgentias cunctis id celebrantibus concedendo; altera anno 1483 edita, utramque sententiam hæresios absolvit. Singulis nihilominus annis, lis inter fratres ita recruduit, ut Leo X. obviam eundum censuerit definienda controversia, sed motu Germanico propositum coactus est omittere. Concilium nostrum negat sibi liquere, remque amplius deliberandam censet. Sed & porro apparet, ne minimam quidem partem superstitionis & idololatriæ, quam scholæ vanissima ὑπερδουλείας voce obtegunt, ex Ecclesia exterminatam hujus Synodi decreto fuisse.

5. Certitudinem gratiæ divinæ solidè Catharinus defendit. *Legitur*, ait, *in Evangelio, Christum, quibus peccata remiserit, jussisse eosdem confidere, certaq; amplecti beneficium fide. Non credibile esse Christum voluisse hominibus ansam superbiæ & temeritatis præbere. Scripturam nos jubere Deo gratias agere, de nostra justificatione, quod fieri nequeat, si ignoremus an gratiam justificationis adepti simus. Quis gratias cuiquam agat de eo quod nescit an sibi donatum sit, nec ne? Paulum jubere Corinthios probare an Christus in ipsis sit, nisi reprobi*

 sint.

sint. Alibi dicere, nos recepisse spiritum à Deo, ut intelligamus, quid ab eo dono datum nobis sit. Clarius alibi: Spiritum sanctum reddere testimonium Spiritui nostro, quod simus filij Dei. Ambrosium docere, Spiritum sanctum nunquam loqui nobiscum nisi faciat simul ut intelligamus eum esse qui loquatur. Christum asserere: Mundum non posse recipere Spiritum sanctum, quia eum non videat nec cognoscat, sed discipulos eum cognituros, quia in ipsis habitaturus sit. Quid effectum est hisce rationibus? Nihil.

6. De *residentia* disputatio oboritur. Ministerium Ecclesiæ olim onus & labor erat; jam in dignitatem evasit. Hic abusus majorem absurditatem secum traxit, nempe: Belli homines se non tantum non obligari ad Ministerium sed ne ad præsentiam quidem judicarunt. Curatis liberum fuit per se vel per alium munus obire, sed tamen eorum *residentiam* Curia requisivit, reliquos *Beneficiatos* hoc onere sublevavit. *Beneficium non-residentiæ, titulus & stipendium est sine obligatione ullius administrationis.* quod pluralitatem beneficiorum peperit. Cum autem Canonistæ regulam tradant; *Omne beneficium dari pro officio*, per officium preces Breviarij intellexerunt. Sic Ecclesia *Beneficiatis*, id est, κακοῖς θηρίοις, & γαστράσιν ἀργαῖς repleta est. *Curati* dispensa-

tione

tione *privilegium non residendi* obtinent Romæ, eo modo quo facile omnia Romæ impetrantur. Ita horribilis abusus dispensatione Pontificia in immensum excrevit, tandemque Ecclesiam veris pastoribus destitutam pessundedit. Quid hic remedij à synodo allatum est? Omni virium contentione legati studuerunt, ne *residentia divini juris* haberetur. Testor Hispanos, qui pertinaci & obnixa libertate hoc jus perpetuo urgebant. Sed Curia Romana illud mysterium maximum sui status conservandi judicavit, ne Episcopi *divino jure* freti diœcesin suam ipsi curarent. Ita enim Papa falcem in alienam messem misisse videretur. Neque enim dispensatio divino juri derogare potuit. Quod si decisum fuerit autoritatem Episcoporum ἀμέσως à Christo ortam divino jure niti, à culpa non poterit restringi & impediri.

7. De justificatione synodus tot decreta edidit, ut unica hac sessione plus complexa sit Canonum, quam concilia universa continent. Opinor, Aristotelem præsidem hujus sessionis fuisse. Condemnant eos *qui negant divina præcepta impleri posse.* Sess. 6. Can. 18. Et tamen synodus ipsa in decreto 2. sess. fideles Tridenti congregatos adhortatur, ut, *confessi peccata, & corpore Christi refecti, divina præcepta impleant quantum quisque po-*

terit. Si justificatus absolute potest legem implere, hæc restrictio absurda & impia est. Si fidelis potest TOTVM facere, cur jubent eum facere QVANTVM potest?

Sess. 7. Can. 11. 8. Ab intentione sacerdotis decreverunt veritatem *Baptismi*, *Ordinis*, *Consecrationis* pendere. Hanc doctrinam tanquam lernam malorum explodere cum debuissent, obviis ulnis amplectuntur. Sit sacerdos atheus, magus, hypocrita, qui quatuor vel quinque millia hominum curet. Hic non intendet facere quod facit Ecclesia. igitur pœnitentes non absolvet, non baptizabit, non consecrabit Eucharistiam. Omnes itaque damnati erunt. Non dici potest fidem supplere defectum intentionis. Quia infantibus nulla est. Deinde fidei tribuere quod sacramento convenit, Lutheranismum sapit. quid quod concilij sententia intentionem requirit, nec addit, fidem vel Deum defectum istum intentionis compensare? illud igitur certum; hoc incertum. Et ita conscientiæ perpetuo fluctuare coguntur. Hi casus rari non sunt seculo adeo corrupto! Sed sint rari. Baptizetur unus tantum infans sine intentione tali, qui forte Episcopus evadat; quid sequetur? Ilias certe absurditatum. Ex unius malitia Ministri myrias actionum irritarum emergit. Vnde probant Deum extraordinariis rationibus defectus hosce

hosce quotidianarum actionum compensare? Nihilominus synodus in sententia perstitit, *actualem vel virtualem* intentionem sacramento necessarium esse, nec posse cum *contraria intentione* subsistere.

9. Marcus Vigerius Episcopus infinitos abusus tolli posse censebat, totumque clerum reformari, si synodo placeret definire: *Dispensationes necessario requirere justam causam, ut validæ & sint & habeantur.* sed contradictum est huic sententiæ eo quod absolutæ Papæ potestati derogaret. Itane autoritas Pontificia eo usque se extendit, ut faciat ne malum malum sit? Nonne *uniones & commendæ ad vitam* absurdissimæ sunt? Olim quidem Ecclesiæ, quarum reditus bello aut alia calamitate intercepti vel imminuti erant, uniebantur. Hoc prætextu unionis Curia R. pluralitatem beneficiorum sine necessitate conjunctorum palliat. O antiquitatis retinentissimam Ecclesiam! *Commendamus*, ait in bulla Pontifex, *tibi hanc Ecclesiam, ut statum tuum pro dignitate eo melius tuearis.* Olim Ecclesiæ destitutæ pastore vicino commendabantur quoad ei de idoneo Ministro prospiceretur. Hæc unio jam morte solvitur, ita tamen ut Curiæ integrum sit iterum conjungere vel separatas relinquere Ecclesias prout usus ferret. Hinc merito Carranza dixit: *Residentiam Episcoporum*

porum esse divini juris, & contrariam doctrinam diabolicam esse, idque in Concilio Tridentino. Quid Papa? Audaciam hominis detestatur, & non obscure fert, si id definiatur; autoritatem suam perituram & Papatum ad nihilum redactum iri. *Omnes istos clamores de reformatione tendere ad minuendam Pontificiam, amplificandam Episcopalem autoritatem.* Permittit quidem decreta edi nonnulla de reformatione, sed cum hac appendice: *Salva semper in omnibus autoritate*
Sess.25.c.21. *Apostolica.* Quis tam hebeti ingenio est ut non videat hæc verba cunctis abusibus retinendis revocandis & stabiliendis servire? Hæc est illa fenestra, quam sibi Papa ad nequitiam aperuit.

10. In sacramento pœnitentiæ decernunt absolutionem esse *actum judicialem*, eique anathema dicunt qui eam pro *actu ministeriali & declarativo* habeat. Ipsi Franciscani doluerunt, & questi sunt de iniquitate anathematis. Ita docuit, ajebant, Hieronymus, Magister sententiarum, S. Bonaventura & plerique omnes Scholastici.

Frater Ambrosius Pelargus Theologus Ep. Travirensis ajebat, verba Domini: *Quorum remiseritis peccata*, à nullo patre relata fuisse ad institutionem sacramenti pænitentiæ. Itaque iniquissimum esse tanquam hæreticis anathema denunciare, qui veteres Docto-

Doctores sequantur. Quid enim hoc aliud est, ajebant, quam antiquæ Ecclesiæ doctrinam damnare? *Qui dixerit: hæc verba Christi: quorum remiseritis peccata, non intelligi de sacramento pænitentiæ, sed de autoritate prædicandi Euangelij, anathema sit.* Vbi in antiquitate hujus interpretationis vola vel vestigium?

11. Sed Paulus 3. moritur. Iulius 3. succedit. Qualem reformationem ab hoc homine Ecclesia potuerit expectare, indicio est ridicula creatio Cardinalis *Simia*, quam ipsa Curia ut nimis suspectam deridebat: Cum adhuc præses esset Concilij Tridentini, puerum quendam Simiæ custodem tantopere in deliciis habuit, ut omnibus admirationem commoverit. Ajebat se puerum amare tanquam *artificem suæ fortunæ.* Prædictum enim esse ab astrologis, eum puerum ad amplissimam dignitatem perventurum quam obtinere nequeat, nisi ipse Papa fiat.

12. Iulio è medio sublato Paulus 4. succedit. Homo qui nihil aliud legatis principum inculcabat quam autoritatem suam absolutam, qua supra omnes principes esset constitutus. Ajebat se successorem ejus esse qui Imperatores & reges è throno dejecisset: se posse regna mutare & transferre: sæpe commemorabat quo pacto regnum Hiber-

Hiberniæ constituisset. Eo usque progrediebatur ut in Consistorio & alibi apertè negaret, se Principem ullum pro socio habere, sed cunctos pro subditis *sub hoc pede*, ajebat, terram percutiendo. Sic enim convenire, & sic velle eum qui Ecclesiam Romanam ædificasset, & ad statum evexisset. *Priusquam vellemus indecorum aliquid statui nostro committere, vellemus ajebat mori, ruere omnia, & ignem in 4. cardinibus mundi accendere.*

Et ab hoc quispiam reformationem expectet? Creat Cardinales contra juramentum in Consistorio præstitum, quæriturque de iis qui hoc ei vitio vertebant, *Quid hoc aliud est*, ajebat, *quam autoritatem Pontificiam ligare? Nonne hæc est absoluta? Nonne est articulus fidei, quod Papa nequeat ab alio obligari? imo nec seipsum ligare? Quod si quis pertinaciter contrarium dixerit, oppugnaveritque autoritatem mihi à Deo datam, inquisitionis jure in eum utar. Est mihi opus hominibus fidis, cordatisque. Nihil loci amplius est segnitiæ neque socordiæ.* Sed & hic ante exitum Concilij decessit.

13. Sequitur Pius IV. De hoc quid dicemus? Probavit superiorum omnium errores Concilio Tridentino confirmando; qua tamen confirmatione, autoritatem suam absolutam imminui passus non est, sed posti-

cum

cum ſibi, qua elaberetur, reliquit. Conjugium Sacerdotum, & communionem utriuſque ſpeciei ſemper juris poſitivi habuit, cumque pronus eſſet natura ad hæc duo vincula relaxanda, paſſus eſt ſe in diverſa conſilia ſuggeſtionibus Cardinaliũ abripi. Rex Galliæ calicis reſtitutionem petebat. Cardinalis S. Angeli reſpondet: *Se non propinaturum calicem plenum veneni populo Franciæ loco medicinæ: melius eſſe, mori, quam ejuſmodi remedio uti: Chriſtum totum eſſe ſub alterutra ſpecie.* Quaſi vero non totum Chriſtum per baptiſmum induamus. Num inde ſequitur cœna opus baptizatis non eſſe? Certe antiqua Eccleſia baptizatos ſtatim ad cõmunionem admiſit. Fr. Michaël Cardinalis Alexandrinus addebat: *Papam non poſſe calicis uſum permittere. Quia hæreticum eſſet calicem petere, ut neceſſarium, hæreticos non eſſe capaces gratiæ*: Obtento calice, matrimonium Sacerdotes Gallos petituros, familiæ addictos Romanam obedientiam abjecturos: Beneficia ut hæreditatem adituros: Romam denique oppido in anguſtum coacturos: Principiis obſtandum. Quid fit? Papa rem ad Concilium defert: Concilium ad Papam.

Sic luditur orbis, dum ſe vult reformari.

14. Ut autem conſtet, quanta cum libertate Concilium celebratum ſit, attendamus oportet decretum editum fuiſſe: *Ne quiſ-*

quam

quam auderet quippiam in publico consessu proponere; sed omnia proponentibus Legatis, examinarentur. Huic decreto Hispani, Galli, aliique acerrimè semper restiterunt, & ad finem Concilii usque eidem constanter & liberè contradixerunt. Nihil aliud perpetuis querelis ingeminarunt Principes, Reges, Imperator, quàm libertatem suffragiorum Episcopis eripi. Quis hinc reformationem exspectet? Prætextus erat, ut ordo servaretur: Caussa vera, ne libertas Episcoporum, Curiæ R. incommodaret.

Sess. 17.

Sess. 25. 15. Anno 1559. ex statuto Concili Tridentini, Paulus IV. judicem librorum prohibitorum componendum curavit. Quo sane judice autoritatem & splendorem R. Curiæ mirificè auxit, reformationis vero omnem spem præscidit. Nam illo non tantum libros hæreticos & pestiferos, sed & eos, quibus potestas Principum contra usurpationes R. Curiæ, item Conciliorum & Episcoporum autoritas contra Monarchiam Papalem defenditur, eadem severitate & religionis obtentu comprehendit. Nunquã ante inventum mysterium est accommodatius hominibus specie religionis in bruta ignorantia detinendis. Annotationes Erasmi in Novum Testamentum eandem aleam subeunt, licet Papa Leo X. anno 1518. *Brevi Apostolico* Romæ dato easdem approbarit.

Quid

Quid dicam de S. Scriptura?

O serva pecora!

In hoc Concilio generalis Iesuitarum non erubuit palam asserere, *Potestatem jurisdictionis esse totam in R. Pontifice, nec quenquam alterum in Ecclesia scintillam potestatis nisi ab ipso habere.* Bene Iansenius Ep. Iprensis docet: *hanc potestatem continua successione à primo vocante ad ultimum vocatum deducta propagari*: Quid audio? Seculo nono Baronius fatetur: *plurima horrenda monstra ope procerum Romanorum & Principum Hetruriæ sedem invasisse: jactationem toto seculo durasse, ut de successione nihil certi scribi possit.* Quis vocavit ista monstra? Diabolus, fatente Baronio. At Lainesius totam hisce monstris potestatem Ecclesiæ transcribit. Conferant cum hac doctrina Bullam Iulij 2 Sed de his alias. Nunquam hi hæreseos Simoniacæ Trapezitæ Ecclesiæ deerunt nisi Christus ipse mensis eversis eos è templo flagellis ut olim ejiciat.

17. Reformaturi matrimonia clandestina ita se aperiunt. *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, quæ à filiis familias sine consensu parentum contrahuntur, libero contrahentium consensu facta,* RATA *&* VERA *esse matrimonia: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est & prohibuit.* Si clandestinum Sess. 24.

matrimonium est ratum & verum matrimonium, igitur est sacramentum proprie ita dictum. Omne autem sacramentum est res sacra instituta à Christo. Quomodo igitur hoc sacramentum omni tempore Ecclesia R. detestata est & prohibuit? Si clandestinus consensus sponsorum peccatum est, eo non fit sacramentum. Si non est, cur Ecclesia istum detestatur? Distinguant sane consensum à vitio consensui adjuncto. At non est quæstio de consensu absolute considerato; sed de consensu clandestino. nullum sacramentum fit per actionem vitiosam. Si ea circumstantia actionem detestabilem reddit, quomodo sacramentum producit? Quis credat vitioso & abominabili actu rem sacram & divinæ institutioni conformem effici? Quis unquam credat proprie ita dictum Ecclesiæ Catholicæ sacramentum aliquo respectu detestabile dici; vel actionem, qua fiat & peragatur, propter vitium adhærens, prohiberi posse. Sed pergunt.

Sess.7. c.1.

Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solennem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. En articulum fidei Catholicæ! Matrimonium *ratum* est vinculum divina lege institutum. Scriptura ait, inter Iosephum & Mariam verum matrimonium intercessisse. Solemnitas

nitas professionis monasticæ est juris positivi, ut Bonifacius 8 decrevit. Quomodo jus positivum juri divino derogabit? Num sponsi conjuncti vinculo insolubili legis divinæ Ecclesiastica constitutione solvi possunt?

18. De præcipuis nostri temporis reformatoribus Iesuitis aliquid dicendum est. Concessum est Mendicantium ordini decreto Concilij ut bona immobilia possideat licet ea possessio institutioni ordinis repugnet. Franciscus Zamorra Generalis Minorum, hoc privilegio ordinem suum usurum negat; sed ex præscripto S. Francisci potius mendicato victurum, petitque suum ordinem excipi. Thomas de Castello Capucinorum generalis idem privilegium recusat. Pater Lainesius generalis Iesuitarum idem facit. Collegia ait quæ Magistris scholarum religionem nondum professis constent fundis indigere: minime vero *domus professas*, quæ omnis dominij abdicatione puram putam paupertatem amplectantur. Assensum est facilime. Sed postridie pœnitentia ductus exceptionem istam tolli cupit. Societatem quidem nudam pauperiem sine dote quærere in domibus professis; sed nolle coram mundo hoc propalare, deque ea multum gloriari; meritum apud Deum repositum sufficere, quod tanto majus futurum sit, si per concilium *bona immobilia*

possidere ipsis liceat, nec tamen possideant. Quam bene hæc societas Ecclesiam reformet, Mysteria patrum Iesuitarum edita nuper in Belgio luculente nos docent. Senatus Parisiensis hosce Reformatores publico senatus consulto *juventutis corruptores* appellavit. Defensor Petri Aurelij, autor confutationis collectionis. *Quas turbas hi excitarint in Academias, senserunt pene omnes Academiæ, & inprimis hæc ipsa Parisiensis, tum sæpe alias tum mirum in modum novissime: quas in alios ordines, senserunt nuper in Germania Mendicantes, in aliis regionibus alij: In Episcopos & Hierarchiam quam contumeliosi fuerint, tum innumera exempla tum novissime illustrissimorum Galliæ Antistitum judicia ostenderunt: quam atroces in Reges, tum senatus consulta, tum eorum tot libri etiam à summo Pontifice ob eam causam damnati, ut liber Becani in Regem Angliæ. Impudentissimum est Iesuitas tantarum veritatum lucem contumeliosam sibi dicere, quasi alia ratione fama eorum salva esse non possit nisi omnes homines cæcos faciant, & vel mente vel memoria spolient.*

19. Plurima discussione digna in Concilio restabant, sed Patres Canonum & Anathematismorum obsaturati ad finem properabant. Pius 5. illud:

Sat prata biberunt.

Cogi-


Cogitabat. Hinc uno ore omnes ſibi plaudere & quaſi re bene geſtâ domum reverti. Legati Moronus & Simoneta Romam ſuffarcinati redeunt, petuntque actum agi, id eſt, decreta Tridentina confirmari. De dogmaticis Canonibus Curia non multum ſolicita, propter decreta de Reformatione conturbatior erat. Nam videbat ſibi non amplius licitum ingenio ſuo frui. Pius Papa amplius rem deliberandam cenſet. Nonnulli in Conſiſtorio ajebant, decreta de moribus non poſſe ſine reſtrictione & corrictione confirmari. Cardinalis Amulius ſuadet, ut decreta abſolute confirmentur. Mundum offenſum iri graviſſime, ſi Concilij tanto conatu, ſumptu, labore coacti decreta ſtatim in initio mutentur & abjiciantur. A poco à poco Curiam in ingenium ſuum poſſe remigrare, & fructus ad tempus interceptos cum fœnore repetere. *Le coſe*, ajebat, *pian piano, col tempo, inſenſibilmente, è ſenſa che il mondo ſe n' accorga, nell' iſteſſo ſtato torneranno. Non è coſa piu utile per li tempi correnti, che ſparger fama è nutrirla, che il concilio habbia fatto una ſanta neceſſaria è perfetta riforma. Coſi facendo l'humor del mondo à poco à poco s'acquietera, é con le diſpenſe potra la ſantità ſua provedere à ſuoi miniſtri ſenza violatione de decreti del concilio: poiche in quei medeſimi è riſer-*

Fallacia alia aliam trudit. Sapienti ſat dictum.

riservata l'autorità Apostolica. Hugo Boncompagno Episcopus Curialis ajebat, se non posse non timorem Curiæ mirari. Non majorem confirmatione Papæ Concilio huic autoritatem quam reliquis Conciliis decretalibusque tribui, quibus sedes Apostolica non ligetur. Legem non consistere in verbis sed in sensu, quem sibi Curia semper reservet. Ita decreta confirmata sunt.

Quot patres Concilij Cardinales fideli opera sedi Apostolicæ navata creati sint, in calce Historiæ Concilij Tridentini Petrus suavis enarrat.

PARS



PARS POSTERIOR, DE RELIGIONE PROPRIA PAPATUS.

CAPUT I.

Bulla professionis fidei. Circulus Papisticus. Hæreseos purgatio.

E*GO N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur.* Hoc totum Symbolum Ecclesia reformata amplectitur, quia in verbo Dei continetur. Hoc est commune vinculum omnium Christianorum, quorum simplicitas tradita ab Apostolis doctrina contenta est: Hoc saluti verò credentium sufficit, modo vitam è præceptis Jesu Christi conformem instituant. Hoc aliorum quam Bellarmini, Costeri, & Acostæ testimoniis probandum non suscipimus. quorum ille: *Apostoli proposuerunt communes articulos fidei, Symbolum, 10 præce-* De verbo Dei l.4. c.11. nota secundo.

 pta,

pta, pauca Sacramenta, ideo, quia hæc simpliciter
Enchirid. c. 1. *necessaria omnibus.* Idem: *Non inficiamur præcipua fidei capita, quæ omnibus Christianis ad salutem sunt necessaria, perspicuè satis esse in*
L. 3, de Christo revelato, c. 20. *Apostolicis scriptis comprehensa.* Hic. *Sunt loca scripturarum obscura, sunt alia aperta. Quæ ad salutem sunt necessaria, aperta sunt omnia.* Quin imò Becanus, & pleriq; omnes Doctores Romanæ Ecclesiæ, duplex præceptum affirmativum & negativum circa fidem tradunt, quorum illud Christianos obligat ad duplicem fidem, *Explicitam* præcipuorum tantum capitum, quod absolute sint ad salutem necessaria, proùt in *Symbolo Apostolico continentur*, & *implicitam*, quæ simpliciter & generatim amplectitur omnia Verbo Dei revelata, seu omnia quæ Ecclesia credit, licet ignoretur quid credat. Hoc Christianis prohibet, à quocunque capite religionis, quod à pastore ordinario tanquam à Deo revelatum, sufficienter proponitur, dissentire, vel de eo dubitare. Utrique præcepto obtemperamus. Nam credimus generatim, omnia verissima esse, quæ Deus Ecclesiæ per verbum suum revelavit: deinde omnia quæ in Symbolo tanquam absolutè necessaria comprehenduntur; nec à quoquam capite religionis dissentimus, quod *sufficienter* tanquam revelatum proponitur. *De doctrina Papatus propria* tenemus, eam non tantum

non

non revelatam esse, & hominum ingenio & prudentiæ politicæ, ad quæstum religionem trahenti deberi; verum verbo revelato summè contrariam ipsis Catholicę Ecclesiæ doctoribus, & visam olim fuisse, & adhuc videri. Negamus itaq; *sufficiter* dogmata papatus nobis proponi. Hoc totũ hac altera parte tractatus nostri probandum suscepimus.

Irenæus ait: *Apostolos Euangelium prædicasse, deinde in Scripturis illud nobis reliquisse, & columina fidei nostræ esse.* Hoc totum amplectimur. Hoc eo sensu intelligimus, quo Catholici & pii Doctores Ecclesiæ intellexerunt. Hujus Apostolicæ fidei (quæ ab initio fuit,) prædicatio, Ecclesiam seculis retroactis conservavit. Narratur de Redwaldo Rege Saxoniæ Orientalis, qui primus totius suæ nationis baptismo tinctus est, quod à conjuge Ethnica seductus in eodem templo, duo altaria erexerit, quorum alterum Christianæ, alterum Ethnicæ religioni dedicavit, partim Christo, partim Beliali servitium exhibiturus. Ita Papatus Romanus partim Christianismum, partim Papismum in Ecclesiam invexit. Michaël Cecœnas Generalis Franciscanorum, ante 400 quasi annos dixit: Duas esse Ecclesias: alteram malorum florentem, cui Papa dominaretur: alteram bonorum oppressam, in quo viri pii affligerentur.

Camb. Brit. Angl. p. 465. Beda.

Fides Papatus propria:

1. *Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissimè admitto & amplector.*

2. *Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarū Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.*

3. *Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his baptismum, confirmationem & ordinem sine sacrilegio iterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto.*

4. *Omnia*

4. *Omnia & singula quæ de justitia originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector.*

5. *Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem una cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia, Transsubstantationem appellat.*

6. *Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.*

7. *Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis juvari.*

8. *Similiter & Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos & invocandos esse, eosque orationes pro nobis Deo offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.*

9. *Fir-*

9. *Firmissime assero imagines Christi ac Deiparæ semper-virginis, nec non aliorum sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem & venerationem impertiendam esse.*

10. *Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.*

11. *Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac juro.*

12. *Cætera item omnia à sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita definita & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas & rejectas & anathematizatas ego pariter damno, rejicio & anathematizo.*

Papatus asserit hanc esse verum Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse possit.

Datum

Datũ Romæ apud S. Petrum Anno 1564 idibus Novembris. Pontificatus 5. anno.

FED. CARD. CÆSIVS.

CÆS. GLORIERIVS

Suaretz docet duo esse necessaria, ut fides sit Apostolica. 1. *Vt ab Apostolorum prædicatione, originem duxerit.* 2. *ut per legitimam successionem & traditionem ad nos pervenerit.* Fatemur. Sed dicimus utraque conditione hosce duodecim novæ fidei articulos defici. Respondet ille: *Aliud esse credere aliquid repugnans dogmatibus Apostolicis: aliud credere aliquid per modum additionis ad doctrinam prædicatam ab Apostolis, quod ab eis expresse declaratum non sit, vel saltem declaratum esse non constat. Addi enim aliqua posse credenda hoc modo declarationis, quæ prius expresse & formaliter prædicata non erant, dum modo antiquioribus non repugnent, & legitima potestate proponantur, id est, ab Ecclesia definiantur: Spiritum sanctum non simul docere Ecclesiam omnia, quæ ad supernaturalem doctrinam pertinent, sed pro temporum opportunitate juxta dispositionem occultissimæ suæ providentiæ. Post Apostolorum tempora Ecclesiam in multis illuminari, quæ posteriori tempore necessaria fuerint, & non priori: Apostolum non novitates, sed prophanas novitates prohibuisse: Implicite hæc in antiquis contineri, esseque non tam nova, quàm antiqua novè proposita: fidem Ecclesiæ* Contra Regem Angliæ.

unam esse, nec mutari accidentali augmento & diminutione, sc. majori & minori rerum declaratione: eum qui pro unico articulo moritur, pro omnibus mori, si eum fide Catholica credat. Respondemus. 1. Romanam Ecclesiam nobis vetus & novum testamentum, continua successione tradidisse: In eo autem totam religionem contineri, Patrum fere suffragio & consensu evicimus. Ad hanc regulam exactissimam necesse est, omnia dogmata examinemus. Itaque quod ab Apostolis non est prædicatum, neque in eorum scriptis continetur, denique nec continua successione doctorum omnium ad nostra tempora deductum: id cuivis Catholico rejiciendum est. Tales autem sunt hi novi articuli papatus. Majorem nobis Apostolus suggerit.

Gal. 1.1. *Etiamsi nos aut angelus è cælo annuntiaverit vobis præter id quod annuntiavimus, anathema sit*; sed papatus ἐυαγγελύζεται aliquid præter Pauli Euangelium, imo contra illud, nempe traditiones ἀγράφυς. Totum enim Evangelium Pauli scriptum est, ut

l. 3. contra lit. Petiliani. Augustinus docet. *Si quis sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adjecit, si angelus de cælo vobis annuntiaverit, præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis*

licis accepistis, anathema sit. Itaque maledictio Concilij Tridentini in ipsos autores recidit. Ajunt agere Apostolum contra eos qui contrariam doctrinam tradebant? Num hinc sequitur præter significare contra. Ex latiori angustius sequitur; Si nihil præter; E. nec contra doctrinam Pauli tradendum. Hinc Chrysostomus; *Non dixit, si contraria annunciaverint aut totum subverterint; sed si vel minimum evangelizaverint præter id quod euangelizavimus.* Ita Theophylactus. Certum enim est Apostolos plenam doctrinam fidei proposuisse. Apostolus ait, se nihil subtraxisse, qnominus omne Ephesiis consilium Dei enuntiaret. Rursus dicit se οὐδὲν ἐκτὸς προφητῶν tradidisse. Andradius annotat Pauli scopum esse ut objectum sibi à Iudæis crimen dilueret, nempe quod contraria doceret Mosi. Hoc se crimine non purgasset, si aliquam suæ doctrinæ partem, non totam doctrinam in lege contineri dixisset. Imo contextus indicat quod reddat rationem totius suæ prædicationis præcedentibus verbis. Itaque agit tantum de passione & resurrectione Christi. At Apostolus ait, quæ prædixere Prophetæ, non quæ scripserunt. Hoc futile. Quod enim Moses & Prophetæ prædixerunt, scriptum fuit. Habent Mosen & Prophetas, inquit Christus, id est, scripta

Act. 20.

Act. 26.

ſcripta eorum. 3. Nihil extra Prophetas prædicavit, id eſt, contra Prophetas. Hæc eſt deſperata audacia, quæ Grammaticæ leges infringit. Extra certè eſt alterius ſignificatus ac contra. Dent exemplum, ne videantur in ſcriptura id tentare quod Duaceni in Bertramo, aliorumque patrum ſcriptis ſe facere profitentur, quorum incommodis locis excogitato commento commodum ſenſum affingunt. Si itaque Paulus Papatus hæc capita fidei non prædicavit, neque ſcripta erunt. Itaque cum S. Baſilio ea rejicienda. Φανερὰ γὰρ ἔκπτωσις πίστεως καὶ ὑπερηφανείας σημεῖον, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, id eſt, *Manifeſta defectio à fide & ſuperbiæ indicium, rejicere aliquid ſcriptum, vel introducere aliquid non ſcriptum.* At ſequeretur novum teſtamentum in veteri contineri ſi Paulus extra Prophetas nihil prædicaſſet. Reſpondeo, doctrinam de fide & moribus quam Prophetæ docuere, contineri in Moſe, rurſus quam Apoſtoli tradidere, in Prophetis comprehendi. Non ut in ſemine, ſed ita ut ſingula capita ſuis teſtimoniis diſertis & neceſſariis confirmentur. Sacramenta ibi non continentur, quia non ſunt dogmata ſed eorum appendices & gratiæ ſignacula, neque miracula ad articulos

fidei

fidei, ſed ad hiſtoriam pertinent, & ſunt prædicta in Prophetis. Ita nullum dogma fidei eſt vel morum in N. T. quod in V. T. non fuerit traditum: manifeſtius quidem in Novo: obſcurius in Veteri. Eadem enim fides eſt. Hinc Hilarius: *ea quæ libro legis non continentur, nec noſſe debemus.* Hinc neceſſario concludimus, eum qui aliquid addit Apoſtolicis dogmatis, iiſdem repugnare. In Pſ. 132.

Addi poſſe ab Eccleſia Romana aliquid ad fidem per modum declarationis, ambiguum eſt. Nempe ut vel id quod obſcurius dictum eſt in Scriptura, declaret & exponat fidelibus. At ſic nihil additur ad fidem. Aliud eſt addere ad fidem, & aliud eandem fidem declarare. Additio vetita eſt; declaratio mandata. Nos agimus de nova propoſitione, quam Deus in Scriptura non revelavit. Verbum illud ἄγραφον & ἔγγραφον non eſſe regulam fidei, ipſe Bellarminus docet, nam ait regulam debere continuam eſſe. Hoc venit in quæſtionem: an id credendum ſit, quod Chriſtus non mandavit, neque Apoſtoli expreſſe credendum propoſuerunt. Angelis ipſis talem poteſtatem non convenire cum Apoſtolo, aſſerimus, ut aliquid novum Eccleſiæ proponant, nedum Eccleſiæ Romanæ, cujus ſuperbiam, luxum, & ſcelera, totus orbis deteſtatur. Spiritum ſanctum non omnia omnibus ſimul revelare fatemur;

cognitione fideles paulatim proficere. Sed hoc in controversia non ponitur. Quæritur: an Spiritus Sanctus nova dogmata Apostolis incognita & indicta & inaudita, Ecclesiæ Romanæ revelet? Paulus negat. Aliàs non devinxisset eos tàm grandi exsecratione, qui præter id quod ipse docuerat, aliquid adjicerent. Quicquid vero in antiquis & Apostolicis dogmatibus continetur, & ex iisdem recte colligitur, accipimus. Denique Suarez sibi persuadet, 1. Hæreticos aliqua dogmata Catholica credere, non quidem Catholica seu Divina fide; sed tantum opinione humana. 2. Aliud esse verba Apostolica retinere, aliud sensum. Nam verba Symboli de descensu Christi ad inferos, de judicio ex operibus, de Ecclesia Catholica, nos aliter exponere, ac ipsi ea intelligant. Ad primum respondeo ex ipso Suarezio. Fidem Catholicam seu Divinam, duplici significatu dici. 1. ratione objecti. 2. ratione credendi. Priori modo fides divina dicitur, quicquid Christi nomine ab Apostolis est traditum. Hanc fidem agnoscimus, nec aliam doctrinam probamus, eamque dicimus in Scripturis tradi, suffragantibus cunctis Ecclesiæ Doctoribus. Posteriori est assensus divinus, à Spiritu sancto excitatus, tanta certitudine constans, ut dubitationem excludat omnem propter autoritatem Dei revelantis.

Hunc

Hunc assensum cur Suarez nobis deneget, non video. Quod enim credimus, ideo credimus, quia Deus id revelavit. Medium autem istius revelationis est Scriptura, principium αὐτόπιστον fidei nostræ, ut Patres omnes docent. Papatum autem opinione humana mysteriis fidei assentiri, haud difficilè probatu. Quicquid Papista credit, ideo credit, quia Ecclesia, id est, Papa dicit. Is autem homo est, nec Propheta, nec Apostolus, nec Euangelista, sed sæpissimè erravit, meraque superbiloquentia immunitatem ab errore sibi adsciscit, experientia contrarium testante. Scriptura est quæ nos potest σοφίσαι i. e. sapientes reddere vel erudire ad salutem. ita Salmero explicat. *Electa sunt quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Scriptura est perfecta doctrina, convertens animas. Jam animæ conversio ad Deum non tribuenda est ipsi, nisi omnia necessaria ad fidem & mores edoceat. Quævis pars legis perfecta est, sed integram animæ conversionem non efficit. Falsum est itaque nos aliqua tantum dogmata Catholica, non omnia credere. Nam simpliciter & unice credimus, *omne à Deo revelatum.* At alio sensu quam Romana Ecclesia articulos fidei credimus. Omnia credenda dicimus secundum analogiam fidei, & Doctorum Ecclesiæ explicationem, statuimusque Scriptu-

2. Tim. 3.

In hunc locum August. tr. 49. in Ioh.

Psal. 19.

ram explicandam ex Scriptura; quem modum Augustinus nos edocuit de doctrina Christiana, l. 1. c. 2. Hunc vocant sinceræ veritatis Catholicæque doctrinæ testem, omni exceptione majorem: ejusque doctrinam fatentur totius Ecclesiæ suffragiis, legibus, moribusque nixam esse. Conf. Augustinianæ præfat. Quid ultra volunt? Sed Papistæ cum nobiscum de autoritate Papæ disputant, quomodo se gerunt? Certè ineptissimè. Proferunt testimonia Scripturæ, quibus illam stabiliant. Quæritur de vero sensu eorum testimoniorum: hunc dicunt petendum esse ex interpretatione Ecclesiæ; hanc quærendam in Concilis: Concilia robur habere ab autoritate Papæ. Itaque autoritas Papæ probabitur per autoritatem Domini Papæ. Bellum sane circulum in fidei Christianæ principio Papistico quis non explodat? Quid autem fiet de fide, si Urbanus 8. phrenesi corripiatur? vel si in cœlum descendat? Tum forsan R. E. nihil credet. Sed rem totam de circulo Papatus accuratius persequi, animus est: Omnis disciplina ex uno ad aliud progreditur, & unum ex alio probat. Talis deductio & discursus debet defigi in aliquo principio, quod aliunde non probetur, alias vel in circulum, vel in infinitum abeat, necesse est. In Theologia (quæ est habitus intellectus practicus è revelatione

divina

divina ſacris literis comprehenſa, docens æternæ vitæ viam) idem evenit. Hæc enim primum in ordine ad cognitionem Chriſtiani hominis agnoſcit, nempe principium complexum. Sed cum diſciplina humana lumine naturæ: Theologia lumine fidei cognoſcatur: In illa ratio aſſentiendi eſt dictamen rectæ rationis; in hac autoritas Dei revelantis. Sed utraque ratio remotior eſt, quam ut diſcurſum ingrediatur. Phyſicus proximè è phyſicis principiis concluſiones elicit, non ex hoc generaliſſimo omnium diſciplinarum principio: Quicquid recta ratio dictitat, verum eſt. Adeo ut Ratio non ſit medium logicum diſcurſus; ſed principium phyſicum, quo homo idoneus eſt ad aſſenſum concluſioni præſtandum per diſcurſum, principiis evidentibus per intellectum. Ita etiam revelatio Dei non tam principium logicum eſt, quàm phyſicum, quo Chriſtianus concluſionem theologicam percipit. Nam revelatio divina efficit, ut exſtet aliqua diſciplina ſupernaturalis, ut ita diſcurſus theologicus poſſit inſtitui. Summa revelatio divina eſt cauſa efficiens theologiæ, eamque diſciplinam utrimque fatemur è revelatione divina profectam. Hujus diſciplinæ principium complexum quærimus, primum in compoſitione, & ultimum in reſolutione, nempe principium concluſionum

omnium credendarũ. Id non est aliud quàm hoc: Quicquid Sacra Scriptura docet, verum est. Papistæ hoc coguntur fateri vel inviti, cum adsumunt hoc principium: Quicquid Papa decernit è cathedra, est verum. Sed an non hoc principium suum alio principio probant? Nonne ita ratiocinantur? Super quem ædificata est Ecclesia, hic non nisi verum è Cathedra docet. At super Papam est ædificata Ecclesia. Ergo. Minorem Matth. 16. probant: Tu es Petrus. Unde syllogismus ex principio nostro: Quicquid docet Scriptura, est verum. Sed Scriptura docet Papæ Ecclesiam inædificatam esse. Ergo hoc verum est. Ita probant traditiones ex 2. Thess. 2. 15. autoritatem Ecclesiæ, Luc. 10. 16. Unde certum est, hæc principia, Quicquid Papa, Ecclesia, cõcilium, traditiones tradunt, verum est, ad hoc principium; *Quod Scriptura docet, verum est*, reduci, ex eoque deduci. Hoc igitur ultimum in resolutione: ut primum est in compositione. Nisi in hoc sistas principio, circulum committas, aut principium petas, necesse est, quod Papistæ evenit. Nam credit vera esse quæ Scriptura dicit, ideo quia id Ecclesia testatur: & rursus credit vera esse quæ Ecclesia dicit, quia id Scriptura testatur. Nostrum principium Theologicum sola revelatione cognoscitur, & ab universis ad-

mit-

mittitur, qui lumen revelationis divinæ admittunt: Non poteſt demonſtrari aut probari à priori per diſcurſum, ut Papiſtica principia, ſed ſola efficacia divina percipitur & tenetur. Quod enim principiis humanis per intellectus habitum cognitis evidentia præſtat: hoc ſcripturæ ſacræ efficacia divinitus indita. Hinc Petrus; verba habes vitæ æternæ. Hæc efficacia ſola à Spiritu Sancto per verbum animos hominum convincit, fidemque huic principio ſupernaturali immotam conciliat. Vt ita non humana ſed divina fide relevata in ſcripturis credamus. Præter illam efficaciam Spiritus ſancti aſſenſus noſter, quo ſcripturam recipimus, poteſt pendere è variis occaſionibus ſecundum ordinem noſtræ cognitionis, nempe inſtitutione parentum, præceptorum, converſatione, lectione, aliiſque infinitis: atque etiam ex argumentis quibuſdam quæ fidem quidem humanam per ſeſe gignunt, ſcripturæque revelationem credibilem reddunt, qualia ſunt plurima. Neque negandum eſt plurimos autoritate Eccleſiæ ad fidem induci, quin experiantur tot nationes excultiſſimas ingenio & eloquentia ſcripturæ ſacroſanctam majeſtatem agnoſcere. Hoc eſt quod negamus, fidem ipſam divinam ab ejuſmodi Eccleſiæ autoritate, tanquam à cauſa, effectum per

Ioh. 6.68.

se producente pendere. Nam fides hominis Christiani qua scripturam ut verbum Dei recipit, proprie, proxime & per se non aliunde dependet, quam ab ipsa scriptura. Est enim αὐτόπιστος καὶ ἀναπόδεικτος; ex eaque omnis notitia & autoritas Ecclesiæ ad nos devenit. Nullus autem Papistarum est, quin Ecclesiæ ideo credat quia scriptum sit eam columnam veritatis esse. In hoc ultimo necesse est discursus quiescat, aut redibit in circulum. Nam scriptura ab Ecclesia capere autoritatem non potest, quam ei dedit. Hinc S. Apostolus: παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν, τοῦ θεοῦ, ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ
1. Thess. 2. 17 (καθώς ἐστιν ἀληθῶς) λόγον θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν. Thessalonicenses crediderunt Pauli verbis non moti argumentis, hæc enim humanam tantum fidem penetrant; non autoritate Ecclesiæ, hæc enim incognita illis infidelibus erat: non autoritate Pauli, quæ exterius exigua aut nulla erat. Ergo efficacia sermonis. Quod si assensus qui scripturæ præbetur ab Ecclesiæ autoritate tanquam à causa per se penderet, nunquam produceretur, nisi per illam autoritatem. quod tamen falsum est. Exemplum non tantum in Thessalonicensibus sed in Iudæo illo habemus celeberrimo

lectio-

lectione novi Testamenti converso. Et hoc est quod adversarij inviti coguntur fateri. Bellarminus: *Argumenta quæ articulos fidei nostræ credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidem omnino indubitatam reddant, nisi mens divinitus adjuvetur.* Hæc itaque est certa sententia Ecclesiæ Catholicæ, scripturæ propter scripturam credendum esse: idque ob efficaciam ejus divinam ante diximus principium fidei tale debere esse, ut à nemine qui sensum pietatis habet & supernaturalem disciplinam agnoscit, negari possit. At certe ab omnium Christianorum sensu abhorret, hominem sceleratum & hæreticum, Atheum magnum (qualis Papa sæpe est) nihil falsi in religione posse definire. Itaque probandum est hoc egregium principium, non quidem ex principiis naturaliter cognitis. Igitur è revelatione, Matt. 16. Quicquid sacra scriptura tradit verum est. Sacra Scriptura tradit Papam nihil falsi definire posse. E. hoc verum est. Papista majorem non relinquit ἀναπόδεικτον: non in ea tanquam in primo & ultimo credendo acquiescit, sed eam ita probat, sc. è conclusione. Quicquid Papa definit, verum est. Papa definit scripturam nihil falsi tradere posse. E. hoc verum est. Quid hic in circulo desideratur? ignotum per notius demonstratur. Nonne vero hic eadem pro-

l. 6. de grat. & lib. arb. c. 3.

positio, *Quicquid Papa definit, verum est*, notior & ignotior est? Nonne eadem propositio *respectu sui ipsius* causa & effectum est? prior & posterior? Nonne idem prorsus per se ipsum demonstratur? Nam cum requiro probationem majoris, prior syllogismus repetendus est: si & hujus syllogismi majoris probationem Papista requirat, posterior syllogismus redibit, idque in infinitum circulum. Eadem propositio in eodem continuatæ demonstrationis progressu notior & ignotior est respectu sui ipsius. Hoc est vitium in argumentando non quidem formæ: sed materiæ. de quo Aristoteles tractat. Circuli affinis est petitio principij, quæ est probatio ejusdem per idem, ut in discursu circuli ab eodem ad idem reditur. Quod scriptura docet, est verum, quia quod Papa docet est verum. Et quod Papa docet est verum, quia quod scriptura docet est verum. Gretserus fatetur se circulum vitare non posse, sed non omnem circulum vitiosum esse. Exempli loco regressum affert, sed circulus habet 3. partes. 1. Demonstrat propositam quæstionem. 2. Demonstrat majorem è conclusione, loco majoris in altero syllogismo posita, & minore conversa. 3. Probat minorem è conclusione loco minoris posita & majore conversa. In regressu 1. major non demon-

Post. analyt. c. 3. context. 24.

Tr. 1. unde feis?

demonstratur, sed tantum minor, idque ex majore primæ demonstrationis conversa & conclusione loco minoris posita 2. in circulo omnis progressus à causa ad effectum procedit; at regressus prius quidem ab effectu ad causam, deinde à causa ad effectum pergit. 3. in circulo idem est principium & finis. Nam quod in secundo & tertio syllogismo demonstratur id in primo distinctè cognitum erat. At regressus tendit ab effectu confuse cognito ad causam confuse cognoscendam, deinde à causa distinctè cognita ad effectum distinctè cognoscendum. Regressus in Physicis usui est maximo, & circa effectus in sensus incurrentes maximam partem versatur. 1. Ex sensibili effectu deprehendit causam esse. 2. Ex comparatione illius causæ cum effecto cognoscit illam causam esse causam hujus effecti. 3. Instituit demonstrationem τοῦ διότι. 1. Cubiculum illustratur. E. sol ortus est. 2. Sol ortus est causa illustrati loci. 3. Demonstratio à priore fit. Cum sol hoc tempore anni oritur, cubiculum illustratur. At oritur E. Gregorius de Valentia distinguit *inter causam ipsius fidei*; secundum se nempe cur quis firmiter credat; & causam ob quam acceptarit quis eam fidem 1. E. G. Cum quæritur cur quis credat resurrectionem mortuorum, respondendum esse, quia eam Deus reve- Tom. 3. disp. 1. q. 1. pu. 1. §. 10.

reve-

revelavit. Porro cum quæritur: Vnde cognoscis, Deum revelasse? ait, respondendum, ob infallibilem propositionem Ecclesiæ tanquam ob conditionem ad id credendum requisitam. Porro si quæratur, unde cognoscat hanc propositionem esse infallibilem, ait, respondendum, ob revelationem Scripturæ, cui credat propter seipsam, quamvis Ecclesiæ propositione opus sit ut requisita conditione. Sed minime satisfacit dubio expediendo: circulus manet. Quia conditio fidei, quæ varia potest esse, non venit in controversiam, neque occasio, vel externa argumenta ad fidem inducentia; sed *primum principium complexum omnium quæ Christiana fide creduntur*. Prima propositio *credita per se*. Stapletonus fatetur Scholasticos in Ecclesiæ revelātis vocem tanquam supremam autoritatē incautius imperitiusq; fidem resolvisse: adeo ut hoc axioma: *quicquid Ecclesia dicit verum est, pro primo principio complexo omnium credendorum habuerint*. Idem Armantus: *In Ecclesia fit ultimo controversiarum fidei resolutio*. Et quid aliud Bellarminus, cum docet scripturas pendere ab Ecclesia, sc. quoad nos, non secundum se, id est, Nostram fidem non pendere à scriptura per se, sed propter Ecclesiæ autoritatem. Itaque res eo redit ut scripturæ propter Ecclesiam credamus. Sed saniores Papistæ

In Ep. ad Camierum. p. 21.

aliter

aliter vi veritatis constricti. Ecclesia est medium, non principium ultimum credendi: est medium fidei accipiendæ externum, non principium à quo per se assensus fidei pendeat, est causa sine qua non, est causa proponens, non fundamentum vel ratio formalis credendi. Simile est de muliere Samaritana. Ioh. 4. 28. Hæc mulier mystice, ut collegium Anglo-Remense docet in hunc locum, Ecclesiam repræsentat, & significat, homines primo credere, quia sic tradit Ecclesia, postea ipsis scripturis magis confirmari. Papista mulierij plus fidei quam ipsi Messiæ tribuit. Illud quod Deus revelat verum esse à nullo Turca vel Iudæo negatur. Itaq; non est proprium principium fidei Christianæ. Neque enim fide id apprehenditur, sed ratione percipitur. Principium autem fidei debet esse ὁμογενὲς ipsi fidei. Itaque nullum aliud agnoscimus quam hoc unicum: Quicquid scriptura docet est certo verum. Becanus distinguit eodem modo: aliud esse loqui de causa fidei per se; aliud de causis susceptionis nostræ quæ certe variæ esse possunt. Sed quæstio est tantum de causa fidei per se, nempe quodnam sit infallibile illud complexum principium quo mens cogatur seclusa omni dubitatione resurrectionem credere. Ex sensu Gregorij & Becani sic argumentandum erit: Quod

Deus

Deus revelavit, id verum est. Resurrectionem Deus revelavit. E. Major apud Paganos ipsos in dubium non venit. Probent minorem: Quod Ecclesia dicit est verum. At hoc Ecclesia dicit. Probent majorem. Major ista ab omnibus Papistis probatur ex Scriptura. Itaque ista propositio non est ultimum principium & primum omnium credendorum. Principij enim natura hæc est ut ipsum non probetur, sed probet alia. Hoc autem est absolute tale ut probari debeat non ex lumine naturæ, itaque è revelatione divina, hæc itaque prior. Quod enim congregatio hominum credit, non nisi ex revelatione potest credere. Revelatio enim fidei objectum formale est. Autoritas igitur cœtus alicujus demonstranda ex principio vero immediato priori, notiori, causaq; omnium dogmatum in tota religione. Principium debet esse 1. verum. Nam ex falso per se nihil nisi falsum sequitur. 2. Immediatum, id est, primum & ἀναπόδεικτον adeoque necessarium. Nam quod medio aliquo demonstrari potest non est primum ordine. 3. Prius est enim causa omnium conclusionum. 4. Notius, quia est causa cognitionis. 5. Causa denique omnium dogmatum, adeoque propter id principium credimus religionem Christianam esse.

esse veram, nec aliter se posse habere. Examinet jam Papista, an hoc axioma; quicquid Papa definit è Cathedra, verum est, sit principium fidei Christianæ. Non esse, ex ipsis adversariis discamus licet. Nam quid operosa illa disputatione Bellarmini de Oecumenico Pontifice opus erat? Nonne copiosissime, laboriosissimeque ei autoritatem è Scriptura, Conciliis, Patribus astruit? Itane principium à priori potest demonstrari? Litigiosa disquisitione principium vindicandum est à contradictione? Basilius olim: ἀνάγκη ἑκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς ἀρχάς. i. e. oportet cujusvis disciplinæ principia esse talia, in quæ non inquiritur. Tale est hoc divinum, certum, necessariumque principium, primumque credendorum: Quicquid S. Scriptura docet, est verum. Hoc spinosiori probatione haut indiget apud omnes qui superrationalē disciplinam concedunt. Illud alterum, ne longius abeam, omnes Ecclesiæ veteris Doctores, & his temporibus Sorbona, ne de infinitis ubique locorum degentibus Christianis dicam, negat; adeo ut Jesuiticæ Theologiæ novum principium meritissimo censeatur. Hinc illud Suarezii dictum refellitur: Hæreticos partem Catholicorum dogmatum retinere, partem abjicere. Nam cum principium sit causa omnium

In Ps. 115.

omnium conclusionum; unicumque adeo principium sit Theologiæ Sacra Scriptura, ut evictum, totum illud amplectimur quod ea tradit vel disertè, vel per consequentiam. Unde merito ea dogmata rejicimus, quæ ex hoc principio non fluunt. Principium enim & dogmata inde deducta, ejusdem generis sint, necesse est. Si sint divina dogmata, hoc divinum & unicum principium agnoscent, ne fiat μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. *Præterea novitas dogmatis in religione judicio Jansenii, certissimum signum est falsitatis. Necesse esse enim, ut religionis veritas subnascentem hæreseos falsitatem antecesserit. Id verum, quod prius; id adulterinum, quod posterius.* Age videamus an dogmata nostra in terræ Genevensis angulo nuper efficta sint: Videamus an nulla Christiana societas in toto mundo ostendi possit, quæ fidem illam, quam reformata Ecclesia profitetur, approbarit.

P. 300.

Tert. l. contra prax. c. 2.

Symbolum fidei, quo sancta reformata Ecclesia utitur.

Credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, & ex patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero genitum non factum, con-

sub-

ſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt, crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſcendit in cœlum, ſedet ad dextram patris, & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, qui ex patre filioque procedit, qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum & vitam venturi ſeculi, Amen. Deinde cum Apoſtolo Paulo: *ſecundum viam iſtam quam hæreſin dicunt, ita ſervit patrio Deo, ut credat omnibus quæ in lege & Prophetis* (adeoque in Euangeliſtis & Apoſtolis) *ſcripta ſunt.* Et dicit cum S. Auguſtino. *Quid amplius te doceam, quam id quod apud Apoſtolum lego? Sancta enim ſcriptura noſtræ doctrinæ regulam figit, ne audeam ſapere plus quam oportet; ſed ſapiam ad temperantiam, ſicut cuique Deus partitus eſt menſuram fidei. Non ſit ergo mihi aliud te docere, niſi*

Act. 14. 14.

De bono viduit. c. 1.

verba tibi Doctoris exponere. Hæc non plura credit quam credenda sunt, quia extra Scripturã fidem non extendit, nec pauciora, quia nihil quod scriptum est, à fide sua excludit. Quod si nemini salus obtingit, nisi qui dextre totam Scripturam intelligit ita, ut nusquam à mente Spiritus sancti aberret, nemo mortalium salutem consecutus est. Error cum fide Christiana & bona conscientia potest conjungi hæresis obstinatione exclusa. Quod liquet exemplo omnium Doctorum Ecclesiæ, qui ab erroribus variis liberi non fuerunt: liquet item ex suffragatione totius antiquitatis. Mores ac vitam componendam judicat reformata Ecclesia ex præscripto legis divinæ, quæ perfectam actionum regulam, adeoque omnia officia vitæ bene beateque degendæ complectitur: Observat item medium Deo optimo maximo supplicandi ab ipsa cœlesti sapientia patris commendatum. Duo Sacramenta Baptismum & Cœnam Domini, quæ haut dubie originem suam divinæ institutioni debent, servat. Canonem Biblicum V. T. quem Deus populo suo commendavit, approbat, ut & omnes novi fœderis libros. Quid horum à Luthero inventum, & ut novum in Ecclesiam inductum fuit? Hæc omnia quæ recensui, olim recepta ab omnibus Catholicis fuerunt. Itaque non dubium est quin sint Apostolica &

Ca-

Catholica dogmata quæ tenemus. Quur igitur Ecclesiæ reformatæ novitatis suspicio fidem abroget? Tota hæc doctrina (quæ *regulam credendi certissimam, tutissimamque* sequitur, sc. *Scripturam,* Bellarminus de verbo Dei, l. 1. c. 2.) ut aurum scoria obtectum, in Ecclesia Romana latuit; ut bonum frumentum coopertum palea. Nova erat doctrina, quia sordibus liberata pristinam antiquitatem, incognitam desuetudine referebat. Apostolus apertè docet quosdam superædificare super fundamentum hoc lignum, fœnum, stipulam; eosq; salvos fore quasi per ignem. Bellarminus: *Nomine fœni, ligni, stipularum prædicatorum curiosæ & superfluæ doctrinæ intelliguntur.* Tollant Papistæ è fide sua Symbolum Apostolorum, 4 Concilia, 22 libros Canonicos, cum Novo Testamento, Sacramenta duo, Cœnam Domini, & Baptismum. Videbunt an non 12 articuli Papisticæ fidei paleæ nomen mereantur. At prius quam eos ad examen vocemus: hæreseon accusatione reformata Ecclesia exsolvenda est. Bellarminus aggreditur catalogum errorum, quos Ecclesia reformata amplectatur: quique ab antiquis Patribus pro exploratis hæresibus notati sint.

Lib. 4. de notis Ecclesiæ, c. 9.

1. Prima hæresis est de justificatione per solam fidem. Eunomiani dixerunt nemini peccata nocere, modo fidem habeat: Lu-

Com. in Ioh. 13. theri hæresis de sola fide est illi affinis. Eunomii hæresin Stapletonus ita enarrat quod dixerit, *nemini obesse peccatorum perseverantiam.* Toletus: *Eunomius affirmavit fidem sufficere ad salutem, quamvis mala opera adessent; Protestantes dicunt quidem fidem ad salutem sufficere, negant tamen fidem illam sine operibus esse posse.* Hinc certum Eunomianos fidem mortuam; Reformatos fidem vivam postulare. Maldonatus. *Dicunt sane Protestantes fidem justificantem non posse esse sine bonis operibus.* Stapletonus: *Omnes Protestantes ad unum dicunt fidem, quæ justificat esse vivam & operantem per caritatem aliaque opera.* Vega. *Justificationem & sanctificationem tam conjunctas, tamque cohærentes esse asseverant, ut non possit altera ab altera divelli.* Bellarminus: *Confessio Augustana per solam fidem non excludit alias virtutes, sed meritum ipsarum.*

Com. in Ioh. 3. 15.

Lib. 9 de just. c. 7.

Lib. 15. de just. c. 5.

L. 4. de just. c. 1.

2. Hæresis est de autore peccati.

Hæresis est Deum esse autorem peccati. Hanc ajunt Calvinum docuisse. At ipse: *Jacobus peccatorum autorem merito Deum esse negat. Admonitio necessaria, ne nos Deum loco nostro substituamus.* Imò: *Flagitiorum causa extra humanam voluntatem quærenda non est, ex qua mali radix assurgit, & in qua peccatum residet.* At Calvinus docet voluntate Dei homines peccare, non solum permissione. Hugo de sancto Victore. *Deus cum facit bonum, & per-*

Com. in Iac. c. 1.

L. 1. de sacr. c. 12. p. 4.

& permittit malum, apparet voluntas ejus. Quoniam vult esse quod facit, & quod permittit, est Dei voluntas. Barradius: *Ad faciendum peccatum, concursus causa moralis necessarius est, at Dei concursus cum homine est naturalis.* Suarez. *Quod dicunt Protestantes Deum nobis sua omnipotenti voluntate necessitatem imponere, in hoc non reprehenduntur à Catholicis. Propriam causam peccati fatentur adversarii esse voluntatem humanam.*

Concord. Ev. l.4. c.6.

Opusc. theol. l.1. c.2. §. non ergo.

3. Hæresis tertia est de perdita imagine Dei. Alphonsus: *Sed Origenes per imaginem intelligebat vel naturam rationalem, seu animi qualitatem. Quod si Origenes secundum hunc modum usurparit; quis non videt ibi nullam hæresis esse suspicionem?* Maldonatus: *Solent plerique per substantiam quam prodigus dicitur perdidisse,* Luc. 15. *liberum arbitrium, ceterasque naturales facultates interpretari. Sic Augustinus, Beda, Euthymius, Bernhardus, quæ tamen sano ab iis sensu dicta sunt. Alii per eam substantiam perditam imaginem & similitudinem significari putant.* Bellarminus: *Aliqui ex nostris exponunt hominem liberè moveri in Deum, cum ab ejus gratia excitatur, quoniam sponte & pleno judicio movetur. Idem omnino Calvinus docet.*

Alphonsus à Castro l.2. advers. hæres. tit. Adam.

Com. in Luc. 15.

l.6. de lib. arb. c. ult.

4. Hæresis 4. de ministerio mulierum. Luth. *Omnia cum ordine fiant. Omnes Sacramenta administrandi potestatē habemus, sed nemo sibi*

Dom. pasch. 4 prox. in Ioh. 20.

 mo sibi

mo sibi hoc temere, ut exerceat, assumere debet, nisi is qui ab Ecclesia ad hoc destinatus fuerit. Idem sentiendum de potestate ligandi & solvendi.

Hæresis 5. de concupiscentia in renatis. Proclus dicebat peccatum vivere in renatis, id est, regnare. Peccatum regnare dicitur cum consensum voluntatis extorquet. At Bellarminus: *Dicunt Protestantes concupiscentiam in renatis esse peccatum, licet non semper regnet. Nam non quod est præter, sed quicquid est contra legem Dei, est mortale peccatum.* At Stapletonus: *Fatemur concupiscentiam esse quandam iniquitatem, & aliquando obliquitatem, non modo contra dominatum mentis, verum etiam contra legem Dei.* Cassander: *Ex Augustino & reliquis Ecclesiasticis Scriptoribus convenit, eam concupiscentiam, etiam post baptismum reliquam, Apostolum, & eum secutum Augustinum, peccatum nonnunquam appellare, quia dominationi mentis resistit. Certe insignis Theologus aperte asserit etiam in regeneratis manere peccatum, etiamsi non imputetur.*

.5. de amiss. grat. c. 3.

Bell. l. 4. de just. c. 13.

L. 3. de conc. in renatis c. 2.

l. consult. art. 2.

Hæresis sexta de pœnitentia sublata. *Novatiana hæresis peccantibus omnem pœnitentiæ virtutem tollit, dicens, eos, qui semel post baptismum lapsi sunt, nunquam postea consequi remissionem peccatorum, etiamsi eos pœniteat.* At Bellarminus: *Dicunt Protestantes in Christianis post baptismum requiri fidem & pœnitentiam;*

Alphonsus de Castro l. 12. contra hæres. t. pœn.

L. 2. de just. c. 6.

tiam, ut justificentur, & remissionem consequantur. Ambrosius: *Vera pœnitentia est virtus, qua commissa cum emendationis proposito plangimus, & plangenda ulterius non committimus.* Novatiani virtutem pœnitentiæ: Reformati ritum externum nuper receptum rejiciunt. In serm. quadr. l 13. c.16.

Hæresis septima de facultate liberi arbitrii. Manichæi auferebant liberum arbitrium. Maldonatus: *Manichæi arbitrium in utramque partem liberum tollunt; Calvinistæ liberum tantum in bonum, non in malum.* Bellarminus: *Adversus Protestantes & quosdam etiam Catholicos, liberum arbitrium defendemus.* Cassander: *Hoc*, ait, *piarum mentium est, ut nihil sibi tribuant, sed totum gratiæ Dei. Unde quantumcumque quis det gratiæ Dei, etiamsi subtrahat potestati naturæ aut liberi arbitrii, à pietate non recedit.* Maldonatus: *Chrysostomi, Cyrilli, aliorumque Doctorum Græcorum doctrina, est nimis affinis Pelagianorum hæresi.* Com. in Mat. 7. L.4. de lib. arb. c. 10. Conf. art. 18. Com. in Ioh. 6.

Hæresis octava de Ecclesia visibili. *Donatistæ Ecclesiam ex solis justis constare volebant. Eadem doctrina Calvinistarum.* At Bellarminus: *Donatistæ Ecclesiam visibilem constare volunt de solis electis. At Calvinus & Protestantes, cum Ecclesiam non posse deficere dicunt, de Ecclesia invisibili loquuntur.* L.3. de Eccl. mil. c.13.

Hæresis nona de traditionibus. Sectarii

omnes cum Arrianis, traditiones rejiciunt. Lindanus contra. *Ne quid ambiguitatis in nomine traditionis relinquatur*, ait Brentius in Apologia, *non loquimur nunc de ea traditione, qua nobis Sacra Scriptura, & quæ in ea continentur, à majoribus nobis tradita sunt. Nam hanc traditionem affirmamus esse certam, firmam, & indubitatam; sed de traditionibus aliis loquimur, quæ non sunt ab Apostolis scriptis mandatæ.*

Panopl. l. 1. c. 2.

Hæresis 10. de oratione pro mortuis, jejuniis, æqualitate ministrorum. Sed nulla unquam Synodus veteris Ecclesiæ hæreseos condemnavit hanc sententiam: non esse orandum pro defunctis: vel hanc jejunii rationem nullis legibus adstrictam esse; sed liberam relinquendam; item æqualitatem Ministrorum Ecclesiæ jure divino niti. *Michael Medina affirmat, non modo sanctum Hieronymum ita sensisse, quod ordinis Ecclesiastici differentia non esset juris divini, cum Æreanis; verum etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum. Ita isti veri*, inquit Valentia, *alioqui sanctissimi & orthodoxi senserunt.* Hi Patres post Æreum scripserunt, itaque noverunt, si quid tale in Æreo fuisset damnatum. Jovinianus nihil dicebat prodesse ad salutem jejunia. Pererius: *Philippus Melanclon non negat jejunii*

L. 1. de sacris orig.

Bell. l 4. de Eccl. mil. c. 9.

Tom. 4. disp. 9. q. 1. p. 2.

Comm. in Rom. 1. c. 14. d. 3. n. 20.

nii & rerum indifferentium. observationem posse homini prodesse & conducere ad cultum Dei, non tamen immediate, sed mediate. Facit enim jejunium, ut homo sit aptior ad fundendas preces, in quibus est cultus Dei. Bellarminus: *Protestanies existimant in jejunio maxime lautioribus abstinendum.* L. 2. de bonis operib. c. 3. §. quatuor autem.

Summa; Jovinianus docebat, nemini ab ullis cibis abstinendum esse ullo unquam tempore, neque absolutè, neque ullis certis ex causis. Reformata Ecclesia contra jubet, teste Bellarmino, à nimio & lauto cibo abstinere tempore precationis solemnis, ad concupiscentiam edomandam, & humilitatem testandam. Ita olim Ecclesia sensit. Maldonatus: *Quod attinet ad ciborum delectum, semper in jejunio observatum est, ut ab iis abstineretur, quæ maxime finem jejunii impedire poterant. id mutatis temporibus mutatum est.* Summam varietatem de quadragesima, Socrates, Sozomenus, Nicephorus annotarunt. Hic ultimus ait: *Quoniam nemo de ea præceptum literarũ monumentis proditum potest ostendere, perspicuũ est, Apostolos liberam potestatem in eadem cujusque menti & arbitrio permisisse, ut quisque nec metu nec necessitate inductus, quod bonũ sit ageret.* S. Augustinus. *Non solum à carnibus, verum etiam à quibusdam terræ fructibus abstinent, vel semper sicut pauci, vel certis diebus sicut per quadragesimam fere*

L. 2. de bonis operib. c. 5.

Summula q. 23. art. 2.

L. 5. c. 21. l. 7. c. 19. l. 12. c. 34.

Contra Faustum l. 30. c. 5.

omnes, quanto magis quisque vel minus potuerit vel voluerit. Lutherus: Omnino per jejunium corporis castigatio & moderatio nobis commendatur. Itaque vere servis in jejunio, dum illud gratuito in honorem ipsius ad extinguenda peccata & domandam carnem suscipis.

In Evang. die dominica à natali Christi proximo.

Hæresis 12. de reliquiis, sanctorum invocatione, cœlibatu sacerdotum, voto paupertatis. Cassander. *In reliquias paulatim abusus irrepsit. Nam queritur Basilius hanc consuetudinem suo tempore corruptam fuisse. Temporibus Augustini, Ambrosij, mos ferendi epulas ad Martyrum memorias ab Ambrosio interdictus erat, ut apud Augustinum patet. Deinde memoriis sanctorum nimium indultum est, cum ab impiis hominibus falsa fiducia in cultu inepto & superfluo collocabatur, qui abusus reprehenditur in concilio Cabilonensi. Accesserunt & alia mala, quod avaritiæ causa falsæ reliquiæ supponebantur, ficta miracula prædicabantur, superstitio inde alebatur. Nonnunquam illusione dæmonis hominum superstitione abutentis, novæ indies reliquiæ revelabantur, qui abusus damnatur in Concilio Lugdunensi c. 62. Hodie cum omnia reliquiis sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne diligenti examinatione adhibita detestandæ imposturæ patefiant, ut in nonnullis locis patefactum est. Multo consultius videtur ut ab omni reliquiarum osten-*

Conf. art. 21.

l. 8. de civ. Dei c. ult.

ostentatione abstineatur. Glaber Rudolphus; Hist. l. 4. c. 3.
Fuit homo plebeius mangonum callidissimus qui è tumulis clam ossa evellens defunctorum hominum ea imposita in diversis apophoretis venditabat apud plurimos pro sanctorum Martyrum reliquiis. Hic post innumeras hujusmodi illusiones in Gallia perpetratas, venit ad Alpes, miracula edit, quæ fieri permittuntur à malignis Spiritibus tentatorie, quod tum claruit. Multimodæ quippe membrorum reformationes ibidem visæ sunt extitisse, ac insignia oscillorum multiformia pendere. De invocatione sanctorum Eccius. In Enchirid. de venerat. sanct. *Invocatio sanctorum in sacris literis veteris testamenti explicite præcepta non erat, quia populus propensus erat in idololatriam, nec in novo, ne gentiles ad fidem conversi se iterum ad falsum cultum putarent induci.* Suaretz. In Thom. p. 3 q. 52. a. 1. d. 42. consult. art. 21. *Quod aliquis oraverit sanctos defunctos, ut pro se orarent, nusquam legimus.* Cassander testatur protestantes in Apologia sua triplicem honorem sanctorum probare. 1. Gratiarum actionem, quod Deus eos tot donis cumularit. 2. Ex eorum exemplis fidei confirmationem. 3. Imitationem fidei & virtutum eorumq; honorificam commemorationem.

De cœlibatu sacerdotum Vigilantius docuit debere sacerdotes esse uxoratos. Protestantes, licere ducere vel non ducere. Nam Bell. *Non jure divino, sed tantum hu-* l. 1. de clericis c. 14.

mano

mano prohibitum est conjugium sacerdotibus. Legem autem illam cœlibatus revera impiam & dœmonico Spiritu latam, experientia testimonio est. Quatuor considerabimus. 1. Naturam hujus voti. 2. Iudicium Ecclesiæ Catholicæ. 3. Praxin Papatus. 4. Fructus hujus coactæ continentiæ.

1. Natura hujus voti.

1. Continentiæ donum non est commune omnium. Intelligo ut quis casto animo & corpore vivat in cœlibatu. Nota & Apostoli sententia. *Propter fornicationem suam quisque uxorem habeat.* Ab hoc periculo sacerdotum status non est liber. Cur itaque toti ipsi statui conjugio interdicitur? Sed dicunt non vocari ad nuptias, qui stimulis carnis tentantur, sed qui incontinenter vivunt, ita ut flagitiis se polluant. R. Cogitatio alliciens carnem primus gradus est ustionis. Voluntas & desiderium libidinis explendæ secundus. Actus ipse tertius gradus est. His Apostolus morbis matrimonium opponit, quod tanto magis necessarium quanto major vis tentationis in tertio quam in secundo, & in secundo quam primo gradu. Itaque stimuli carnis & ipsa fornicatio non opponuntur. Matrimonium enim remedium est non tantum ei qui scortatus est, sed

&

& ei qui tali periculo ob ſtimulos carnis expoſitus eſt. Sed demus Apoſtolum uſtionem per incontinentiam explicare. Quid ait Apoſtolus? *Si ſe non continent, nubant.* Cur infiniti Monachi & Clerici hoc præceptum vel conſilium contemnunt? Quia non ſunt amplius liberi, ajunt. Apoſtolus loquitur de iis qui liberi ſunt. Sit ita. Hinc certo ſequitur neminem vovendo hanc libertatem ſibi debere adimere, qui non eſt certus de dono continentiæ accepto. Omnes Monachi & Clerici liberi fuerunt. Ergo ſi Apoſtolus omnibus nondum devotis docet neceſſarias eſſe nuptias propter fornicationem, certe autor eſt ne votum cœlibatus emittant. Hieronymus ait: *datum eſt his qui petiverunt, voluerunt, laborarunt.* Sed qui Deum tentat, male petit. Tentat autem is qui vovet antequam poſſit, & quidem id quod non eſt in poteſtate ſua, quale donum eſt PERPETVA continentia ſive caſtus cœlibatus, non ſimpliciter cœlibatus, & continentia non tantum externa, ſed & interna, nempe cordis. Quid magni facis ſi Deo voveas te nunquam uxorem ducturum? Cordis puritatem Deus inprimis requirit, hæc adſit oportet externæ continentiæ. Utraque itaque vovenda aut neutra eſt. Hic expreſſe ſervator ὁμόψηφος. ὀ πάντες χωρῦσι, id eſt, *non omnes capiunt verbum*

hoc.

1 Cor. 7. *hoc.* Item Apostolus. *Vnusquisque* PROPRIVM *donum habet ex Deo.* Apostoli Christo objiciebant: *Non expedire propter molestias uxorem ducere.* Christus consequentiam negat, *quia non possit ab omnibus fieri.* Dona Dei necessaria vel adiaphora sunt. Continentia opposita scortationi est præcepti; opposita conjugio est adiaphora. Vterque enim bene facit, qui filiam suam nuptui dat & qui non dat. Iam certum est omnia non posse impetrari dona adiaphora vel utilia ad statum vitæ melius instituendæ. Itaque fiduciâ ea impetrandi non debeo me vinculo voti constringere. Apostolus ait, *Alius quidem ita, alius ita donum habet.* Non igitur commune, non ordinarium est. Maldonatus illud χωρῦσι, interpretatur *intelligunt.* Iansenius: *Verbum capere non significat intelligere. χωρεῖν ea notione non usurpatur. Deinde λόγον* Hæbræis *rem significare notum est. Itaque sensus est non omnes continentiæ capaces esse.* Hinc Christus neminem cogit, sed ait: *qui potest capere capiat.* nec Apostolus: *velim omnes homines esse ut ipse sum*, nec tamen laqueum conscientiis injicit. At ajunt, num hortatur Christus ad id quod non est in potestate nostra? cur nobis continentiam Christus commendat? R. Idem hortatur ad fidem. Num ideo fides

des ab electione nostra pendet? Aliquid dicitur in potestate nostra non esse. 1. Quod non possumus facere ne tum quidem cum volumus. Quod non pendet ab electione nostra. Sed quale donum continentia sit, exemplo Hieronymi liquet. Hic in solitudine, ubi corpus suum inedia, precibus & studiis macerabat, nihilominus libidine se flagrasse confitetur. Homo autem ita affectus donum continentiæ non habet. Quid omiserat senex ad illud impetrandum? Quota pars cleri hæc vestigia Hieronymi sequitur? & tamen omnes promiscue & secure continentiam vovent, Sed an non promissio extat: *Petite & accipietis?* Sed Luc. 11. necessario conditio adjicienda est, nempe ut petamus *secundum voluntatem Dei, revelatam*, cum de ratione precandi: *occultam*, cum de eventu precationis agitur. Certum nobis est, nos exauditum iri, si desideria nostra voluntati Deo subjiciamus, ut fiat non quod *ipsi* volumus, *sed quod ipse*. Lorinus. *Exauditur quisquis talis est rogando, qualem requirit Deus, nec aliud vult quam quod ipse.* Iam vero licet cælibatus utilis sit ad salutem non tamen omnibus datur. Angelus Satanæ à Paulo non abscessit, quæ caussa erat illi precum. Nec id tamen obtinuit. Boni Principes Ecclesiæ utiles ad salutem sunt. Num semper Ecclesia precibus

suis

ſuis eos obtinet? Qui itaque prius vovet quam certus eſt de impetrando dono continentiæ, prius ſe certiſſimo periculo exponit, poſteaque orat ut inde eruatur.

2. Iudicium Eccleſiæ Catholicæ.

Apoſtolicæ Eccleſiæ ſtatus notus eſt ex Paulo. Nam Apoſtolus Miniſtrum Euangelij unius uxoris maritum poſſe eſſe, unaq; *ἀνέγκλητον*, id eſt, inculpatum, docet. Hoc Siricius Papa minime concedit. Arboreo teſte, *Conſuetudo illa ſecundum quam permiſſum erat, ut alligatus matrimonio ad ſacerdotium promoveretur, invaluit uſque ad tempora concilij Nicæni 1. in quo* (ut fertur) *generali ſtatuto decretum eſt, ne aliquis uxorem habens ſacerdos conſecretur.* Sed hoc poſterius falſum eſſe ex Leonis Papæ R. Epiſtola 95. evincam. *Dicente Apoſtolo ut inter alias electionis regulas is Epiſcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuiſſe aut eſſe conſtiterit, tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, ut etiam de muliere ſacerdotis eligendi, eadem intelligatur ſervanda conditio.* Hic Leo longe poſt concilium Nicænum vixit. Deinde Arborei ſententia mendacij inde comperta quod apud Græcos Preſbyteris ſemper licuit conjugatis eſſe, qui tamen autorita-

ritatem Concilij Nicæni agnoſcunt. Neque credibile eſt ab eadem ſynodo Canonem 5. Apoſtolicarum cōſtitutionum, ut vocant, abrogatam fuiſſe. Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας, i.e. *Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem ſuam prætextu religionis non abjicito.* Separari à conjuge quoad thorum prætextum pietatis habet, non eam omni auxilio deſtituere. Papa Nicolaus. *Nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem.* In quem Canonem Zonaras. Μέμνηται δὲ ὁ κανὼν καὶ ἐπισκόπων ἐχόντων γυναῖκας, ὅτι τότε ἀκώλυτον εἶχον καὶ οἱ ἐπίσκοποι τὴν πρὸς γυναῖκας νόμιμον συζυγίαν, id eſt, *Meminit Canon Epiſcoporum habentium uxores, quia tum etiam Epiſcopis erat libera cum mulieribus legitima copulatio.* Socrates de Concilio ipſo Nicæno indicat quid geſtum ſit. *Viſum erat Epiſcopis legem novam in Eccleſiam introducere, ut qui eſſent ſacris initiati ſicut Epiſcopi Presbyteri, & Diaconi, cum uxoribus, quas cum erant laici, in matrimonium duxiſſent, minime dormirent. Paphnutius inclamavit vehementer. Grave jugum caverent ſacris viris imponere: honorabile eſſe cubile, nuptiaſque impollutas, ne ſeveritatis exceſſu magis Eccleſiam læderent: non poſſe omnes ferre profeſſionem*

1 Tom. conc.

C. 30. q. 1.

l. 1. c. 12. edit. Græcæ.

 nem

nem adeo alienam à passionibus. Assentitur universus sacrorum cœtus Paphnutij orationi: Silentio quæstio obruta: permissum cujusque arbitrio abstinere congressu uxoris. Balsamo. *ante 6. synodum, quæ fuit in Trullo Palatij, licebat Episcopis uxores habere, etiam post dignitatem Episcopalem.* Notus est 4. Canon Synodi Gangrensis, εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω. id est, *si quis de Presbytero qui uxorem duxit contendat, non oportere eo sacra celebrante oblationi communicare, sit anathema.* γεγαμηκὼς non significat viduum. Canon Trullanus 13. ἐπειδὴ τῇ ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι διέγνωμεν, τοὺς μέλλοντας διακόνου ἢ πρεσβυτέρου χειροτονίας ἀξιοῦσθαι καθομολογεῖν, ὡς οὐκέτι τῶν αὐτῶν γαμεταῖς συνάπτονται· ἡμεῖς τῷ ἀρχαίῳ ἐξακολουθοῦντες κανόνι τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ τάξεως, τὰ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν κατὰ νόμους συνοικέσια καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν ἐρρῶσθαι βουλόμεθα. id est, *Quandoquidem rescivimus apud Ecclesiam Romanam pro lege haberi, eos qui allegendi sunt in ordinem Diaconi vel Presbyteri, polliceri non amplius copulatum iri suis uxoribus: nos instantes antiquo Canoni Apostolicæ*

Curæ

Curæ constitutionis, sacrorum virorum legitima contubernia, nunc & in posterum valere volumus. Zonaras ait latinos his Canonibus καιρίως πεπληγμένους, id est, *totaliter percussos.* Medina. *Adrianus pontifex eis temporibus proximus non veretur eos* (Trullenses) *& allegare & vocare.* l.2.c.24.

Æneas Silvius. *Fuerunt ex nostris Pontificibus aliqui in matrimonio.* Leo Papa. *Is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum esse constiterit: ut virginem uxorem accipiat, & alterius thorum nesciat conjugis, quæ futura est uxor Pontificis.* De gestis conc. Basil. ep.87.

S. Athanasius. *Multi ex Episcopis matrimonia non inierunt, monachi contra parentes liberorum facti sunt. Sic enim licet, & ad eum modum non prohibetur.*

Cyrianus. *Quod si ex fide se virgines Christo dicaverint, caste sine fabula perseverent, itaque fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseverare* NOLVNT, *vel non* POSSVNT, *melius est nubant, quam in ignem deliciis suis cadant.* Hinc voti necessitatem inviolabilem vetus Ecclesia ignoravit.

Concilium Ancyranum. Διάκονοι, ὅσοι καθίστανται παρ' αὐτὴν τὴν κατάστασιν, εἰ ἐμαρτύραντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι, μὴ δυνάμενοι οὕτως μένειν. οὗτοι μετὰ ταῦτα Dist.28. can. si quis.

 γαμή-

γαμήσαντες, ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. id est, *Diaconi quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt & dixerunt, oportere se uxores ducere, cum non possint sic manere: hi si postmodum uxores duxerint, sint in ministerio, eo quod eis Episcopus hoc concesserit.* Medina ait hunc Canonem sine ullo periculo contemni. En ut Papistæ antiquitatem venerantur. Sed quid de connubiis post votum contractis antiquitas sensit? Polydorus Virgilius narrat Augustinum multis rationibus probasse connubia post votum non debere dirimi. veluti in iure insertum. Idem Augustinus. *Hæ igitur quæ nubere volunt, & tamen non nubunt, quia impune non possunt. Quæ melius nuberent, quam urerentur*, id est, *quam occulta flamma concupiscentiæ vastarentur.*

c.27. q.1.c. nuptiarum. de virg. c.34.

Hieronymus. *Quasi non hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia, & Apostulus Episcopum describat unius uxoris virum habentem filios.* Idem omnis mundus his ordinationibus plenus est. Non dico de Presbyteris, ad Episcopos venio, quos si sigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Arminiensis synodi multitudo superetur.

Contra Iovinianum l. 1. ep.83.

Socrates. *In oriente cunctis spontanea voluntate*

l.5. c.22.

luntate & non aliqua necessitate Episcopi abstinent. Plurimi etenim eorum etiam Episcopatus tempore ex legitima uxore filios habuerunt.

Græci per Nicetam Pectoratum exclamant: *Quis est ille qui tradidit vobis* (Romanis) *prohibere & abscindere nuptias sacerdotum? Quis ex Doctoribus Ecclesiæ hanc vobis tradidit pravitatem?*

Costerus ipse hoc fatetur. *Antiquissimis Ecclesiæ temporibus, viventibus adhuc Apostolis, & post Apostolos aliquot adhuc annos admissi fuerunt ad sacros ordines viri conjugati, non quidem promiscue sed electi, qui unicam tantum duxissent uxorem eamque virginem.* Enchirid. de cœlibatu.

3. Praxis Papatus.

Paulus prædixit ultimis temporibus venturos, qui doctrinam dæmoniorum prædicaturi essent, & prohibituri matrimonium. Respondent 1. Romanam Ecclesiam non prohibere matrimonium. ita Clingius. *Papistæ non prohibent matrimonium sacerdotibus: sed sacerdotes ipsi suo voto in ordinatione id sibi prohibent.* Fronto: *Ecclesia non tam prohibet matrimonium, quam jubet servare fidem voti Deo nuncupati.* Sed contra in jure ipso Canonico. *Nulli unquam* (exceptis illis, quibus Ecclesiastica regula habere permittit) *uxorem ducendi licentiam damus.* E. prohibet. Dist. 32. Can. de illo clerico.

 hibet.

p.6.l.98. hibet. Innocentius in decreto Ivonis. *Ne subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur.* Gratianus. *Copula sacerdotalis vel consanguineorum, nec legali, nec euangelica vel apostolica autoritate prohibetur: Ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* Canon postremus Augustanæ Synodi quam Canisius tom. 5. antiquarum lectionum edidit: *Ceteri clerici licet nolentes ad continentiam cogantur.* At voto sibi ipsis conjugium prohibent. R. R. E. tale votum ab ipsis flagitat, jubet inquam sacerdotes vovere, plurimisque per vim conjuges abstulit, ut ex historiis postea videbimus. Nam omnes edictis suis sacerdotes continentiæ perpetuæ EXACTIONE ad cœlibatum adstringit. Nonne eis ita nuptias prohibet? At non tanquam absolute malas, ut Manichæi, sed tanquam ordini sacro incommodas. Apostolus per ὑστέρους χρόνους, id est, ultima tempora totam ætatem N. T. complectitur. Ergo non priores tantum hæreticos sed & posteriores tangit. Varii enim hæretici possunt idem placitum interpolare. Sed Papistæ & Manichæi quam absimiles? Costerus. *Conjugati sacerdotes sceleratiores sunt scortantibus.* Campegius legatus à latere statuit: *sacerdotes gravius peccare si mariti fiant, quam si plurimas domi meretrices alant.* At conjugium sacerdotum

Caus.26.q.2. Canone fors non est.

De cœlib.sac. Sleid.l.4.

dotum jure, ut Bellarminus fatetur, Ecclesiastico; scortatio vero divina lege prohibetur. Hinc certum est scortantem divinam legem; contrahentem matrimonium Ecclesiasticam tantum transgredi constitutionem. At vovit se non ducturum uxorem! Vovit etiam se non scortaturum, idque in baptismo cum Diabolo & ejus operibus abrenuntiavit. Conjugium ante prohibitionem licitum fuit, sed scortatio quando licita fuit? Sed ad rem. Nonne R. E. matrimonium ut malum prohibet? Siricius Papa aperte conjugatos docet *in carne* esse, nec *Deo posse placere*. alibi. *Negatur sacerdotibus conjugium quia oportet eos castitatem sive pudicitiam servare*. Ibidem negatur, *fidelem orare posse, nisi careat officio conjugali*. alibi, *Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere*. At non interdicit omnino omnibus. R. Non is tantum prohibet qui omnino, sed qui aliquo modo rem prohibet. Apostolus, Col. 2. inducit aliquos, qui à cibis abstinere jubebant. Num omnibus omnes? Augustinus testatur Manichæos non simpliciter omnibus, sed perfectis conjugium interdixisse, quos tamen ab Apostolo perstrictos fatentur. Hæc superstitio ortum traxit inde, quod nonnulli haut contenti Christiana disciplina, quæ ab initio fuit; sed novæ perfectionis fiducia inflati, quo magis ab

Dist. 56. Canone Cenomanensem.

Dist. 31. Can. ante triennium.

Dist. 32. can. hospitiolum.

Apostolicis temporibus abessent, eo majorem disciplinæ perfectionem in Ecclesiam studuerint invehere. Hoc ex Eusebio discamus licet. *Dionysius Corinthiorum Episcopus vir magni nominis Pynitum admonet, ne grave onus castitatis fratribus ex necessitate imponat, sed multorum imbecillitati attendat. Ille contra rescribit: obsecrans solidiorem tandem cibum impertiat, populumque suum perfectioribus literis pascat: ne semper exerciti sermonibus meum iac redolentibus in* PVERILI *disciplina imprudentes consenescant.* Hanc disciplinam Pontifices Romani vi Ecclesiæ obtruserunt. Polydorus Virgilius testatur Iohannem 13. cœlibatum sacerdotum in Anglia stabilivisse. Hunc Pontificem Bellarminus fere deterrimum fuisse asserit; Platina eum sceleratissimum vocat. Leo 9. Moguntiæ synodum coegit, idem cœlibatus jugum clero Germaniæ imposuit: sacerdotes conjugatos Nicolaitas appellavit. Nicolaus 2. Mediolani idem fecit.

l. 4. c. 23. | l. 6. Hist. Angl. an. 965 | l. 2. de pont. Rom. c. 29. | Cranzius Sax. l. 4. c. 43. anno 1049. | anno 1073. | Baron. tom. 1

Gregorius VII. summo furore & violentia conjugia sacerdotum abrogavit. Aventinus: *Sacerdotes illa tempestate publice uxores sicut ceteri Christiani habebant, filios procreabant.*

Aventius l. 5.

Vincentius. *Gregorius Papa celebrata synodo uxoratos sacerdotes à divino officio removit, & laicis missam eorum audire interdixit, novo exem-*

l. 26. 4. 5.

exemplo, & ut multis visum est, inconsiderato præjudicio.

Scafnaburgensis. *Hoc decreto per totam Italiam promulgato crebras literas ad Episcopos Galliarum transmittebat, præcipiens ut ipsi quoque in suis Ecclesiis idem facerent, atque contubernio Sacerdotum omnes omnino feminas perpetuo anathemate resecarent. Adversus hoc decretum vehementer infremuit tota factio Clericorum. Hominem plane hæreticum, & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, non omnes capiunt verbum hoc, item Apostoli, qui se non continet nubat, melius est nubere quam uri,* VIOLENTA EXACTIONE *homines vivere cogeret ritu angelorum, & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei frena laxaret.* Anno 1074.

4. Fructus coactæ continentiæ.

Nicolaus Clemangis: *Jam illud obsecro, quale est, quod plerisque in diœcesibus Rectores Parochiarum, ex certo & conducto cum suis Prælatis pretio passim & publice concubinas tenent?* Polydorus Virgilius: *Forsitan tam è Republica Christiana, quàm ex ordinis usu esset, ut tandem aliquando jus publici matrimonii Sacerdotibus restitueretur; quod illi sine infamia potius sancte colerent, quam se spurcissime ejusmodi naturæ vitio turpificarent.* Hofmeisterus. *Recte haut dubie Pium dixisse credimus: Fuisse*

De corrupto Eccles. statu. c. 15.

De inventoribus l. 5. c. 4.

causas, cur sacerdotibus adimeretur conjugium. sed multo majores esse causas, cur reddi debeat. Espensæus. *Turpissimum, quod sacerdotes cum concubinis, pellicibus & meretriculis cohabitare liberosque procreare Prælati sinunt, accepto ab eis, atque adeo alicubi à* CONTINENTIBUS *certo quotannis censu.* HABEAT, *ajunt*, SI VELIT. Albertus Orator Ducis Bavariæ in ipso Concilio Tridentino. *Clerus noster Ecclesiæ calamitatibus nullo modo neque afficitur, neque affligitur; sed multo magis insolescit, gulæ libidinibus indulget. Proxima visitatione per Bavariam facta tam frequens concubinatus repertus fuit, ut vix inter centum tres vel quatuor inventi sint, qui aut manifesti concubinarii non fuerint, aut clandestine matrimonia non contraxerint, aut plures palam non duxerint.* Sed à moribus ad jus veniamus. Glossator ad Canonem Qui admisit. *Minus punitur aliquis propter fornicationem, quia pauci sine illo vitio inveniuntur.* In Medulla decreti, *Fornicationis causa hodie* NEMO *est deponendus. Nam quamvis multa sint, quæ in hujusmod casibus observari Canonica jubeat sublimitatis autoritas: tamen defectus nostri temporis, quibus non solum merita sed corpora hominum defecerunt, distinctionis illius non patitur manere censuram.* Insignem Canonem habemus. *Qui non habet uxorem, loco illius* DEBET *habere concubi-*

Con. in 1. ad Titum.

Caus. 15. q. 6.

Dist. 32 ad Can. Presbyter.

Dist. 34. Canone omnibus servis.

cubinam. Vidi meis oculis in Bibliotheca quadam exemplar Juris Canonici, quod paratus sum cuivis ostendere. Item: *Qui non habet uxorem, sed pro uxore concubinam, à communione non repellatur, tamen ut unius mulieris aut uxoris, aut concubinæ sit conjunctione contentus.* Hæc Concubina Presbytero aut obstricta est privatis sponsalibus, ita ut nequeat dimitti, quoad vivit; aut non. Si prius; Sacrilegiũ Presbyter committit, quia obstrictus est Ecclesiæ voto continentiæ, & specie mali auditores offendit. Si posterius; Lege jubente scortatur. Hinc meritò Emanuel Sa. *Episcopus potest procedere contra quemcumque ob peccatum mortale, nisi sit* IURE PERMISSUM, *ut meretricium.* In aphorismis, voce Episcopus.

Longius in hac materia provecti sumus, quia omnino hæc doctrina dæmoniorum accuratius cognoscenda fuit, ut tanto cautius nobis ab ea caveamus.

De voto paupertatis Vigilantius docebat, *Nõ expedire relinquere omnia.* Reformata Ecclesia idem docet quod Thomas de Aquino. *Abrenuntiatio propriarum facultatum dupliciter consideratur. Uno modo ut est in actu, sic in ea non consistit essentialiter perfectio. Et jam nihil prohibet statum perfectionis esse sine abrenuntiatione propriorum: alio modo secundum præparationem animi, ut nimirum homo sit paratus, si opus fuerit omnia dimittere vel distri-* 2. 2. q. 184. a. 7.

distribuere: & hoc pertinet directe ad perfectionem, ut ex Augustino patet.

Hæresis 13. de Pelagianismo. Pelagiani statuebant in filiis fidelium non esse peccatum originis. Hunc errorem Calvinus tenet. Risum teneatis amici. Secundo docebant, omne peccatum esse mortale. Vasques: *Ex Doctoribus Catholicis nonnulli graves etiam & pii, Gerson, Almazius Roffensis dicunt omnia peccata ex se mortalia esse.* Idem Michaël Bias. *Ceterum peccata esse paria, fatetur Bellarminus nos non docere.*

In Thom. tom. 1. disp. 142. n. 7.

L. 3. de just. c. 16.

Hæresis 14. Nestoriani docuerunt in Christo duas personas. R. Reformata credit in Christo unam personam.

Hæresis 15. Nestoriani negarunt Christi corpus manere in Eucharistia, si servetur in alterum diem. Erasmus: *Tempore veteris Ecclesiæ populus non cursitabat ad videndum id, quod Sacerdos ostendit, sed prostratis humi corporibus, animis in cœlum erectis, gratias agebant Christo redemptori.* Bellarminus: *Verum est, Dominum non jussisse Eucharistiam à se consecratam deferri in crastinum.*

Tr. de amabili Ecclesiæ concord.

L. 4. de Euch. c. 5. §. secundo loco.

Hæresis 16. Est Eutychianorum. At reformata Ecclesia ab ea abhorret.

Hæresis 17. de imaginibus Christi, & Sanctorum, quas Xenajas negavit venerandas. Bellarminus: *Opinio illa Calvini, non licere pingere imaginem Dei in forma hominis,*

L. de Eccl. triumph. c. 8.

est

est etiam aliquot Catholicorum. Nisi Idiotæ à concionatoribus insinuantur, membra quæ in hac pictura cernuntur, esse metaphorice accipienda, fateor non sine periculo exhiberi. Vasques: *Stultum & superstitiosum est, imagines proprie venerandas, ita ut terminetur adoratio in imagine,* ut Bellarminus sentit. Contra Bellarminus: *Non caret periculo, cum dicitur imaginem eodem honore colendā esse cum exemplari; quique id dicunt, vix sese intelligunt, nedum populus imperitus.* At hæc est constans Theologorum sententia, ut Azorius ait.

L 2. de adorat. disp. 8. c.3.

Lib. 2. de Eccles. triumph. c.22.

Inst. l.9.c.6.

Hæresis 18. de votis. Lampetiani vota omnia oppugnabant. Bellarminus: *Protestantes volunt vota de rebus quibusdam posse fieri, si ad bonos fines fiant. Baptisma esse votum proprie ac vere dictum, veteres Theologi cum Magistro videntur sentire.*

L.2. de Monach. c.15.

Hæresis 19. de Eucharist. Bellarm. *Calvinus docet Symbola & corpus Christi licet loco inter se plurimum distent, tamen conjuncta esse non solum ratione signi quia unum est signum alterius; sed etiam quia cum signo vere Deus nobis exhibet ipsum verum Christi corpus & sanguinem, quo animæ nostræ vere alantur.* Calvinus. *Vere in cœna datur nobis corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem. Hoc est: substantia corporis Christi pascuntur animæ nostræ, ut vere unum efficiamur cum eo. Non ergo vacuum aut inane signum nobis*

Azorius l.11. c.14.

L.4. instit. c.17.

nobis proponitur; sed vere carnis Domini fiunt participes, qui fide hanc promissionem recipiunt. In sacra sua cœna Jubet me Dominus sub symbolis panis & vini corpus & sanguinem sumere. Nihil dubito, quin & ipse vere porrigat, & ego recipiam, sed solo ore fidei.

At R. E. credit panem transmutari in corpus Christi essentialiter. At olim Papa Gelasius negavit hoc. *In Eucharistia non desinit substantia seu natura panis & vini.* Ipse haut dubie novit fidem Ecclesiæ suæ. Hæc autem quomodo ab antiqua fide deficit? Futile est Gelasium hoc non ut Papam, sed ut privatum Doctorem dixisse. Mereantur itaque fidem Historici, qui nos edocent quid Ecclesia de eo capite crediderit. Fides autem mutationi obnoxia non est.

CAPUT II.

Apostolicæ & Ecclesiasticæ traditiones, reliquæque R. E. observationes & constitutiones.

De exordio & incremento rerum Eccl. c.24.

WAlafridus Strabo. *Primis temporibus communi indumento vestiti missas agebant, sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur. Stephanus & Silvester, aliique Pontifices, Præsulesque (Vestes, Ceremonias) invexerunt, & alii hanc, alii illam exco-*

excogitarunt, vel ad imitationem earum quibus Judaici Sacerdotes utebantur, vel ad mystica significationis expressionem. Ante 800 annos Episcopi 8, vestes quot Aaron, habebant; duplo jam plures & amplius quàm erant prius. Hinc apparet quàm falso à Trid. Synodo illa vestimenta, lumina, thymiamata, crucis signacula, aliæque Missæ Ceremoniæ traditioni Apostolicæ adscribantur. Sed non est hoc insolens Papistis, ut omnia quæ invenerunt ipsi, Apostolis adscribant. Fatentur interdum (neque enim sibi constant) Apostolica tempora pro simplicitate sua tot Ceremonias & inventa ignorasse, adeoque Ecclesiam in melius quotidie proficere, & prima ista rudimenta religionis perfectioribus contemplationum mysteriis exornare. Ita enim apertè. *Antequam Euangelium clarésceret, multa permittebantur, quæ tempore perfectioris disciplinæ penitus sunt eliminata. Copula namque Sacerdotis, nec legali, nec Euangelica vel Apostolica autoritate prohibetur:* ECCLESIASTICA *tamen* LEGE PENITUS *interdicitur.* Nec quicquam obstat, quod istæ contrariæ sint divinis literis. E. G. separatio à conjuge, vetita est, excepto solo stupro. Jam vero, Julius, Innocentius, Cœlestinus, congregati cum Episcopis Romæ in Templo S. Petri contrarium decreverunt, & in morem Ecclesiæ tradiderunt. *Conjuges suscipientes*

Caus. 26. q. 2. c. sors non est.

Luc. 16. 18. 1. Cor. 7. 10.

c. pervenit. c. 30. q. 1.

tes infantem è baptismo separandos esse. Scortatio apertè contraria divinis legibus, hanc tamen secundis nuptiis R. E. turpitudinem affricat. *Hac ratione etiam Apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere secundum præceptum Apostoli licitum est, secundum autem veritatis rationem* VERE *fornicatio est. Sed cum permittente Deo publice & licenter committitur, fit honesta fornicatio.* Conformitates Francisci approbatæ sunt Papæ Bullis, & generali consensu in Capitulo Assisiensi confirmatæ, scriptæ à Bartolo de Pisis eo directæ sunt, ut probent Franciscum perfectiorem vitam ipso Christo duxisse; angelosque puritate vincere. *Omnia decretalia cunctorum prædecessorum nostrorum constituta, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum sunt promulgata disciplinis, ita ab omnibus Sacerdotibus & Episcopis generaliter custodiri debere mandamus, ut si quid in illa commiserint, veniam sibi honoris deinceps noverint denegari.* Rursus: *Omnia decretalia constituta dicendo, nullum prætermisit, quod non mandaverit esse custodiendum.* Rursus; *Asserendo omnium prædecessorum nostrorum; nullum Pontificum Romanorum qui ante se fuerunt, excepit, cujus ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit,* VENIAM DEINCEPS NOVERIT DENE-

Caus. 31. q. 1. c. hac ratione.

An. 1389.

Caus. 25. q. 1. c. omnia.

Dist. 19. c. si Romanorum

DENEGARI. Horum ſumma itaque autoritas erit.

Interim S. R. Eccleſia decretorum ſuorum domina eſt, nam eis non alligatur. *Ita Canonibus autoritatem præſtat, ut ſeipſam non ſubjiciat eis.* Ita Chriſtus legem quidem ſervavit, ſed ut ſe dominum legis oſtenderet leproſum TANGENDO mundavit. Hinc illud ſolemne: *Salvo in omnibus jure ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Hinc illud: *Non obſtantibus prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus quibuſcumque, tamen quoad alia nullum præjudicium volumus generare.* Videmus duas eſſe Eccleſias in mundo, Babylonem & Jeroſolymam. illa Eccleſiæ nomine armata, contra Eccleſiam arma capit exlex, & impura Septicollis Roma: pugnat pro Chriſto contra Chriſtum, ut Nazianzenus loquitur, habet artificium, ut Tertullianus de Valentinianis ait, quo *prius perſuadeat quàm doceat. Inventa humana ad verbum Dei addit,* id eſt, *vappam & fæcem ad vinum optimum:* hoc unum ſtudet ut hominibus plus fidei quàm Deo loquenti habeamus, hominumque legibus magis quàm Dei præceptis conſtringamur.

Cauſ. 25. q. 1. c. ideo.

Extrav. 1. t. 1. c. illa clauſula.

Leo in Ep. ad Palæſtinos.

At Eſaias: *Jehova judex noſter, legiſlator noſter; unus eſt legiſlator qui poteſt ſervare & perdere.* Nec ſufficit eos diſtinguere, quaſi textus de primario legiſlatore intelligendus ſit, qui propria autoritate judicet. Oſtendant

C. 33. 21. Iac. 4. 12.

ſecundarium ſuum Legiſlatorem. Aliàs liceret eodem jure credere in unum Deum primarium; & ſecundarios Deos: An non leges Papæ Romani ſtrictius urgentur quam ipſius Dei? Nonne Clerici R. Curiæ grundilis inſtar pecoris, cui anima pro ſale data eſt, ſaginati in ſcortorum amplexibus impune hærent; contra de conjugio ſibi interdicto lege humana, ne cogitare quidem audent. Italiæ & Hiſpaniæ mores penſiculatius conſideremus, videbimus hominum traditiones antiſtare legibus divinis, in iiſque urgendis clerum remiſſum ac deſidem: illarum auctem rigidum, acerbumque ἐργοδιώκτην. Sed quid refert, primarius an ſecundarius legiſlator Papa ſit, ſi decreta ejus æquè neceſſaria obſervatu, & æquè digna veneratione ſint. Hoc autem Concilii Tridentini ſtatuto cautum eſt, ut traditiones ἄγραφοι R. E. pari pietatis affectu, cum ipſo divino libro Scripturæ Sacræ ſuſcipiantur. At certum eſt, Deum damnare omnem cultum, qui hominum ingenio & inventioni debeatur; nullumque approbare, niſi quem ipſe ſolus tradiderit. Nulla itaque hominum decreta, conſcientiam ulla religione obſtringent. Præpoſitis quidem obediendum eſt, at hæc obedientia libertatem conſcientiæ non tollit. Mos illis gerendus, cum ſunt quales eſſe debent. Auguſtinus queritur Eccleſiam ſuo, tem-

tempore ceremoniis ita obrutam, ut Judæorum conditio tolerabilior fuerit. Solent respondere Augustinum loqui de privatorum quorundam præsulum ritibus, non de statutis Pontificum. Fatentur itaque Sacerdotes posse in Ecclesiam plurima invehere, quorum observatio minimè necessaria sit. Non itaque præpositis absolutam Christiani obedientiam debent. Audiendi sunt, cum ipsi Christum audiunt, & docent ἃ αὐτὸς ἐνετείλατο, i. e. *quæ ipse mandavit*. Augustinus: *Sua illi si velint docere, nolite audire, nolite facere*. Cyprianus: *Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis aut actibus continetur, divina hæc & sancta traditio observetur*. An non Papa Ecclesiam commentis suis obruit, & laqueis traditionum suarum conscientias hominum ita constringit, ut vetus jugum Judæis impositum levius fuerit, quàm novum hoc Christianorum. Pauca erant Festa stata Judæorum: Christianorum amplius sexaginta. Primo & ultimo tantum die Paschatis, Pentecostes, & Festi Tabernaculorum Judæis, ab opere abstinendum erat, ceteris diebus licebat eis sua agere. At Papa hoc non permittit.

Matt. 28. 19.
in Ioh. tr. 46.

Jejunia stata Judæorum: at Papistarum plurima, quadragesimæ, feriæ 6 & 7, 4 temporum, Vigiliæ Sanctorum. Neque in iis adeo temperantia, quàm delectus ciborum

requiritur. Pisculentis enim suffartus & vino distentus, præcepto Ecclesiæ satisfacit. Laqueos confessionis auricularis inexplicabiles quid attinet commemorare? Num unquam Judæi ita irretiti fuerunt? *Stemus itaque in libertate, qua Christus nos liberavit, neque jugo servitutis implicemur.* Apostolus non ausus est laqueum Corinthiis injicere : at Papa audet Christianis universis. Necessitatem cœlibatus nolebat iis injicere, licet rei tum ob persecutionem exspectandam utilis, cujus observationem Papa ita urget, ut scortationem potius clero suo permittat, quàm ei conjugii copiam faciat.

Gal. 5. 1.

1. Cor. 7. 35.

Quod Apostolus liberum reliquit : id Papa tanquam necessarium unicè urget. At Paulus in rebus ἀδιαφόροις, & mediis, si non potuit conscientias hominum obligare ; tum certè nullus mortalium id jure potest. Habuit enim Paulus summam potestatem in Ecclesia tanquam Apostolus. Ex hisce omnibus apparet, Papam leges conscientiis præscribendo, iisdem velle dominari, à quo dominatu S. Paulus alienissimus fuit. οὐ κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως. *Non dominamur fidei vestræ.* Papa dominatur, quia conscientias novis decretis & necessariis observatu ad salutem onerat: quit cogit credere aliquid esse necessarium, quod Deus liberum reliquerat. Legislator Moses Judæis suffe-

2. Cor. 1. v. ult.

ſuffecit: Eccleſiæ Chriſtus ſufficit. Valeat itaque Papa cum ſuis decretis. Niſi Chriſtum ſtatueret imperfectum Legiſlatorem; novas ipſe leges Eccleſiæ non obtruderet. Certum habemus ea ſaluti noſtræ ſufficere, quæ Chriſtus docuit & mandavit: At Hoſium Cardinalem non puduit hujus dicti: *Eccleſiam melius habituram fuiſſe, ſi nullum deſcriptum Evangelium exſtaret.* Neque Sanctem hujus: *Paulum conſultius facturũ fuiſſe, ſi à tam multis quæ ſcribendo involvit, abſtinuiſſet.* Pleraque autem ſtatuta Papatus ita comparata ſunt, ut argento relaxari poſſint, ut patet ex taxa Cancellariæ Apoſtolicæ, de qua ſupra. Unde Claudius Eſpenſæus Theologus Pariſienſis illud Petri dictum: ἔσονται ἐν ὑμῖν ψευδοδιδάσκαλοι οἳ ἐν πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται, *erunt inter vos falſi Doctores, qui fictis ſermonibus vos negociabuntur,* (Non aliter quàm Plinius dicit: Imperitos Medicos animas hominum negociari) ad Prælatos R. E. accommodat. Initium autem legum collectarum à Gregorio VII. cœpit, quarum prima collectio in Bullario. Deinde Gregorius IX. decretalibus autoritatem addidit, & vim legis. Nam disjectæ in ſchedis & ſitu jacebant. Hos ſecuti ſunt alii.

In confeſſ. Petricov.

l. de atheiſmo.

Com. in Ep. ad Titum c. 1. 2. Petr. 2. 3.

Hæ ſanctæ leges unice nituntur autoritate

tate R. E. quæ tanta est, ut patres, concilia, Canones sibi usui esse intelligat, ipsis scripturis Canonicis eos exæquet, adeoque in cœlum tollat adeo, ut spem veniæ violatori deneget; si minus arrideant, aut liberrime rejiciat, aut glossam textui contradicentem excogitato aliquo commento elevet. Hac tam sublimi autoritate scripturæ Canonicam fidem conciliat: Hac decalogi præceptum 2. expunxit & tertium immutavit.

Doctrine chrestienne Iaques Ledesina Iesuite imprimee avec permission de superieurs l'an. 1609. & 1624

1. *Tu n'auras d'autres Dieux que moy.*
2. *Tu ne prendras point le nom de Dieu en vain.*
3. *Souvien toy de sanctifier les festes.*

Egregie. Hac autoritate freta calicem populo Christiano ademit in Concilio Constantiensi, non obstante Christi institutione & veteris Ecclesiæ exemplo. Hac autoritate non è suggestu sed è plaustro convicia in sacrosanctam scripturam jacit, appellando eam *Characterem mortuum, literam mortuam, occidentem, mutam & inanem, quæ nec sentit nec intelligit: merum putamen sine nucleo: regulam Lesbiam, calceum utrique pedi aptum: folia Sibyllæ; Sphyngis ænigmata, materiam litis: lucum prædonum, officinam hæreticorum: imperfectam, dubiam, obscuram, ambignam, perplexam: nasum cereum, ut non minus vere quam festive judicio Pigij quidam dixit.* Quis mortalium de bulla aliqua Papæ Roma-

Lindanus l. 2 Strom. c. 2. pan. l. 1. c. 22. l. 5. c. 4. l. 1. c. 6

Turrianus contra Sadeelem p. 99. Charon. de 3. verit. p. 220 Lessius Consf tat. 13.

Romani vel decreto quodam Canonici juris hæc in Hiſpania auderet dicere: O antichriſtiana Eccleſia quouſque te efferes ſupra ipſum Deum? Hac autoritate clericos ſuos è poteſtate principum exemit quos eidem Apoſtolus Paulus ſubjecerat: *Nullus clericus vel Diaconus vel Presbyter propter quālibet cauſam intret in curiam; nec coram civili judice ſuam præſumat dicere cauſam.* Neq; id ſine ratione evidenti. *Dominus enim mentionem faciens de Loth per Moiſen loquitur. Ingreſſus es quidem ut advena, numquid ut judices?* Item: *Dominus proprio flagello peccantes ſacerdotes è templo ejecit. Unde liquet ſummos ſacerdotes, id eſt, Epiſcopos à Deo judicandos: qui eos tangit, tangit pupillam oculi Dei.* Idem hoc eſt: Baculus ſtat in angulo; E. mox pluet. Hac autoritate ſubnixa R. E. officia divina idiomate ignoto peragit, Pauli diſputatione ſuper ea re neglecta ſpretaque. Hac Luciferiana poteſtate Deum ſibi triplici facie depingit, & veſtitu Papam referentem, eumque latria colit. Hac autoritate Antichriſtiana patrum univerſorum dicta mutat, pervertit, delet, prout è re ſanctæ matris videbitur, quæ ipſos filiorum non patrum loco ducit, adeoque ut in ipſos, ſic in eorum ſcripta jus habet. *Romanorum pontificum decreto ceterorum opuſcula tractatorum approbantur vel reprobantur, ut*

Hierarch. l. 3. c. 3.

Cauſ. 11. q. 1. c. nullus.

Cauſ. 3. q 6. c. leges.

c. ſi Romanorum. diſt. 19.

quod vere sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur, &c.

Hac immensa autoritate concilia respuit & recipit pro libitu: totiusq; orbis consensu stabilita decreta rescindit: *Ajunt in conciliis statutum hoc non inveniri (quod pallium ab Apocrisariis tali conditione Roma mittatur, si juramentum Episcopi pro fide & obedientia exhibeant) quasi Romana Ecclesiæ legem concilia ulla præfixerint, cum omnia concilia per Romanæ Ecclesiæ autoritatem, & facta sint & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur autoritas. Sicut Dei filius venit facere voluntatem patris sui: sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est Ecclesia, cujus caput Romana consistit Ecclesia.* Vt ita Episcoporum munus in conciliis unico verbo PLACET absolvatur. Ita apparet nihil vel è scriptura vel ex patribus vel conciliis, imo decretis proferri, cujus Romana Ecclesia observatione se teneri judicet, ut ita Ecclesia illa, & legibus onusta infinitis, simulq; & nihilominus plane exlex sit. Hinc in decretis: *Hoc non credo. In illo tempore. Hoc antiquum est.* Tantum enim juris hæc recens Ecclesia Romana ac antiqua sibi vindicat. *Si tollamus autoritatem præsentis Ecclesiæ & præsentis Concilij, in dubium revocari poterunt omnium aliorum conci-*

l.1. Decret. de elect. c. significasti.

Dist. 12. c. non decet.

conciliorum decreta & TOTA FIDES CHRISTIANA. Sic religio ab Italorum potissimum Prælatorum 187. Hispanorum 31. Gallorum 26. Germanorum 2. Lusitanorum 3. Græcorum 3. Polonorum 2. Vngarorum 2. & demum Pij 4, qui se Ecclesiam universalem nominat, autoritate suspensa facillime vacillabit. Nam teste Iacobo Stella, *Theologi non fuerunt; munus exercuerunt ligni elinguis aut muti lapidis: coacti sunt theologos adducere à quibus docerentur quid respondendum esset:* quorum plerique politici Canonistæ venatores & aleatores potius fuerunt, quam Episcopi. de quibus Iohannes Major: *Dum prodierunt in medium Canonistæ & acquisiverunt posthabitis Theologis Episcopas, experientia docet quo pacto Ecclesia regatur.* Itaque id accidit mihi merito quod Stellæ *ut nequeam mihi à risu temperare,* quod volunt Episcopi DOCERI, REGI. In quo Concilio teste Thuano: *de privatis tantum affectibus laborabat Pontifex, ad cetera securus.* Quod item Pontifice invito & coacto coiit, teste eodem: in quo, teste Espensæo, idem contigit quod Ludovicus Arelatensis olim questus est in concilio Basileensi, nempe ut id fiat in conciliis quod Italis placeat, qui numero suffragiorum soli omnes vincerent. Itaque nisi Italis placeat, religio nulla amplius colenda

Bell. de effectu sacr. l. 2. c. 25.

In com. in Luc. 6. 39.

In 4. dist. 24. q. 3. resp. ad 6

l. 8.

l. 26. in ep. ad Titum cap. 1.

 erit.

Censores Duacenses in indice expurg. c. de lib. Bertrami.

erit. Horum similes Episcopi *in Catholicis veteribus errores excogitato commento persæpe negant, & commodum eis sensum affingunt. Hi religionem servilibus oneribus premunt, ut Iudæorum tolerabilior jam olim nedum nunc conditio fuerit, judicio Augustini* Ep. 19. c. 19. Augustinus generatim loquitur: *Hæc nimis doleo, quia multa quæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus plena sunt omnia.* Pontifices Romani decreta sua *innumerabilibus voluminibus comprehensa esse dicunt.*

C. si Rom. dist. 19. Chry. in Mat. c. 15. hom. 51

Christus loquitur de Pharisæis quod NOSTRIS *facile potest applicari. Cum enim timerent, ne principatum amitterent, ceu legum latores ut majores viderentur, plurima innovarunt. Quæ res ad tantam pervenit nequitiam, ut præcepta ipsorum magis quam Dei mandata custodirentur.* Idem studuerunt boni isti Patres Tridentini.

Mantuanus.

Qui filo insertis numerabant murmura baccis.

Index librorum prohibitorum sub Sixto v. & Clemente VIII. col. an. 1602. p. 22.

Negant per regulam quartam indicis Tridentini ullam de novo tribui facultatem Episcopis vel inquisitoribus aut regularium superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi aut retinendi biblia vulgari lingua edita, cum hactenus MANDATO & VSV S. R & universalis inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi

modi LICENTIAS legendi vel retinendi biblia vulgaria, quod quidem INVIOLATE ſervandum eſt. At olim aliter S. Auguſtinus: *Nemo inde haurire non poteſt quod ſibi ſatis eſt, ſi modo ad hauriendum devote ac pie ut vera religio poſcit, accedat.* Hinc factum eſt, ut luce ſcripturæ è conſpectu ſubtracta hominum, Ilias quædam vaniſſimarum ceremoniarum à variis Epiſcopis Romanis in Eccleſiam infuſa ſit. *Commutavit Eccleſia multos gentilium ritus, non eos penitus auferendo.* Ipſe Baronius: *Conſulto poſtea introductum videtur, ut quæ erant gentilitiæ ſuperſtitionis officia, eadem veri Dei cultu ſanctificata, in veræ religionis cultum impenderentur.* Bene ait: POSTEA. Ab initio enim Chriſtiana religio paucis ceremoniis contenta erat, judaicis ritibus & ineptiis inſuper habitis. At jam talium nugarum nullus finis nec modus. Alexandrum I. tradunt aquam luſtralem inſtituiſſe, idque Iudaico exemplo: *Aquam ſale conſperſam in populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur & purificentur, quod omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vituli aſperſus populum ſanctificabat atque mundabat, multo magis aqua* SALE *aſperſa, diviniſque precibus ſacrata populum ſanctificat atq; mundat. Et ſi ſale aſperſo per Heliſeum Prophetam, ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis divi-*

De util. cred. ad Honor c.6

Gerſon p.3. de direct. cordis an. 200. ſ.5.

De conſ. diſt. 3. c. aquam cum ſale.

divinis precibus sacratus SAL *sterilitatem aufert rerum humanarum*, coinquinatos sanctificat, nisi diaboli avertunt. (Eph. 6. 5. Paulus oblitus est hoc armorum genus.) Calixtum tradunt jejunium 4. temporum instituisse. Urbanum I. aureos calices loco vitreorum & ligneorum. Stephanum I. vestes Missaticas. Felicem I. templa in honorem Martyrum, item, annua sacrificia in honorem ipsorum. Gelasium ordinasse ne quisquam ad sacerdotium adspiret, nisi per distinctos gradus, Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acoluthi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Alio loco Urbano I. hoc inventum adscribit. Silvestrum I. tradunt mitram candidam gestasse, instituisseque illud peregrino idiomate decantatum, κύριε ἐλέησον. Mulierum gestamen olim Mitra.

Platina de conf. dist. 1. c. ut calic. ibid. c. vestim. Bergomates l. 8. dist. 77. c. illud nos. Dist. 59. c si officia:

Copa Syrisca caput Graja redimita mitella.

Postea ex dono Constantini corona accessit. Innocentius 3. testatur mitram officij Papalis; coronam regij ejusdem officii insigne esse. Marcum 1. ajunt autorem pallij esse, quod ita fit. Festo S. Agnetis in ejusdem templo Romæ tempore missæ à Diaconis 2. candidi agni altari imponuntur, deinde tondetur à subdiaconis. Horum lana alij vulgari admiscetur, & ducitur, unde pallia texuntur, quæ sepulcris S. Petri & Pauli im-

Polyd. de inv. rerum l. 4. c. 7. serm. in festo Silvestri.

Anastasius. Luitprandus. Platina.

imposita consecrantur & distribuuntur pro pecuniæ non aspernanda summa, scilicet 30000. Ducatis. ut autem merx ista vendibilis sit, recenti Archiepiscopo modo pallio opus est Roma petendo. Siricium ajunt, An. 399. memoriam sanctorum missæ adsuisse. Primum enim lecto symbolo nomina martyrum & eorum certamina legebãtur sub missa, adeoque, ut Cyprianus loquitur, Nomina Martyrum offerebant. L.3.ep.14. Deinde inceptum de auxilio & meritis Martyrum dici, sed dubie & per figuram Rhetoricam in Epitaphiis usitatam, donec tandem hic cultus sanctorum in articulum fidei abiit. Polydorus Virgilius 7. horas Canonicas ad tempora Pelagij refert. Gregorius M. Collectarum & cantuum fere omnium Ecclesiasticorum autor fuit, ut & infinitarum ceremoniarum. Sabinianum scribunt instituisse lampadum diurnum nocturnumque usum in templis. Campanarum usus primis Lib. 23. sp. hist. c.2. 600. annis ignotus. Vincentius narrat Aureliam à Clothario obsessam campanas cepisse pulsare, perterritosque milites rei novitate aufugisse obsidionemque solvisse. Enn.9. l.1. Sabellicus narrat Græcos companis cæpisse uti anno 870. donatis Basilio Imperatori à Venetis. Bonifacius 3. primum cæpit uti his formulis. Volumus, mandamus, statuimus. Polydorus l. 4. c.10. Idem altaria linteo panno obvelanda

statuit.

Duran. rat. l.4. ſtatuit. Carion teſtatur neminem fere eorum Paparum qui huic ſucceſſerint, non inſtituiſſe aliquid novi ad dignitatem Sedis Pontificiæ nuper evectæ amplificandam. Anno 607. Bonifacius IV. Pantheon conſecravit in honorem omnium Sanctorum. Platina teſte, Theodato ſpiritualis cognatio originem ſuam debet. Bonifacius V. homicidis aſyla locorum conſecratorum indulſit. Honorius Luitprandus anno 634. I. invocationem Sanctorum Letaniis adtexuit. Raſura & corona clericorum olim vetita Levit. 19. 27. Ez. 44. 1. jam inſigne Sacerdotum, & ſanctimoniæ indicium. Optatus exprobrat Donatiſtis, quod Sacerdotibus capillos detonderent. L. 2. contra Parmenionem c. 40. de Monachis, Stella. Bellarminus fatetur, neque Palladium, neque Iſidorum, neque Bedam, licet plurima de Monachis referant, hujus raſuræ Monachalis meminiſſe. Organa Vitelliano debentur. Benedictus II. 686. Luitpr. Vicarium ſe Chriſti primus nominavit. Sergius hoſtiam in 3 partes dividendam inſtituit. 1. pro animabus in purgatorio. 2. pro L. 1. de miſſ. c. 27. Sanctis. 3. pro viventibus. Verè Bellarminus: *Noſtra fractio ſine dubio non habet Deum autorem.*

Platina l. 4. Conſtantinus I. Juſtiniano Imperatori pedes oſculandos dicitur Conſtantinopoli obtuliſſe. Hoc poſteri in morem traduxerunt. Plutarchus ſcribit teſte Polydoro, moris olim Romæ fuiſſe, ut populus oſcularetur

pedes

pedes Ethnicorum Sacerdotum. Zachariam Luitprandus narrat peculiarem habitum clericorum excogitasse. Stephanus II. Papæphoriam invenit, suoque exemplo corroboravit. Sub Johanne XIV. cœptæ sunt Campanæ baptizari, nominibus inditis. Nam Campanæ maximæ Lateranensi Johanni nomen fuit, idque ejus autoritate. Johannes XIX. Magus instituit festum animarum omnium, circa annum 900. Paschasius Abbas in Saxonia vixit, qui de reali præsentia Christi in cœna scripsit, cum eo Italus quidam Lanfrancus fecit, aliique Monachi Itali autores consubstantiationis; quibus Bertramus se opposuit. Nicolaus II. electionem Papæ à solis Cardinalibus peragendam instituit. Urbanus II. horas B. Virginis ordinavit, item diebus singulis Sabbati Missam in ejusdem honorem. Sixtus III. Petri catenas sacravit, in earumque honorem festum instituit, alii aliis adscribunt. Benedictiones & exorcismi quantum à superstitione absunt Ethnicorum & Magorum? Certè preces istæ ex fide nequeunt proficisci. Nam Deus nusquam promisit sese per tales preces & motus digitorum supernaturalia dona in creaturam effusurum. Panis & vinum moderate sumptum ut corpus meum nutriant, orare possum, quia Deus isti usui ea destinavit. Quod si petam, ut *panis sit salus mentis: si* *exor-*

Platina. Anno 973. Benno. Ioh. Baconthorph. in prol. 4. sentent. An. 1062. Stella. Dist. 23. c. in nomine Domini. Ritua'e de benedict. p. 50. 226.

exorcizem butyrum per Deum vivū, per Deum verum, per Deum sanctum : item ; *sal, ut fiat salutare Sacramentum ad fugandum inimicum, ut discedat à loco in quo aspersum fuerit omnis phantasia & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis* ; *si exorcizentur vermes, ut à campis recedant* : item, *nubibus ut exeant, quas concitarunt, spiritus aerij*, qua fide hoc peto? Nonne Toletus, aliique Summistæ, Magiam practicam (divinatrici oppositam) ita definiunt, quod media aliqua, sive verba, sive actiones, per modum signorum & ceremoniarum, sive res permanentes, adhibeat ad effectum aliquem producendum, quæ neque sunt causæ naturales, neque instrumenta Dei, quia Deus non promisit se talia facturū per illa. Ostendant Papistæ mandatum divinum: ostendant promissionem. Azorius non diffitetur *de istis benedictionibus Pontificiis seu Episcopalibus, in jure canonico nullum canonem exstare, nec* ULLAM *in Patribus* TRADITIONEM.

Risp. de baptismi. p. 32. Max. Egnatius in man. exorcismorum p. 255.

Inst. moral. l. 4. c. 11.

Augustinus Hunnæus, qui ex Thomæ doctrina axiomata collegit idem fatetur. Quid de aqua benedicta garriunt? Nonne ea *venialia peccata* abluunt? Epiphanius de Hemerobaptistis. *Vanum & frivolum est eorum studium. Neque enim Oceanus, neque omnia fluenta ac maria, fluvijq; perpetui & fontes, universaque* ὀμβροτόκος φύσις *in unum congressa peccata delere potest, quia non est hoc*

In axiom. ex 2. 2. Thom. q. 96. a. 2.

Hæresi 4.

juxta

juxta rationem; nec ex præcepto Dei fit. Petrus & Paulus negarunt se propria potestate effecisse, ut claudus ambularet, & aquæ tanta virtus tribuenda erit? Guilielmus Caulius depinxit aspergillum veterum Paganorum, item vas marmoreum, quod aquam lustralem continebat. Theodoretus, narrat Valentinianum militem comitantem Iulianum in templum Fortunæ ab æditu Pagano aspersum aqua. Baronius: *Vigilias anniversarias habes apud Suetonium in Vespasiano c. 7. lustralem aquam; aspersionem sepulcrorum apud Iuvenalem sat. 6. luminaria apud Sueton. in Octavio c. 8. 9.* Olim baptizatis lac & mel dabatur. quod hodie cessavit. Tam facilis humani animi prolapsio in superstitionem! Baronius: *cum infantibus suis gentiles bullas ad avertendas fascinationes (ut docet Varro de l. Lat. lib. 6.) re turpicula consignatas collo suspenderent, ad eas abolendas, ut de multis accidit, placuit, superstitione in religionem mutata, ex ejusmodi sacra cera bullas confici, quas agni Christum praeferentis imagine insignitas geniti in Christo gestarent.* Iacobus de Voragine: *Festum Proserpinæ imitatum est in honorem matris lucis, ut portemus candelas in ejus honorem.* Euangelium Iohannis collo suspenditur. Nescio cui bono. Autor operis imperfecti. *Cui in auribus posita Euāgelia nihil prosunt, quomodo eum poterunt in collo suspensa salvare?*

Act. 3. 12.
1. de relig. Rom.
l. 3. c. 16.
An. Tom. 1. ad annum 439. n. 88.
An. t. 1. ad an. 58. f. 76.
Ptæd. 82. de sanctis.
In Matt. c. 23 hom. 43.

Vbi virtus Euangelii? in figuris literarum? an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis. Si in intellectu, melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. Durandus. *Ampullæ salutantur quinquies ab Episcopo, ut de 5. vulneribus gratiarum actio Christo reddatur. Deinde cooperitur ut à nemine nuda videatur, atque ita rursus salutatur. Deinde ter halat in ampullam Episcopus quia 3. personæ sunt.* Vbi vetus Ecclesia Christiana olim sic locuta est? Ave Sanctum chrisma! In signo crucis quanta superstitio! Veteres Christiani cruce gloriabantur, Ethnicis sibi ejus ignominiam exprobrantibus, seque cruce signabant; quod nihil aliud erat quam Christianam religionem profiteri. Cyrillus. *Non pudeat nos crucifixum confiteri, sed in fronte μετὰ παῤῥησίας signaculum crucis imprimatur.* Augustinus: *Quale cor habetis qui Deum colitis crucifixum? In fronte crucem figas in quo membro erubescitur. Ibi figatur unde non erubescitur.* Hic usus tum temporis non fuit reprehendendus, neque adeo in benedictionibus, ut ostendamus, omnia nos à supplicio maledicto beneficia expectare. Interim veteres Christiani apud Minutium Felicem. *Cruces nec colimus nec optamus.* Iam vero Bellarminus: *Suaves odores etiam cruci offerimus in Ecclesia.* Hinc merito Polydorus Virgilius queritur, *Silvam quandam*

Rat. l. 6. c. 74. n. 17. 19.

De verb. Apost. serm. 8.

In Octavio.

De Eccles. triumph. l. 1. c. 3.

quandam Iudaicarum & gentilium ceremoniarum agnum dominicum occupasse. Cajetanus: *Onera quæ ministri imponunt humeris hominum sunt importabilia, non onus Christi.* Itaque hæ Ceremoniæ merito quoad numerum nimiæ, quoad usum nullius ponderis sunt. Sed pergamus. Felix 3. encænia ordinavit anniversaria exemplo Hesserniæ. Gelasius adsuit missæ præfationem, gradualia, collectas. Symmachus ei ultimam manum videtur adhibuisse. B. Rhenanus fatetur negari non posse candelas accensas die purificationis Mariæ ortas à Februalibus Romanorum. Iejunium cur certis temporibus lex imperarit, ex ceremoniis legis Mosaicæ ratio petitur. *Cogimur*, ajunt, *ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere.* Hinc tota illa supellex Ecclesiastica: hinc apparatus templorum: hinc vasa, candelabra, luminaria, thymiatmata, sanctum sanctorum (quod Romæ in æde S. Iohannis Lateranensis visitur) hinc Pontifex Maximus, Sacerdotes, Levitæ, Sacrificia, Encænia. Habemus reos confitentes. *Si Judæi qui umbræ legis deserviebant hoc faciebant,* MULTO MAGIS *nos, quibus veritas patefacta est, possumus templa ornare, & sanctis unctionibus cum altaribus, vasis, vestibus & reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devote & solenniter sacrare.*

De inv. l. 4. in Matth. c. 11

Dist. 1. c. solennit.

In 5. lib. Tert. contr. Marcionem.

Dist. 76. c. jejunio.

Rationale Duranti.

De consecr. dist. 1. c. consecrat.

crare. Glossa. *Si gentiles faciebant, multo magis nos facere debemus. Et sic est argumentum quod possumus argumentari ab exemplis infidelium.* Totam istam Papatus Hierarchiam descriptam & ex origine demonstratam videat cui hoc curæ est in ipso jure Canonico. Ausim asseverare, me raro quicquam ineptius legisse. *Metropolitani a mensura civitatum appellantur: Pontifex quasi via sequentium; ipse enim Sacerdotes & Levitas efficit. Antea autem pontifices & reges erant. Nam majorum Ethnicorum hæc consuetudo fuit, ut Rex esset Sacerdos & Pontifex. Vates à vimentis appellatus est. Sacerdos è Græco & Latino, quasi sacrum dans. Levitæ ex nomine autoris sunt vocati. De Levi enim Levitæ exorti sunt. Hypodiacones dicuntur, quia subjacent præceptis & officiis Levitarum. Oblationes enim in empto Domini à fidelibus ipsi suscipiunt, & Levitis altaribus supponendas deferunt.* Sed pergamus. *Sacerdotum institutio in veteri testamento inchoata, & in novo plenius consummata est. Summi enim Pontifices & minores sacerdotes à Domino sunt instituti per Moisen, &c. Inter sacerdotes quædam discretio servata est, ut alij appellentur simpliciter sacerdotes, alij Archipresbyteri, alij chorepiscopi, alij Episcopi, alij Archiepiscopi seu Metropolitani, alij primates, alij Patriarchæ, alij summi Pontifices. Horum discretio à gentilibus*

Dist. 21. c. cleros.

Dist 21. c. decretis.

Item in concilio Aquisgran.

tilibus maxime introducta est, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios prothoflamines appellabant. Marcellinus Pontifex 5. Diœceses Romæ constituit ad usum baptismi & sepulturæ, eisdem totidem Presbyteros præfecerat, ut baptizandi infantes & humandi mortuos curam sustinerent. Et hæc vera Cardinalium origo fuit. Bellarminus. Primis octingentis annis cardinales vel soli vel primarij Pontificis Consiliarij non erant. His postremis sexcentis annis vel septigentis cœperunt omitti concilia Episcopalia, & res tota redigi ad senatum Cardinalium. Qui ordo teste Fr. de Victoria non est ex jure divino. *Olim*, ait Bellarminus, *fateor Episcopos quoscunque prælatos fuisse non-Episcopis. Postea tamen mutatus est ordo, posteaquam ad Cardinales devoluta est summi Pontificis electio.* Quam autem hoc bellum collegium & sanctum sit, testatur Espensæus dicens Paulum IV. de se cogitasse in sacerdotum suorum collegium cooptando, idque serio; sed se immortali Deo gratias egisse, quod Christus sibi tantum mali non permiserit. *Quid facerem Romæ?* ait. *mentiri nescio. Primus Pontifex, ni forte fallor*, ait Bellar. *qui sanctos legitur canonizasse, fuit Leo 3. id est, anno 786. Forsan alij ante eum id fecerunt, sed hoc mihi non constat.* Hanc Canonizationem sanctorum

Polydorus de inv. rerum. l. 4. c. 9.

Relect. 2. concl. 7.

In Ep. ante 6. tr. ad Cardinalem Castilionæum p. 12

L. 1. de beat. sanct. c. 8.

Costerus vocat *novam & non necessariam facultatem*. Roffensis. *Hæc est* judicium Ecclesiæ publicum de vera gloria hominis defuncti, in quo Ecclesia errare nequit, ita ut hæreticus sit censendus, qui Thomam Aquinatem sanctum esse pertinaciter neget. Sed Vasques. *Aliqui Catholici probant non esse certum secundum fidem sanctos quos colimus, esse colendos, quia non est ex fide eos esse sanctos*. Bellarminus ait, Adrianum Papam deceptum à Synodo judicasse Honorium fuisse hæreticum. Hinc sequitur Papam in sanctis damnandis errasse cum concilio, cur non in impiis canonizandis? Nec traditiones R. E. hæreticorum imitationem respuunt. A Pelagio hausta est doctrina de libero arbitrio & perfecta legis impletione. A Messalianis precum certarum statis horis ad calculum revocata enumeratio. Ab Ebionitis & Tatianis conjugij impuritas. A Montanistis leges jejuniorum. à Collyridianis hyperdulia B. Virginis. ab Anthropomorphitis imago Trinitatis. à Gnosticis imaginum veneratio. à Simone nundinatio Episcopatuum & reliquorum BENEFICIORUM. ab Eutychianis ubiquitas. Ita Bellarminus. *Dicere corpus Christi esse posse ubique, simul est Eutychianorum hæresis*. At ipse Bell. *Nos dicimus corpus Christi simul esse in pluribus locis*. Th. Aquinas, *Quod si in pluribus*, *tum*

In ind. ante Enchirid. art. 37.

L. 1. adorat. disp. 5. c. 7. n. 166.

L. 4. d. R. P. c. 11.

Epiph. 68. hæresi.

Eus. l. 5. c. 18.

Epiph. 51. hæres.

tum in infinitis. Ab Anabaptistis veritatis notitia sine adhibito medio. *Tenemus quod sive Pontifex in judicando diligentiam adhibuerit sive non adhibuerit, infallibiliter tamen definiet.* Ita Gregorius de Valentia. Sed ineptus sim si camarinam istam diutius moveam. His foliis veritas tecta & adumbrata fuit. Damasus. *Tanta apud nos simplicitatis imago est, ut tantum in die dominica Apostoli epistola recitetur una, & Euangelij capitulum unum dicatur. Nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur.*

L.8. analys. fid.

1. tom. conc.

CAPVT. III.

Sola sacra scriptura est fundamentum fidei, interpretanda ex seipsa, non ex sensu Romanæ Ecclesiæ quæ nec scripturam nec interpretationem sinceram habet.

I.



Apostasia Romanæ Ecclesiæ non erubuit publico decreto verbum non scriptum pro regula fidei venditare. Carranza. *Nos dicimus, quod prior regula & notior & multo latior Ecclesia est quam scriptura Canonica,* & hæc per ILLAM debet REGULARI, non contra. Pighius. *Scripta Apo-*

2. Controv. prol. ad summ. concil.

l. 1. Hierarch. Eccl. c. 2.

Apostolica ad id facta non sunt, ut praeessent fidei nostrae, sed ut SUBESSENT *potius. Fides Ecclesiae quoad acceptationem nostram regula scripturae est;* Cusanus. *Scriptura intelligenda est secundum currentem praxin Ecclesiae.* Charronæus. *Scriptura est minima particula veritatis revelatae.* Hosius. *Multo maxima pars Euangelij pervenit ad nos traditione: perexigua literis est mandata.* Tandem aperte ait: *Ecclesiam melius habituram fuisse, si nullum extaret descriptum Euangelium.* Sed Apostoli non sunt jussi scribere sed docere. Respondeo Apostolos mandatu Christi orbem docuisse. Docendi ratio in viva voce vel scripto consistit. Bellarminus fatetur Apostolos Deo *inspirante* & *volente* scripsisse, sed non *praecipiente.* Contra Augustinus. *Christus Apostolus tanquam suis manibus scribere imperavit.* Est quidem aliud viva voce praecipere, aliud interna inspiratione adducere; sed tantum quoad modum imperandi; non quoad autoritatem mandati. Plus est *Cordi* quam *auri* loqui. Quod autem scriptura certis occasionibus exarata sit, id autoritati ejus & fini nihil officit. Quae singulis scripta sunt, ad omnes pertinent. Deus variis occasionibus ad salutem Ecclesiae procurandam uti potest. Impiis itaque his Papatus Doctoribus omnium primo publicum judicium Gregorij 13. deinde totam antiquitatem

L. 9. de princ. c. 11.

Verit. 3. c. 4.

Confess. Petric. c. 92.

De consens. Euang. l. 1. c. 5.

tatem

tatem oppono. Ita Papa. *Nihil potest esse horum librorum lectione dignius, nihil fructuosius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori doctrina & sapientia refertius.* Quin itaque missas facimus legendas, totamque illam non scriptam doctrinam? Sed audiamus quid vetus Ecclesia de S. Scriptura judicarit. In literis ad Philipp. 2. regem Hispaniæ bibliis regiis annexis.

Justinus Martyr. *Confugiendum est ad Scripturas, ut in omnibus tuti simus.* Contra Typhonem.

Tertullianus. *Si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum. Scriptum esse doceat Hermogenis officina.* Contra Hermogenem c. 22.

Apollinaris. *Quod metuerem & sedulo præcaverem, ne Euangelico N. T. verbo (cui neque apponere, neque detrahere quicquam licet ei, qui secundum Euangelium ipsum vitam degere instituit) scribendo vel componendo viderer adjicere.* Apud Eusebium l. 5. c. 15 edit. Christophorsonianæ.

Clemens Alexandrinus. *Non est æquum nos attendere simpliciter hominibus asserentibus, adversus quos & nobis ex æquo licet assertione uti. Quod si non sufficit tantum proloqui id, quod ita videtur, quin potius necesse est fidem astruere eorum, quæ dicuntur: ne exspectemus testimonium ab hominibus; sed confirmemus id, quod in quæstionem venit verbo Domini, quæ omnium demonstrationum certissima est, imo vero sola est demonstratio.* Strom. 7.

Tertullianus. *Aufer hæreticis quæ cum* De resurr. carnis c. 3.

Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.

De Incarnat. t.1.col.484. Athanasius. *Si discipuli estis Euangeliorum, ne loquamini contra Deum iniquitatem, sed per Scripturas incedite. Quod si diversa à Scriptura fabulari vultis, ne nobiscum concertetis, qui neque* LOQVI *neque audire sustinemus extra ea quæ scripta sunt, docente Domino, Si vos permanseritis in sermone meo, vere liberi eritis.*

Hom.13.in 2ad Corinth. Chrysostomus. Scriptura est ἀκριβὴς ζυγὸς καὶ γνώμων καὶ κανὼν ἁπάντων, id est, *accurata trutina, index & regula omnium.*

Hom. 1. in Matt. t.2. Idem. *Summi criminis est, scripta cœlestia quasi frustra ac varie disposita despicere, nec per illud auxilium proficere.*

Hom. 53. ed. Græc. in Ioh. Idem. *Si velimus scrutari scripturas cum diligenti studio, & non utcumque, assequi poterimus salutem nostram.*

InHaggæum. cap.1. Hieronymus. *Gladius verbi Dei percutit omnia, quæ quasi traditione Apostolica sponte reperiunt & confingunt hæretici, absque autoritate & scripturarum testimoniis.*

In reg.ascet. Basilius. Præpositum instruens, quo animo debeat esse præditus in iis quæ præcipit, jubet eum *metuere, ne quid præter voluntatem Dei in scripturis certo expressam vel dicat vel instituat.*

Idem: Manifesta est à fide defectio & superbiæ indicium, aliquid eorum quæ scripta sunt infirmare, vel quæ non scripta sunt, infer-

inferre, cum Dominus noster Iesus Christus dicat: oves meæ vocem meam audiunt.

Idem in asceticis. *Quid est proprium fidelis? In certa persuasione consentire sententiæ eorum quæ dicuntur, (nempe in divinitus inspiratis literis) neque quicquam vel irritum facere, vel insuper addere. Nam si quicquid ex fide non est, peccatum est, teste Apostolo, fides autem est ex auditu, auditus per verbum Dei: Quicquid est extra divinitus inspiratam scripturam, cum non sit de fide, peccatum est.* Regula 80.

Idem. *Oportet quicquid fit aut dicitur confirmari testimonio divinæ scripturæ.* In Ethicis def. 26.

Irenæus. *Rectissime scientes, quod scripturæ perfectæ sint, quippe à verbo Dei & Spiritu ejus dictatæ.* L. 2. c. 47.

Theodoretus. *Cave mihi disceptationes humanas syllogismosque protuleris. Ego enim in sola scriptura acquiesco.* Dial. 2. c. 6.

Cyrillus Hierosolymitanus. *Oportet ne minimum quidem tradere de sanctis & divinis fidei mysteriis absque divinis scripturis. Hæc est ratio conservandæ nostræ fidei, quæ ducitur non ex ingenioso acumine, sed ex demonstratione divinarum scripturarum.* Catech. 4.

Vincentius Lirinensis. *Perfectus est scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficit.* Initio Commonitorij.

Augustinus. *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo* Contra Donat. l. 2. c. 6.

modo volumus pro arbitrio nostro, dicentes, Hoc grave, hoc leve est; sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis.

De bono viduit. c. 1.

Idem. *Quid amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus. Sancta enim scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quam oportet sapere.*

Serm. 38. ad fratres in eremo.

Idem. *Legite sacram scripturam, in qua quid tenendum & quid fugiendum sit plene invenietis.*

De vocat. gentium.

Prosper. *Scripturis non loquentibus quis loquetur?* Iesuitis parata responsio est.

L. 1. de Orth. fid.

Damascenus. *Cuncta quæ tradita sunt nobis per legem & Prophetas & Apostolos & Euangelistas, suscipimus, agnoscimus, veneramus, nihil ulterius perquirentes.*

Hom. 49.

Autor operis imperfecti in Matthæum. *Sciens Dominus tantam confusionem rerum in novissimis diebus futuram, mandat ut Christiani, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem confugiant nisi ad scripturas.*

Hom. 9. in Ezech.

Gregorius I. *In hoc volumine cuncta, quæ ædificant: omnia quæ erudiunt scripta continentur.*

Prol. in Bibl.

Lyranus. *Sicut in philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: ita & in scripturis veritas cognoscitur, quantum ad ea quæ sunt fide tenenda.*

In Can. miss. l. 71.

Gabriel Biel. *Scriptura est secundum B. Gregorium* OS DEI, *quia per eam Deus nobis*

nobis loquitur omnia quæ vult à nobis fieri.

Scotus. *Scripturæ sufficienter continent doctrinam Viatori necessariam.* Prol. in Lombardum.

Thomas. *Scripturæ faciunt hominem Dei* PERFECTVM. In 2 Tim. 3.

Driedo. *Scriptura instrumentum vocatur, quia instruit hominem, quid debeat* CREDERE, SPERARE, AGERE. In 1. l. 1. c. 1. de catal.

Pepinus Dominicanus. *Sola hæc scriptura docet perfecte & plane quid* CREDENDVM, *ut sunt articuli fidei: quid* AGENDVM, *ut sunt divina præcepta: quid* FVGIENDVM, *ut sunt vitia.* 2. advent. 1. conc.

Mirandula. *Extra biblia non est veritas infallibilis. Scriptura est officina ubi cuneus regiæ monetæ spiritualis cuditur. quod si vel in aliquo minimo punctulo denarius ab* EO *discrepat, procul dubio falsatus est.* L. 1. de fide & ord. cred.

Stapletonus. *Utinam credendi forma à primæva peteretur Ecclesia, quæ tot martyres Christo consecravit, quæ nullam regulam præter Euangelium novit, nullum scopum præter Christum, nullum cultum præterquam trino Deo impendit.* Præf. in Euangelia.

Sed num Ecclesia prisca omnibus scripturæ lectionem permisit? Haut dubie.

Espensæus. *Indifferenter olim ab omnibus legebantur scripturæ, quod manifestum est ex Epistola ad Colossenses & ex communi Ecclesiæ praxi. Hanc Eusebius usque ad suam ætatem Christianos* Com. in Tit. cap. 2.

stianos servasse scribit: nec hac mea aut nova, sed patrum antiquorum doctrina antiqua admodum.

Hom. de patient. & consl. seculi.

Ephrem Syrus. *Operam da semper*, ait, *ut lectioni divinarum scripturarum adhæreas, quæ te doceant, quomodo effugere oporteat laqueos inimici & vitam æternam assequi.*

Serm. 55. de tempore.

Augustinus. *Hoc solum vobis non sufficiat, quod in Ecclesia lectiones divinas auditis: sed etiam domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite.*

Hom. 20.

Cæsarius Arelatensis. *Nemo se excusare conetur, ut dicat, non mihi vacat legere. Ideo non possum Dei præcepta vel agnoscere vel implere. Inanis & inutilis est ista excusatio.*

De Hieronymo & Chrysostomo quid opus est dicere? Ille quam sedulo puellis injungit & matronis, ut illecebris mundi abjectis psalterium discant: in proverbiis Solomonis ad vitam erudiantur: in Ecclesiaste consuescant quæ mundi sunt calcare: in Iobo virtutis & patientiæ exempla sectentur: ad Euangelia transeant, nunquam ea de manibus deposituræ: Apostolorum acta & epistolas tota cordis imbibant voluntate: tandem mandent memoriæ Prophetas: ad ultimum sine periculo discant Canticum Canticorum.

Hom. 3. de Lazaro.

Chrysostomus. Quid ais homo? *Non est tui negocij scripturas evolvere, quoniam innu-*

innumeris curis distraheris? Imo tuum est magis quam illorum (sacerdotum.) Magna adversus peccatum munitio est scripturarum lectio: magnum precipitium, profundum baratbrum scripturarum IGNORATIO: *magna salutis perditio nihil scire ex divinis legibus. Ea res & hæreses peperit & vitam corruptam invexit: Hoc sursum deorsum miscuit omnia.*

Augustinus. *Nemo ex scriptura haurire non potest, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devote ac pie, ut vera religio poscit, accedat.* De util. cred. ad Honorat. c.6.

Thomas de Aquino. *Nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium quod scriptura per literalem sensum alicubi* MANIFESTE *non tradat.* L. 1. quæst. 1. art. 10. ad 1.

Augustinus: *In his omnibus libris timentes Deum & pietate mansueti quærant voluntatem Dei.* L. 2. de dr. Christ. c. 9.

Fulgentius. *In Scripturis nec ovibus desunt pabula, nec alimenta pastoribus. in ea est quod perfectus comedat & parvulus sugat. Ibi ad* SALUTEM *consulitur universis, quos Dominus salvare dignatur.*

Chrysostomus. *Quomodo non absurdum est eos qui de pecuniis agunt, aliis non credere; sed numero calculoque id committere; de rebus autem judicandis aliorum sententiis simpliciter distrahi. Maxime cum in promptu habeant* OMNIUM RERUM SANCTAM TRUTINAM, Hom. 13. in 2 ad Corinth.

divi-

divinam legum sententiam?

Sed quænam ratio est interpretandi scripturam? EX SEIPSA. In capitibus fidei creditu necessariis attenta potius, sedulaque lectione quam operosa interpretatione indiget. In controversiis reliquis scriptura ex scriptura interpretanda est. Gregorius Valentia. *Ad eruendam Scripturarum interpretationem dogma latissime patens hoc erit. Loca clariora consulere & antecedentia & consequentia perpendere.* Iansenius. *Christus docuit scripturam scripturæ conferendam esse, si in Scripturarum lectione errare nolumus.* Maldonatus. *Mihi non videtur alio interprete quam Evangelista opus esse.* Iosephus à Costa. *Nihil perinde scripturam mihi videtur* APERIRE *atque ipsa* SCRIPTURA. *Itaque diligens, attenta frequensque lectio tum meditatio & collatio Scripturarum, omnium summa regula ad intelligendum mihi semper est visa. Nam ex aliis Scripturis aliæ optime intelliguntur. Itaque obscuram aperta, dubiam certa interpretatur.* Hoc est quod Irenæus monet: *Secundum scripturas expositio legitima est & diligens, & sine periculo & sine blasphemia. Contra hæretici Scripturis dissolutis utuntur & à proprio contextu avulsis, nulla perpetua* ANALOGIAS *ratione habita.*

Analys. l. 8. c. 5.

Comm. in Matt. 20.

L. 3. de Christo revelat. c. 21.

L. 4. c. 63.

Regula itaque interpretationis est analogia fidei. Quia enim scriptura perfecta est, omnia

omnia dogmata tradit fidei necessaria Christianæ: quia perspicua est, obscuris lucem è clarioribus præbet: quia authentica est, certi sumus de interpretatione ex ipsis Scripturis haustâ.

Salmero. *Optima regula ad obscuriores locos intelligendos, si loci similes, qui de eadem re edisserunt, inter se conferantur. Nam unus solet alterum illustrare.* Augustinus hunc modum, scripturam ex scriptura interpretandi, optimum, ait, esse. Sed his omissis servatoris preceptum consideremus: ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, id est, scrutamini scripturas. Hoc Christus ad turbam dixit Iudæorum. Hoc scrutinium consistit, 1. In interpretatione verborum, ad quam refertur cognitio linguarum. 2. In collatione locorum obscuriorum cum clarioribus. Hæc collatio fit, 1. Per ἀκολουθίαν, id est, seriem contextus, vel ἀναλογίαν, id est, similium locorum & omnium capitum fidei comparationem. Hęc duo media interna sunt; externa, 1. Cognitio disciplinarum. 2. Evolutio veterum & recentium interpretum. 3. Historiæ Ecclesiasticæ notitia. 4. Constitutio animi pij, mansueti humilisque. 5. Preces. Quisquis his mediis recte usus fuerit, *hunc scriptura aberrare non sinet*, teste Chrysostomo, *sed parvulis sapientiam præstabit, & oculos illuminabit.*

Disp. 16. l. 1. super Epist. Pau. i.

De doctrina Christiana l. 1. c. 2.

Hom. 13. in Gen. Ps. 19. 8. 9.

At unde tot lites inter eos qui his mediis uti videntur? Quomodo oves judicabunt de doctrina Pastorum? Quis in tanta opinionum varietate & dissensione veram sententiam inveniet? Quisque suum judicium in religionis controversiis dijudicandis interponendo ab aliis diversum sentientibus abit. Ita religio in partes & sectas quotidie scinditur & distrahitur. An non è re cujusque Pacifici Christiani foret, judicio sedis Apostolicæ acquiescere ad consensum in religione inveniendum? An non præstaret Ecclesiæ Romanæ judicium quam privatim suum ipsius sequi? Nonne fallax est ratio nostra & cœca? Quo certo judicio statues hoc rectum, illud falsum esse? Nonne tuo ipsius? Vnde igitur fit quod tuo judicio plus quam alterius tribuas, cum tuum æquè errori obnoxium sit atque alterius. Nam ut tu judicium alterius pro regula fidei non habes; ita nec ille tuum. Hinc fit ut quisque religionis veritatem suo judicio, quod tamen æque ac alterius fallax & erroneum fatetur esse, metiatur. Nonne hæc est radix sectarum & hæreseon omnium? Hisce aliisque ratiunculis plurimi ad Cathedram Latiam abducuntur. Olim Chrysostomo gentilis nonnulla ejusmodi objiciebat. *Venit gentilis & dicit, vellem fieri Christianus, sed nescio quod dogma eligam. Singulæ dicunt, ego*

In acta Apostolorum hom. 33.

verum

verum dico. Cui credam nescio, cum scripturarum sim ignarus, & illi idem utrinque prætexunt. Sed cum scripturæ SIMPLICES *sint &* VERÆ, *facile tibi fuerit judicare. Si quis illis consentit, Christianus est. Quod si veniens ille dicat, hoc habere scripturam, tu autem aliud dicas, aliter sc. enarrando scripturas, mentem earum pro te trahens: Tu dic mihi, mentemne habes &* IUDICIUM? *Et quomodo possum inquies judicare, vestra nesciens? Discipulus fieri vellem; tu autem me doctorem facis. Empturus vestem, quamvis artis textoriæ imperitus sis, hæc verba non dicis; Nescio emere, illudunt mihi: sed* FACIS OMNIA UT DISCAS.

2. Lites inter Christianos non è scriptura; sed ex perversitate naturæ nascuntur. Quicquid enim de mediis rectè scripturam intelligendi adhibitis obtendant, certum est male eos ipsis usos fuisse. Neque vero ad Christianum constituendum opus est ut totam scripturam cum singulis partibus dextre intelligat, ita ut alios dissentientes à suo judicio teneatur è communione sui cœtus excludere, quod plurimis hæreticis in usu hodie est; sed ut non intelligendi vivacitate, sed credendi simplicitate, necessaria Christianæ religionis dogmata, quæ claro sermonis genere exposita sunt in scriptura, amplectatur, ergaque eos qui errores fovent

cum bona conſcientia non pugnantes, caritate lenitate & manſuetudine utatur, donec & iis Deus id revelet. 3. At quo modo oves judicabunt de doctrina Paſtorum? Omnes fideles tenentur in religione dijudicanda judicium DISCRETIONIS adhibere. Nam Euangelium non anſeribus & aſinis, ſed hominibus prædicatur. Quis ſine judicio & ratione religionem recte colat? Nonne fidei reddenda eſt ratio? Videamus quid in
1 Ioh. 4.1. ſcriptura de hac re extet. Fideles tenentur
1 Theſſ. 5.21 *probare ſpiritus, num Dei ſint*. Imo: *omnia probare, & bonum retinere*: jubentur habere τὰ *αἰσθητήρια γεγυμνασμένα*, id eſt, *ſenſus ex-*
Hebr. 5. v. ult. *ercitatos ad diſcretionem boni & mali.* Hinc
1 Cor. 2. 15. ſpiritualis homo: *de omnibus judicat & à nemine judicatur.* Hinc certum eſt, cœcam illam obedientiam & fidem implicitam ab omni ratione, verum à falſo diſcernendi, ſejunctam, ab officio Chriſtiani hominis alienissimam eſſe. Neque ideo privatum cujuſque judicium publico Eccleſiæ judicio anteponitur. Hoc enim ſemper reſpectu autoritatis illi præfertur, ordiniſque publici cauſa apud quemque fidelium majus pondus obtinet, quam quodlibet privati hominis. Hoc ſolum eſt, quod quæritur, an publicum judicium, quod privato majoris autoritatis eſt, ita amplectendum ſit, ut ſine examine antegreſſo, ſitne verbo Dei conſenta-

ſentaneum nec ne, arripiatur ac retineatur? Hoc negamus. Nam Chriſtus doctrinam ſuam auditorum diſcretioni & judicio ſubmiſit, ad ſcripturas enim ſcrutandas eos adhortatur, eo quod iſtæ de ſe teſtentur. Item Paulus. *Sicut peritis loquor, judicate vos quod dico.* Beræenſes item laudantur quod Pauli doctrinam ad ſcripturæ examen vocarent. At maxima eſt opinionum varietas. Olim item fuit. *Oportet hæreſes eſſe inter Chriſtianos, ut probati manifeſti fiant.* Sed hæ *ex contentione*, à qua Eccleſia abhorret, oriuntur. Scripturæ *ſimplices & rectæ ſunt*, ſi quis iis conſentit Chriſtianus eſt. Num reformata religio ideo falſa eſt, quia in ſectas ſciſſa? ſic tota religio Chriſtiana falſa erit, olim enim in plurimas ſectas diſtracta fuit, Chryſoſtomo fatente. Ipſa Papiſtarum fides vix duos habet, qui plene inter ſe conſentiant. Alius Deum invocat ſine advocata ſanctorum interceſſione: alius purgatorium nihili facit: alius indulgentias ne pili quidem æſtimat: alius privatas Miſſas miſſas facit: alius imagines non adorat, ne χειλικῶς quidem. Quid de Scholaſticorum rixis dicam? At hæ ad fidem non pertinent. Num igitur ad Mathematicam pertinent? Vnde conſtabit omnes diſſenſiones in reformata Eccleſia DE FIDE eſſe, id eſt, de neceſſariis dogmatis, ut ipſi hanc vocem intelligunt? Itane

Ioh. 5. 39.
1 Cor. 10. 14.
1 Cor. 11. 18.
1 Cor. 11. 16.

nobis ne in minimo quidem puncto licebit dissentire, ipsis licebit de maximis controversiis, imo de ipso fundamento fidei Papisticæ quotidie altercari? Dissentimus ab Anabaptistis?& Papistæ dissentiunt. Non dissensus cum cœtu hominum, sed cum verbo Dei judicium falsæ religionis est. *Volens quis cognoscere*, ait Chrysostomus, *quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscet in tanta confusionis similitudine, nisi* TANTUMMODO *per scripturas?* Non dicimus tamen Ecclesiam in rebus ad salutem necessariis PERTINACITER errare. Sed an non præstaret ad consensum inveniendum Romanæ Ecclesiæ judicium amplecti? Cur Chrysostomus hoc consilium gentili suo non dedit? Si quis Cathedram Romanam adeat, habebit omnium expeditam dubiorum solutionem. *Scripturæ ait simplices sunt. Tu habes mentem.* Vnitas Ecclesiæ Turcicæ tanta est, ut major esse nequeat, sed est COACTA. In Papatu *sextuplex* unitas animadvertitur. 1. *Satanica* in præsulibus & principibus Ecclesiæ Romanæ. ne regnum divisum pereat. Hinc plurimæ lites pendent. Notum est quid Dominicani olim minati sint, alijque. 2. *Politica* in prudentibus, qui id quod corde clausum gerunt, silentio involvunt. 3. *Beluina* in iis qui non nisi alienis oculis & auribus utuntur. 4. *Ischariotica* in his qui

Chrys. hom. 49. in Matthæum.

qui avaritia ducti veritatem oderunt & persequuntur. 5. *Tyrannica* in principibus, qui sanctam inquisitionem in Hispaniam & alia loca invexerunt. 6. *Herodiana* in Iesuitis, Dominicanis & Professoribus plerisque Universitatum Lovaniensis, Parisiensis, Cracoviensis, &c. Itaque quoad autoritatem publicum judicium privato longe anteponendum est. Neque ullus Christianorum sui judicij ductum, sed spiritus sancti in scriptura loquentis sequi debet. Iudicium scripturæ publicum est. Qui hoc sequitur cum judicio discretionis, non suo sensu abundat, sed Spiritus sancti. Non enim religionem sibi fingit, sed publicè & clare expositam quoad necessaria, ductu Spiritus sancti amplectitur, à reliquis ita dissentit, ut pietatem erga Deum & caritatem erga proximum conservet. Contra Papistæ odio summo ardent erga dissentientes, & modo missæ intersint, Papęque dominatum agnoscant, & dicant, *Credo quod Ecclesia credit*, optimi Christiani imo germani Catholici habentur. Et sic eos servavit Apollo. Facilima ratio ad salutem perveniendi, in utramque aurem dormire, scripturam sacram non tantum non *scrutari*, sed ne *limis* quidem *vel per nebulam inspicere*, imo *odiße*, fidemque in hominis unius autoritate suspendere. An non periti nautæ in scopulos & syrtes na-

vim impingunt, qui Helicem, Vrsam, Orionem non norunt nec observant? *Habemus*, ait Petrus, *firmiorem sermonem propheticum, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ apparenti in caliginoso loco, usque quo dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* At omnes hæretici clamant, *scripturam* se sequi. Primum hoc falsum est. Deinde clamant etiam, se *veram Ecclesiam* sequi. Sed clament illi ad ravim. Non ideo omne sensuum judicium, tanquam fallax, abjiciendu est, quod illi interdum decipiuntur; sed eo magis opera danda est, ut omnia recte disposita sint, organum, medium, objectum. Non quærendum est, an falli possim in deductione consequentiæ, quod concedo; sed an re vera fallar: An vero consequentia sit tam EVIDENS, ut nemo quicquam firmi & solidi ei possit opponere, qui in principio consentit. Quod autem conspicuum Tribunal Iesuitæ erigunt, quo omnes controversiæ decidantur, id ab re faciunt. Nam, 1. Cur tot lites indecisæ pendent, imo cur istius tribunalis autoritas adhuc vacillat? Nam Sorbona illud summum tribunal non agnoscit. Deinde si id in Ecclesia semper extitit, unde tot controversiæ inter Catholicos doctores fuerunt? Cur eas ad hoc tribunal non detulerunt? Cur Chrysostomus Gentilem suum ad illud non mittit? Sed

2 Pet. 1.19.

an non animadvertunt illud Ecclesiæ Christianæ & fidei naturam minime ferre, ut abjecto discretionis judicio in hominis autoritate acquiescat? Nonne Ecclesia & fides Christiana meram & puram vocem Dei attendit, adeoque propter solius Dei revelantis autoritatem mysteria fide recipit & credit? Imò quid opus foret pastoribus, ad scripturam populo explicandam, si tale tribunal in Ecclesia extaret? Sufficerent Nuntij Apostolici, qui decreta Consistorij Papalis hominibus proponerent, eosque adhortarentur ad ea credenda, & ex præscripto eorũm vivendum. An non hac ratione Homo fidei nostræ DOMINARETVR, quod Apostolus sibi nunquam arrogavit? Porro Papista vel fidei suæ rationem reddere, vel non, tenetur. Si posterius; non fides, sed cœca obstinatio voluntatis in religione sequenda est. Si prius; primum dicet se credere, quia ita Ecclesia Catholica jubet. Deinde si interrogetur unde ipsi constet, an sit Ecclesia, & quænam vera sit; an non ibi suo judicio fruitur? Nonne Romanam Ecclesiam ab alia quavis discernit, eamque omnibus præfert? Hoc sine privato judicio, quod erroneum potest esse, non facit. Judicat enim de judicio Ecclesiæ Romanæ, illud esse verum. Unde? quia id sibi certis rationibus persuasit. Nempe judicat credendum esse, quod Romana Ec-

clesia jubet. Hæc enim falli non potest: hæc est Catholica: hæc promissiones habet. Num hæc omnia vera sint quis judicat? Papista ipse: Omnia itaque incommoda privati judicij Papista æque experitur ac alius. Sed veri Christiani judicium non est erroneum. Nam non quod ipse invenit ductu rationis in religione sequitur; sed quod à Spiritu sancto præscriptum & mandatum est, ejusdem illius gratiâ recipit & exequitur. Radix sectarum est id sequi quod *sibi* videtur, non quod *Spiritui sancto, publice & clare* in scriptura *loquenti*, qui quidem nonnulla abstrusioribus ænigmatis involvit, ut tædio occurreret; omnia autem sine quorum notitia & assensu salus obtineri nequit, clare exposuit; clare dico, sed ei qui *oculos* habet.

3. Sed tempus est ut demonstremus, Romanam Ecclesiam, nec sinceram scripturam, nec veram ejusdem interpretationem habere. Alphonsus de Castro ait, *Non credo aliquem esse adeo impudentem Papæ assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, quod nec errare, aut in interpretatione sacrarũ literarum hallucinari possit. Nam cum constet plures eorum adeo illiteratos esse, ut Grammaticam ignorent, qui fit ut sacras literas interpretari possint? Quod autem alij dicunt, qui erraverit in fide obstinate, jam non esse Papam, ac per hoc affirmant,*

Contra hæreses l. 1. c. 2.

Papam

Papam non posse esse hæreticum, est in re seria verbis velle jocari. Ad hunc enim modum posset quis citra impudentiam asserere, nullum fidelem posse in fide errare. Nam cum hæreticus fuerit, jam desinet esse fidelis. Sed experientia veritatis index indubiè est.

Notum est decretum conc. Trid. *Sancta synodus decernit, ut* HÆC IPSA VETVS & VULGATA *editio, qua* LONGO TOT SECVLORVM VSV *in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, prædicationibus & expositionibus pro Authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu (vel quod aliter in Hebræo vel Græco habeatur, vel quod Hieronymi non sit, vel minus latina, &c.) audeat vel præsumat.* Hoc decretum erroris plenum est. Nam versio ista vulgata erroribus scatet. De solœcismis supervacuum est ambigere. *Destravit*, Gens. 24. *odivit*, Es. 1. *appropiet*, Es. 5. *mirificavit*, Ps. 4. *voluit me* pro amavit me, Ps. 18. *exiet*, Matt. 5. *Pugillarem*, Luc. 1. *Manicabat*, Luc. 21. *pœnitemini*, Act. 8. *præcausati sumus*, Rom. 3. *minoravit*, 2 Cor. 8. *intentator*, Iac. 1. *valefaciens*, 2 Cor. 2. *implanavit*, 2 Cor. 12. *interrasiles*, Ex. 25. *inimicari*, Ecclesiast. 28. *pessimare*, c. 11. *implanavit*, c. 15. *implanatus*, c. 34. *inauxiliatus*, Sap. 12. *incredibilis* dat. plur. pro incredulis, Tit. 1. & talia sexcenta. De erroribus patet ex editione Sixti V. &

Clemen-

Clementis 8. Horum editiones novæ sunt. At concilium veterem & prioribus seculis notam, authenticam declaravit. Erravit itaque concilium. Nam quod erroribus scatet, non est authenticum. Ridiculum quod Sixtus V. ait: *Suam editionem esse eam, quam concilium authenticam declaravit.* Nam hoc Clemens 8. negat, aliam adornando. Deinde quomodo authentica fuit, quæ ne fuit quidem? Vbi erat Sixti V. editio ante Sixtum V? Mendas librariorum & errata versionis, qui non discernit, huic pepo pro cerebro est. Sed non tantum vetus illa vulgata Concilij Trid. versio, sed & Sixti V. editio per bullam sic approbata, ut majori verborum apparatu non possit, à mente Spiritus sancti in infinitis locis aberravit. Hoc patet ex Clementis 8. correctione. Videatur Bellum Papale. Bis mille ad minimum locis Sixtinam Clementina correxit. Quid hic Papistæ? Decretum prohibet veterem vulgatam quovis prætextu rejicere. Quis rejecit? Sixtus ipse Papa. Quis porro hujus? Clemens Papa. Servent ipsi decreta sua, deinde ea nobis obtrudant. Sed juvat Sixtinæ pauculos ex innumeris errores delibare. Nam de veteri res est deplorata & explorata.

Gen. 2. *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis* A PRINCIPIO. Ex errore, quasi para-

paradisus ante cœli & terræ creationem factus esset. Vertendum: *Ab oriente.*

In medio ligni paradisi. V. *inter arbores Paradisi.* Gen. 3.

Ipsa conteret caput tuum. V. IPSVM sc. semen. Franciscus Georgius. *Ex falsa traductione Latini communiter hanc victoriam Reginæ cælorum attribuunt, quæ licet sublimior sit, quam dici queat, dabimus tamen victori triumphum hunc, cui ex veritate literæ debetur.* Itaque Pagninus *ipsum* reddidit, Andradius, Canus, Sacroboscus, Steuchus, peccatum versionis agnoscunt. Ibid. Tom. 1. s. 1. probl. 55.

Habitavit profugus in terra. V. in terra Nod. Gen. 4.

Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. V. male. Nam illud *merear* non est in Hebræo, nec quicquam quod ei respondeat. Et quis usquam remissionem peccatorum, id est, *primam justitiam* meritus est? Ibid.

Qui fuderit sanguinem hominis fundetur sanguis illius. V. malè. Nam deest *per hominem.* Gen. 9.

Dedit aquam ad lavandos pedes Camelorum. V. *pedes ejus*, sc. servi. Gen. 24.

Qui festinus revertebatur ad Dominum suum. In Hebræo. *Et tulit servus ille Rebeccam, & abiit.* Ibidem.

Quo nato parere ultra cessavit. In Hebræo, *Et erat in Kesib, cum pareret eum.* Gen. 38.

Facies Mosis *cornuta*, dicitur in Hebræo, *radians.* Exod. 34.

Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione Num. 36.

tione

tione sua: & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient. Falsa interpretatio aperte. Hebraice ita: *Filij Israel adhærebunt singuli possessioni tribus patrum suorum: & omnes filiæ hæredes possessionis alicujus ex tribubus filiorum Israël erunt in uxorem alicui ex familia tribus patris sui.*

Psalm. 7. *Numquid irascitur per singulos dies?* quasi negando respondendum sit in Hebræo, *Deus qui irascitur quotidie.* illud: fortis, patiens, non est in Hebræo.

Psalm. 110. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum tuorum: ex utero ante luciferum genui te.* V. *Populus tuus spontaneus in die exercitus tui in splendoribus sanctitatis; ab utero tibi ros nativitatis tuæ.*

Eccles. 9. *Nescit homo utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* V. *Et quidem amorem & odium non est homo qui cognoverit: omnia ante eos.*

Eccles. 16. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum opera meritorum suorum.* At in Græco: *Omni eleemosynæ da locum: unusquisque enim secundum opera sua reperiet.*

Iob. 14. *Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me?* Hinc *purgatorium probant.* At in Hebræo: *Quis dabit ut abscondas me in inferno?*

Dan. 12. *Alij in opprobrium, ut videant semper.* illud: *ut videant semper*, redundat.

Ezech. 16. *Radix tua.* Hebraice: *Habitationes tuæ.*

Domi-

Dominus locutus est super eam. Hebraice: *Dominus dolore affecit eam.* Thren.1.

Assimilavi te. Hinc Baronius probat Cyrum Typum Christi fuisse. At Hebriace: *Cognominavi te.* Es.45. Apparatu ad annales.

Et qui stare fecit solem, virique mendacij, & securus, & incendens. Hebraice nomina propria sunt: & Iocim, & viri Cozeba, & Ioas, & Saraph. 1 Paral.4.

Sixtus Senensis: *Ne cui forte videatur impossibile, Jehu conscripsisse historiam usque ad Joram filium regis Josaphat, quia in tertio regum legatur, hunc Jehu supra 40. annos ante mortem Josaphat à Baasa rege Jsraël fuisse obtruncatum: sciendum est, quod ea quæ in 3. regum, capite 16. nostræ vulgatæ* (Sixtinæ) *editionis de cæde Iehu referuntur, in Hebraicis exemplaribus* (imo ne Græcis quidem) *non habentur.* Bibliothecæ l.2. in Iehu.

Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Hinc concludunt purgatorij pœnam non in calore tantum, sed frigore consistere. In Hebræo: *Vt siccitas & calor rapiunt aquas nivis: sic sepulcrum eos qui peccaverunt.* Iob.

Quicunque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis. Bellarminus, ut temporalem jurisdictionem Papæ probet, verba urget: *ad arbitrium sacerdotis.* At in Hebræo ea non extant: locus est vitiosissime versus. Lev. 13.

Ego

Deut.5. *Ego sequester & medius fui inter Dominum.* Hinc plures Mediatores probant. In Hebræo nihil de sequestro, sed: *Ego stabam inter Dominum & vos.* Distinguant inter Mediatorem & inter Nuntium.

Iob.9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Hinc probant incertitudinem justificationis: Præclarè. Pagninus: consumptus sum: non novi animam meam.

Psalm.136. *Memento Domine David & onus mansuetudinis ejus.* Hinc probant intercessionem sanctorum. At in Hebræo: afflictionis ejus.

Ps.139. *Mihi autem minus honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortati sunt principatus eorum.* Hinc probant cultum sanctorum In Hebręo: *Mihi quam pretiosæ sunt cogitationes tuæ ô Deus quam multiplicatæ sunt summæ earum.*

Laudate Dominum in sanctis ejus. Ps. 150. Hinc cultum sanctorum probant. In Hebræo: *In sanctitate ejus*, id est, propter sanctitatem ejus.

Num 39. *In arbitrio viri erit, ut faciat vel non faciat.* Hinc Bellarminus probat, arbitrij vocem extare in scriptura. Hebraicè: *Vir ejus confirmabit ipsum votum: & vir ejus irritum faciet illud:* Sensus quidem expressus est, sed vox arbitrij non est à S. spiritu, sed ab interprete. *Peccata tua eleemosynis redime.* Hebraicè: *Et peccata tua interrumpe per justitiam.*

Dan.4.

Gen.48. *Invocetur nomen meum super pueros hos, &*

nomina

nomina patrum meorum. Hinc invocationem sanctorum exsculpunt. Sed textus ita habet. *Vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum.* Hoc est: Meo nomine censeantur tanquam filij mei. Loquitur de filiis Iosephi Ephraim & Manasse, qui inter filios Iacobi recensentur.

In Novo Testamento.

Sp. S. suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis. Græcè, ἃ εἶπον ὑμῖν, id est, quæ dixi vobis. Maldonatus fatetur male versum. Ioh. 14.

Qui prædestinatus est, filius Dei, &c. ex resurrectione mortuorum. Græcè τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ, id est, *qui declaratus est filius Dei.* In Syriaco textu: qui agnitus est. Rom. 1.

Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Græcè: ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν θεοῦ, ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. Verba ἅπαντα κατεργασάμενοι exponit: *in omnibus perfecti*, cum significet: *omnibus confectis.* Quod de victoria Paulus intelligit, non de armatura. Eph. 6.

Εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας. *ad multorum exhaurienda peccata.* Sed verti debet: *ut multorum peccata tolleret.* Hebr. 9.

Talibus hostiis promeretur Deus. Græce: Hebr. 13.

διαρισεῖται, id est, delectatur. Solœcismus manifestus. Hoc loco ad merita sua confirmanda abutuntur.

Iacob. 5. *Alleviabit eum Dominus*, pro ἐγερεῖ, id est, eriget. Solœcismus.

1 Cor. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Hinc probant liberum arbitrium cooperari gratiæ. At in Græco: οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. *Non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est*. Vt totum, quicquid erat, gratiæ divinæ tribueret.

2 Pet. 1. *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum*. Græce, σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τούτων μνήμην ποιεῖσθαι, id est, *studebo ut vos subinde post exitum meum possitis horum mentionem facere*. Hinc itaque male invocationem sanctorum probant.

Matt. 9. *Videntes turba timuerunt*. Græce, ἐθαύμασαν, id est, *admiratæ sunt*.

Matt. 19. *Quid me interrogas de bono?* Τί με λέγεις ἀγαθόν; id est, *cur me dicis bonum?*

Matt. 21. *Exeunte illo januam*. Grece, ἐξελθόντα αὐτὸν εἰς πυλῶνα, id est, *exeuntem eum in vestibulum*.

Marc. 13. *Reus erit æterni delicti*. Græce, κρίσεως, id est, *judicij*.

Marc. 6. *Noluit eam contristare*. Græce, ἀθετῆσαι, id est, *rejicere*.

Cor obcæcatum. Græce, καρδία πεπωρωμένη ἦν, *Cor occalluerat.* Ibidem.

Crebro. Græce, πυγμῇ, id est, pugno. Ritus Iudaicus lavandi manus notatur. Marc. 7.

Hæc sunt quæ communicant hominem. Græce, κοινοῦσι, id est, *polluunt.* Ibidem.

Sustinent me. Græce, προσμένουσί μοι, id est, *manent apud me.* Marc. 8.

Comminatus est Petro. Græce, ἐπετίμησε τῷ Πέτρῳ, id est, *objurgavit Petrum.* Ibid.

Debilem introire in vitam. Græce, κυλλὸς, id est, *mancus.* Marc. 9.

Ubi est refectio mea? Græce, ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα; *ubi est diversorium?* Marc. 14.

Facta est à Præside Syriæ Cyrino. Maldonatus: *Præside Cyrino.* Luc. 2.

Os ejus opprimere de multis. Græce, ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων, id est, *è memoria dicere.* Luc. 11.

Et minavit eos à tribunali. Græce, ἀπήλασεν, id est, *abegit.* Act. 18.

Instabat verbo Paulus. Græce, συνείχετο πνεύματι, id est, *constringebatur spiritu.* Ibidem.

Nos vosmet ipsos defendentes. Græce, ἐκδικοῦντες, id est, *ulciscentes.* Rom. 12.

Unusquisque in suo sensu abundet. Græce, ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. (num quisq; suæ pertinaciæ permittendus?) igitur recta Rom. 15.

 versio;

versio: *Unusquisque in mente sua plene certus esto.*

2 Cor. 3. *Speculantes.* Græce κατοπτριζόμενοι, id est, *in speculo contemplantes.* Speculari, à specula, non speculo.

1 Cor. 15. *Ad reverentiam vobis loquor.* Græce: πρὸς ἐντροπὴν, id est, *ad pudorem incutiendum.*

Ex infinitis hæc paucula Chamieri ductu & monitu selegi, unde patet decreti Tridentini, imo Sixtinæ bullæ vanitas. Evigilent tandem Papistæ, nec verba sibi dari amplius patiantur. Franciscus Lucas. *Scio quod patres illi correctores* (vulgatæ) *nonnulla quæ emendare potuissent, consulto qualia erant reliquerint ad* OFFENSIONEM POPULORUM VITANDAM, *veteri Hieronymi exemplo, in libris regum præsertim & proverbiorum, è quibus multa fuerant auferenda juxta fidem conspirantium manuscriptorum editionis vulgatæ. Per notationes variarum lectionum prælusum est castigationi ita ut quæ deinde subsequitur legitima autoritate facta emendatio vix quicquam offensionis pariat, sed reverentiam potius & animi gratitudinem. Hieronymus versabatur in corrigendis erratis interpretum, hic* (σοφὸν φάρμακον) *non in corrigendo interprete, sed in versione interpretis emendanda ex ejusdem versionis exemplaribus*, id est, *in notariorum erratis auferendis.* Vide, ut palpum populo obtru-

Ad Blasæ Ep. Andomaropolitanum.

obtrudunt: versionem declararunt authenticam quæ in usu fuit tot seculis. Qualis illa fuit. Emendata vel non. Si prius; cur emendant? Si posterius; cur authenticam declarant? Sed ubi sunt versiones illæ Mss. incorruptæ? proferant. Bellarminus: *Scias velim Biblia vulgata non esse à nobis accuratissime castigata.* MULTA *enim de industria justis de causis pertransivimus.* Fr. Lucas: *Hoc quod de concilio Tridentino objectant alij, ridiculum est, nam etiam post concilium Tridentinum Theologi Lovanienses illam taxarunt.* Præfat. in Biblia. Stapulensis: *Multiplici vitio scatet Græca fidei reddenda.* Præf. in Novum Testam. Vives: *Hoc Augustinus sensit, Hieronymus clamat, ratio docet, nec ullus sanioris judicij repugnat,* NUNC *rigidus stupor opponitur.* Iohannes Baptista Bandinus Præfectus Typographiæ Vaticanæ ad Moretum anno 1604. *Fateor in Bibliis nonnulla adhuc superesse quæ in melius mutari possent; quædam etiam nescio quo pacto sic impressa reperiuntur.* ut 1 Reg. 2.17. Ubi authentica versio? Hinc ajunt latinam versionem authenticam dici: *quia non contineat aliquid falsum in fide & moribus.* At hoc non satis est ut editio authentica dicatur; sed ut singulis locis verum & genuinnm sensum Spiritus sancti exprimat. Nisi hoc concedant, sequetur, 1. Omnes versiones recentes au-

Iisdem liter.

Aug. de civ. Dei l. 15. c. 12

thenticas esse. Nihil enim fidei & moribus contrarium continent. Male igitur Tridentina synodus, solam vulgatam authenticam judicavit. 2. Omnes versiones authenticas esse, licet à mente Spiritus sancti aberrent; modo fidem & mores ne ludant. quod absurdum. 3. Hebræum & Græcum textum authenticum esse, quem tamen Papistæ corruptum à Iudæis & hæreticis ajunt. Nihil enim in Hebræo & Græco fidei adversatur. Sed quæro ex adversariis, cur R. E. verbum scriptum incorruptum ad nos non transmiserit: cum de verbo non scripto tantopere glorietur. Cur non æque utriusque curam gessit? Hic R. E. manifesta est erroris. Sed eo impudentiæ prolabuntur, ut Hebræo & Græco textui minus quam latinæ suæ versioni tribuant. Hæc impudentia se inde prodit quod Clemens 8. ex Hebræo & Græco correctionem Sixtinam correxerit. Sed an negabunt Hebræum & Græcum textum esse θεόπνευστον; Non opinor. Ergo est authenticus. Distinguunt textum vocalibus determinatum, vel iis liberum. Bene est: textus ille à doctis facilimè legitur, cui puncta detracta sunt. Idque propter analogiam linguæ, quæ vocibus quidem punctorum varietatem permittit: minimè vero toti contextui. Itaque hunc authenticum concedant. Porro exp onant quid in punctis desidе-

ſiderent: quod fidei Chriſtianæ dogma punctis evertatur, in latina vero verſione exprimatur. Nullum poſſunt indicare. Itaq; mera effugia ſunt. Antiquiſſimum quodque veriſſimum in Eccleſia habitum fuit. At Hebræus & Græcus textus ab initio Eccleſiæ fuit. Nec corruptionem ejus probare poſſunt. Religio Iudæorum nota eſt in textu Biblico ſervando, in quo nullum locum poſſunt oſtendere, ubi ſola vocalium mutatio, aliquid de dignitate myſteriorum Chriſtianorum detrahat. Cui bono itaque Iudæi puncta mutaſſent? Quid myſteriorum Latina verſio V.T. habet, quod in Hebræo non extet? Hieronymus Pſalmos tranſtulit, ubi à vulgata diſſentit, ſed ad Hebræum textum punctis determinatum, qui hodie extat, proxime accedit. Potuitne Hieronymus divinare, quomodo anno 500. Maſorethæ textum abditis vocalibus corrupturi erant? Neque negabunt Hebræum textum V.T. ante Chriſtum, & poſt Chriſtum, Hebræum & Græcum N.T. authenticum fuiſſe: Dicant nobis tempus, quo authentiam ſuam in Eccleſia amiſerint? Nonne in ipſa Romana Eccleſia omnium verſionum fides ad Hebræum & Græcum textum exigitur, judicatur, & corrigitur? Gratianus ex Auguſtino: *Vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda, ita novorum veritas* Diſt. 9.

Græci sermonis normam desiderat.

Dist.76. *Cogimur ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis, quam de rivulis quærere.* Quod Bellarminus concedit, 1. Cum librarij in latina versione erraruntt. 2. Cum codices variant. 3. Cum sensus anceps est. 4. Cum emphasis vocum quæritur. 5. Cum infideles convincendi. Sed cur omittunt summam utilitatem: Correctionem latinæ versionis, quam Clemens 8. ex fontibus instituit? Prætereo Pagninum, Montanum, alios à Papistis approbatos. Quod autem Sixtus librariorum sphalmata in vulgata concedit: non interpretis errata, vanum. Quis enim tam hebeti ingenio est, ut ea non queat discernere? Suntne errata, quæ attigi, librariorum? Suntne variæ lectiones? At latini codices consentiunt in mendis plerisque. Gens. 3. *aspectu delectabile*. Omnes codices ita habent. Pagninus: *Concupiscibile ad intelligendum.* At Hebræus textus ambiguus est. Si negent ideo authēticum, eodem jure latinam versionem negavero talem esse.

Psalm.68. Legant illud: *Rex virtutum dilecti, dilecti, & species domus dividere spolia*, quid hoc significat? Sexcenta talia extant. Num unquam ambiguitates latini textus R. E. αὐθεντικῶς solvit? Nunquam. Incusant varietatem Græcorum codicum. At sic suam latinam editionem de gradu dejiciunt. Nam Latinorum codi-

codicum quanta varietas sit notum est. Neq; lectionis diversitas quicquam periculosi in Ecclesiam infert. Sed jam de interpretatione R. E. agamus. Extant infiniti commentarij Pontificiorum veterum & recentium inter se dissentientes in plurimis locis scripturæ exponendis. Vbi est E. R. communis & authentica interpretatio? Vociferantur omnes Papistæ scripturam ab hæreticis privato judicio intelligi, & in sequiorem sensum accipi. De hæreticis fateor ita esse. De reformatis certum est, eos nullum locum scripturæ aliter intelligere ac à piis & Catholicis olim doctoribus intellectus est. Unus est literalis & germanus sensus scripturæ. Hunc Ecclesia R. aut novit aut ignorat. Si novit, cur patitur tot doctores privatos in explananda scriptura desudare, adeoque suo sensu abundare? Sunt enim tot anni ab Ecclesiæ Christianæ incunabulis elapsi. Si ignorat, cur alios, ut Ecclesiæ sensum in tota scriptura evolvenda amplectantur, astringit? Sed exemplis rem illustrabimus. Missale Romanum hoc dictum, Prov. 8. 22. Beatæ Virgini accommodat, quod de æterna sapientia dicitur: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, à principio ab æterno ordinata sum.* Pius 5. *Hunc unum* (Papam) *super omnes gentes & omnia regna principem constituit, qui evellat, destruat, dissipet, disperdat, plantet,* *edi-*

Epist. in nat. S. Mariæ Virg.

Sentent. decl. contra reg. Angliæ.

ædificet. Concilium Tridentinum hæc verba: *Hoc facite in mei commemorationem*, ad sacrificium incruentum refert, quod in scriptura nullum est. Sed cui curæ cordique est horribilem depravationem & ineptissimam scripturæ ad negocia alienissima detorsionem & applicationem cognoscere, legat autores, qui de mysteriis missæ scripserunt, aut Innocentij 3. librum ceremoniarum sacratum, Rationale Durandi, Toletum de instructione sacerdotum. Hic probatur è scriptura altare lapideum, quia scriptum, *Petra erat Christus*: luminaria supra altare ponenda, quia *Christus est lux mundi*: Sacerdos osculatur altare; scriptum enim est, *osculetur me osculo oris sui.* tergum obvertit populo: nam scriptum est: *Videbis posteriora mea.* Minister in missa ad sacerdotis motum se conformet, nam Christus ait: *Vbi ego ero, erit etiam Minister meus.* Bis sacerdoti manus lavandæ sunt. Nam David ait: *amplius lava me.* Papa æreos nummulos die inaugurationis in turbam projicit, dicens: *Aurum & argentum non habeo, quod autem habeo, tibi do.* Quid ultra? Nonne religio comœdia facta est? Papa Adrianus integro libro suscepit Concilij Niceni 2. rationes defendendas, & dictorum allegationem probavit. Qua in re ludibrio se R. E. omnium mortalium, qui capti non sunt

Tom. 3. conc.

ſunt mente, judicio exponit. Videatur liber Caroli M. nomine editus in quo omnia ſolide refelluntur.

Papa Nicolaus autoritatem ſuam probat ex hoc dicto: *Macta & comede. Ad Petrum, ait, pertinet mactare & comedere.* Quid porro? *Specialiter Petro oſtenſum, hoc eſt, Soli illi juſſum eſt, ut rete plenum piſcibus ad littus traheret.* En quam egregie Coſterus paradiſum in infernum & contra infernum in paradiſum convertat. *Chriſtus ait latroni: hodie mecum eris in paradiſo. Sic inferni loca perluſtravit, ut tenebroſum carcerem in Paradiſum converterit, juxta illud quod latroni dixerat, Hodie mecum eris in Paradiſo.* Illud: Diliges Deum ex omnibus viribus, R. Eccleſia mirifice intelligit. Nam ſi lex omnes vires requirit, quomodo homo poteſt plus præſtare quam lex requirit? Bell. Medium, non finis imperatur. Vt cum Imperator ait: Vincite; vult milites fortiter tantum pugnare. R. finis duplex; internus, qui in perfectione ipſorum actuum conſiſtit, hic omnino imperatur, nam lex requirit omnes vires. Externus finis legis, nempe gloria Dei & ſalus, non opus eſt ut imperetur. Vltro enim conſequitur. Votum ſoli Deo reddendum; R. E. etiam ſanctis. Quid diſtinctionis affert? Bell. *Votum Deo ut ſummo principio, ſanctis ut mediatoribus reddi poteſt.* Sed votum

In Ep. ad Imp. Michaelem in tomis conc.

P. 442. In libro ſocietat. à Papa Gregorio 13. diplomate & indulgentiis anno 1577. probato.

tum est actus latriæ proprie dictus. Ita etiam sacrificium Deo & sanctis offerri posset. *Oravi pro te*, ait Christus Petro, *ne cesset fides tua*. Quam dextre hoc R. E. explicat? id est, Oravi pro te & Episcopis Romanis successoribus tuis propriè dictis, ut privatim quidem athei & Apostatæ possint esse, sed non publicè è Cathedra ullam hæresin profiteri, cum nempe totam Ecclesiam docent, confirmando concilia, idque in generalibus decretis fidei & morum. Ostendant Syrma hoc tam longæ interpretationis ullo seculo retroacto patribus Ecclesiæ cognitum fuisse. Clemens 8. illud: *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*, ad expeditionem illam refert, quam Ferrariæ occupandæ caussa suscepit. At Paulus loquitur de excommunicatione. Illud: *soli Deo servies*, latria ajunt, non δȣλεία, id est, servitute, non servitute. Non attendendum est quid ipsi velint eas voces significare; sed quid ex natura primaque impositione significent. Cultus itaque Creatoris & creaturæ his vocibus distingui non potest. Imo δȣλεία magis honorem Deo debitum exprimit, quia significat servitium absque mercedis intuitu factum; λατϱεία juxta Suidam opus mercenariorum. Peresius Ajala. *Nescio an proprie hujusmodi officium δȣλεία debuißet appellari*,

Vide Lexicon Hesychij. De trad. in 6. p. de cultu sanct.

cum

cum veneratio illa, quæ communiter ſanctis debetur, minime in ſignum ſervitutis exhibeatur. Omnes enim ſervi Dei ſumus, quanquam meritis & ſanctitate diſpares. Solum itaque Deum colimus religioſe; Fideles autem Chriſtiane, honore videlicet caritatis & ſocietatis.

Illud: *hoc eſt corpus meum*, qua tandem ratione R. E. intelligit? Ita ut nulli veterum unquam in mentem venit. Neſcit Romana Eccleſia quid Chriſtus voce *hoc* ſignificarit. At hoc facile eſt, id quod accepit, benedixit, fregit, & dedit. Hieronymus. *Panis quem fregit Dominus, deditque diſcipulis, eſt corpus Domini Salvatoris.* Deinde *hoc* demonſtrat id de quo ſermo eſt. at de nulla alia re ſermo quam de pane erat. Porro quod in cœna editur, voce hac demonſtratur: *edite, hoc eſt corpus.* At panis editur, Paulo teſte, cur Paulus figurate locutus eſſet? idque in inſtitutione cœnæ? Denique res conſpicua hac voce ſignificatur. Quomodo enim monſtres mihi quod videre nequeam? Oſtendat R. E. authenticam interpretationem. Alij edulium intelligunt neſcio quod. Innocentius & Scotus HOC ajunt nihil ſignificare, pronuntiari enim hęc verba recitativè. Bonaventura panem convertendum intelligit. τὸ eſt per fit explicat. Occam corpus, ſub ratione corporis. τὸ eſt per erit. Thomas, Ruhardus, corpus ſub ratione entis, quaſi

Ad Hebidiam.

1 Cor. 11. 6. 27. 28.

1 Cor. 10, 17

quasi non absurdum, corpus conspicuum demonstrare non sub ratione corporis. Plerique alij individuum quoddam vagum & commune pani & corpori. Quasi pronomen hoc non semper singulare quid denotaret.

CAP. IV.

Septem verè ac propriè dicta Sacramenta novæ legis à Christo non sunt instituta.



Acramentum à sacrando dictum, vocabulum militare est, & ab Ecclesiasticis scriptoribus ad sacras ceremonias traducitur, quibus Deo consecramur. Convenit sacramenta propriè dicta certas habere conditiones. 1. Ut signum sit VISIBILE, quod ex institutione divina gratiam significet, & afferat. 2. Necesse est ut mandetur signi applicatio ad perpetuum usum Ecclesiæ. 3. Promissio gratiæ per ea signa conferendæ adsit oportet. Jam vero in toto novo fœdere Christus nulla alia signa instituit, quibus Euangelij gratiam obsignet quàm Baptismum & Cœnam Domini. A-
1 Cor. 10. 1. postolus tantum baptismi & manducationis cibi Spiritualis meminit. Quo loco ut Thomas

mas Aquinas annotat Corinthios Apostolus docet sacramenta Ecclesiæ peccatoribus nulli usui, ut nec Judæis beneficia externa, quibus hæc duo sacramenta adumbrata sint. Quod si plura sacramenta Ecclesiæ essent, Apostoli argumentatio non valeret. Potuissent enim respondere sibi plura superesse quæ ipsos servent sacramenta, quibus Iudæi caruerunt. Augustinus: Ex latere manavit sanguis & aqua, quæ sunt Ecclesiæ GEMINA sacramenta: Aqua qua Sponsa est purgata; sanguis quo dotata est. Isidorus hæc duo sacramenta recenset, addit autem Chrisma, quod baptismo moris erat addi. Bessarion: *Hæc duo sola sacramenta in Euangeliis manifestè legimus tradita*. Fatemur autem hac patres voce usos fuisse impropriè ad quodvis sacrum signum denotandum; sed eos negamus eodem sensu cœnam & baptismum reliquaque dixisse. Propriè acceptam vocem duobus tantum usibus applicant, baptismo & cœnæ. Cyrillus & Ambrosius in libro ubi nihil aliud propositi habebat quam tractationē Sacramentorum Ecclesiæ. Quis existimet tantum Doctorem Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta ignorasse? Paschasius Abbas tempore Caroli Magni. *Sunt sacramenta in Ecclesia Baptismus (& Chrisma) corpus quoque & sanguis Domini. Ecce duo ista sacramenta quid efficiunt?* Chrisma autem erat

De symb. ad Catech. l. 2. c. 6.

In originibus l. de sacra Euchar.

In Catech. 6.

In Biblioth. patrum de Cœna Domini.

erat appendix baptismi. Summa; verbum vel scriptum vel traditum ostendant, quo ante Florentinum concilium hic Sacramentorum septenarius numerus ab Ecclesiæ fide receptus fuerit. At neutrum ostendent. Ergo non est hæc Apostolica & antiqua fides. Cassander fatetur: *neminem inveniri, qui ante Lombardum hunc numerum definierit.* Bellarminus: *de Baptismo & Eucharistia res notissima est, de aliis sacramentis non est ita notum.*

De num. Sacram.

De sacram. in genere l. 1. c. 9.

De confirmatione.

L. de num. sacram. c. 3. p. 337.

Alexander Alensis asserit, teste Gregorio de Valentia: *Confirmationem non à Christo, sed ab Ecclesia institutam fuisse.* Holcotus negat *confirmationem esse propriè sacramentum.*

Cass. consf. art. 13. Instruct. sacerd. l. 2. c. 24.

Toletus. *In unctione Apostoli oleo non sunt usi, sed ex divina dispensatione sola manuum impositione confirmabant.*

At impositio manuum facta ab Apostolis sacramentum fuit donorum extraordinariorum miraculosè in Ecclesiam collatorum. Non autem contulit gratiam justificantem. Manum imponebant. De oleo nihil. Forma ignota, *Signo te signo crucis & consecro te chrismate salutis in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti,* totis primis 7. seculis. Hinc Suaretz cum Thomistis fatetur, *impositionem illam manuum ab Apostolis per-*

In 3. p. d. 33. s. 4.

peractam non fuisse sacramentum confirmationis, quod nunc R. E. observat. Nam differre in ritu sensibili nimium, imo nec stabilem ritum fuisse.

De matrimonio.

De hoc non tantum Lombardus negat, in eo conferri gratiam, sed etiam post eum Durandus, Bernhardinus, Canonistæ, cum aliis negant, hoc esse propriè dictum sacramentum, sicut alia. Item Cassander. Num credibile est, tam doctos viros fidem veteris Ecclesiæ fugisse? *In materia & forma hujus sacramenti adeo inconstantes & incerti sunt, ut ineptus sit, qui in tanta varietate rem certam conetur efficere.* Hæc est Confessio Cani. L. Th. l. 8. c. 5.

De extrema unctione.

Cajetanus negat, hoc ex loco Iacobi colligi posse sacramentum. Est autem ex contextu manifestum. Maldonatus: *Quod Calvinus, idem nonnulli (mitto vetustiores quos prohibet reverentia nominare) nuper Catholici docuerunt.* Textus promittit *allevationem* infirmo, deque remissione peccatorum cum conditione loquitur. Fevardentius: *Effectus hujus olei erat, ut à morbis corporis sanarentur, quod in initio nascentis Ecclesiæ frequens accidisse legitur.* Fasciculus temporum: *Felix jussit infirmos ante transitum ungi.*

Comm. in Marcum 6. 13.

Comm. in Iacob 5.

De ordine.

L. 10. de just. & jure.

Dominicus à Soto negat ordinationem verè & propriè ſacramentum eſſe. At quomodo, ſi Eccleſia id credidiſſet? Itane Eccleſia 7. illa ſacramenta à Chriſto inſtituta ad perpetuum uſum Eccleſiæ, ſigna illa gratiæ conferenda ignoravit TAM DIV? Sed ut Eccleſia R. ſibi poteſtatem vindicat CONSTITVENDI quod ad fidem pertinet, idque de integro; ita haut dubie eadem poteſtate uſa eſt in ſacramentis novis firmandis.

Bell. contra Barclajum.

De pœnitentia.

Ioh. 20.

Si quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt. Promiſſio hic adeſt, ſed ſigno deficitur & forma. Ad verbum verbum accedit, quod non ſufficit. Forma hujus ſacramenti nec in ſcriptura, nec in tota antiquitate reperitur. Ajunt in his verbis: *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*, formam hujus ſacramenti *virtualiter* contineri. Ergo in verbis ſequentibus: *Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt*, forma alicujus contrarii ſacramenti continetur. Hoc loco excutiendum eſt illud dogma Romanæ Eccleſiæ, de privata peccatorum confeſſione coram Sacerdote, Jure divino ad ſalutem neceſſaria. Maldonatus. *Vnus finis confitendi eſt, ut obliget homines, ne ipſi judices ſint, an habeant pecca-*

Sum. q. 18. a. 8. & 34.

peccatum, & an illud sit mortale an veniale; quia plerumque imperiti sunt, ideoque cogendi sunt exponere, quicquid fecerunt, sacerdoti, ut judicet, peccarint nec ne. Proprius finis confessionis est, ut peccatores vi clavium obtineant remissionem peccatorum. Quapropter Sacerdos debet omnia remittere, & quia non potest remittere, nisi qui audit omnia, debet audire. At hæc omnia ne Satan quidem κατηγόρος fratrum novit.

Decretum in Concilio Tridentino extat, In veteri olim Ecclesia publicæ pœnitentiæ receptæ erant, quarum ubique mentio fit, nusquam autem hujus privatæ sacramentalis, tanquam ad salutem necessariæ usus injungitur. Glossa. *Alii dicunt quod in Novo Testamento instituta sit à Jacobo dicente: confitemini invicem peccata. Sed melius dicitur, eam institutam fuisse, à quadam universalis Ecclesia traditione* (quod falsum, nam Orientis Ecclesiæ eam respuerunt,) *quam vel ex novi vel veteris Testamenti autoritate.* Paulo post: *Necessaria est in mortalibus confessio: apud Græcos non, quia non emanavit ad istos traditio talis.* Sed quæ confessio necessaria est? Publicani. Confiteri Deo & hominibus publicè vel privatim peccata, pium ducimus, divinis enim legibus id consentaneum. Act. 19:18. fatetur Cajetanus nullam scrupulosam recensionem Sacramentalis confessionis insti-

Sess. 14. c. 5.

In Can. 5. dist. de pœnit.

tui: sed nihil aliud significari, quàm eos vitam antecedentem improbasse. Fatebantur peccata publicè vel in genere ut Lorinus Jesuita concedit. Nam textus non de baptizatis, sed de Catechumenis loquitur, qui sacramentalis confessionis nondum capaces esse creduntur. Lombardus: *Quibusdam visum est, sufficere, si soli Deo confessio fiat sine judicio sacerdotali; quia David: Confitebor Domino, & non ait, Sacerdoti, & tamen sibi remissum peccatum dicit*. Gratianus: *Quibus autoritatibus vel quibus rationum firmamentis utraque sententia nitatur, in medium exposuimus. Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Vtraque enim à prudentibus & piis defenditur.* Anno 817. habitum est Concilium Cavallonense. c. 33. *Quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata. Quidam vero sacerdotibus confitenda percensent. Sententia Concilij est, utrumque modum confessionis fructuosum esse*. B. Rhenanus præf. in arg. Tert. de pœnit. *Publica exomologesi usi sunt antiqui multis seculis priusquam ista secreta nasceretur, de qua Tertullianus nihil habet, qua penitus id temporis ignorabatur.* idem Polydorus Virgilius l. 6. c. 1. Deleatur, ait, index 196. in recens. operum ejus. Idem Maldonatus summul. q. 20. a. 1. *Confessio longo tempore in Ecclesia prisca est olim facta publica*. Ambrosius duos libros scripsit

L. 4. sent. dist. 17. lit. C.

Dist. 1. de pœnit. c. 89.

ſcripſit de pœnitentia & duos de ſacramentis. In nullo potuit aliquid reperiri pro confeſſione auriculari niſi hoc: *Confitere Deo & ſacerdoti peccata.* Sed crimina enormia intelligit: ait Deum tribus ſyllabis acquieviſſe: *peccavi.* Citat exemplum Davidis, cujus confeſſio ſacramentalis non erat. Deinde Poſſevinus ait, eum librum Ambroſij non eſſe. Itaque certum eſt, totam antiquam & Catholicam Eccleſiam hoc dogma ignoraſſe: Neminem poſſe ſervari, niſi Paſtori ſuo ad minimum ſemel toto anno omnia & ſingula mortalia peccata, quot ipſi memoria poſt debitum examen ſuggerit, cum circumſtantiis, ex quibus qualitas peccati dijudicari poſſit, ſacramentali confeſſione revelet. Hoc jugum nec Deus nec vetus Eccleſia Chriſtianis impoſuit. Nec Chriſtus unquam hac conditione remiſſionem peccatorum hominibus promiſit. Oſtendant adverſarij unum locum ſcripturæ. Hæc autoritate divina deſtituta doctrina quot angores conſcientiæ parit? Semper enim dubius eſt Chriſtianus num debitum illud examen adhibuerit. Catechiſmus Trid. *Neque peccatorum veniam à Domino impetramus, niſi ea pœnitentia ſacramentum per confeſſionem deleat.* At quomodo Chriſtiani ſimplices peccata mortalia à venialibus diſtinguent? Num ipſi judices erunt? Aut tenentur omnia De pœnit. ſacr.

tam mortalia quam venialia confiteri ut Maldonatus docet, quod tamen ἀδύνατον; aut judicium peccatori relinquendum est, cujus conditionis peccatum sit. Nonne doctissimi Scholastici in iis discernendis occupantur & dissentiunt? *Qua ratione distinguatur peccatum veniale à mortali, non una est sententia doctorum, sed variant in infinitum opiniones.* Septem peccata mortalia R. E. tradit. Inter ea non comparet Idololatria, nec hæresis, nec proditio, nec atheismus. Quod si hoc cujusque opinioni relinquunt ut de peccato judicet, sitne veniale vel secus, homo suiipsius judex erit. Hoc autem rei non est, de delicti qualitate judicare. Interim non reprehendi potest, si quis præsuli suo, omnia peccata privatim revelet, hoc enim serium contritionis studium indicat, sed plurima sunt quæ honestius taceantur. Ipsi Confessarij, dum mulierum confessiones audiunt, fatentur se in pollutiones incidere. Quid quod ipsi meretrices hac lege confessionis eximunt? Sa, Aphorismo; Confessio: *Meretrices non comprehenduntur statutis synodalibus excommunicantibus non confitentes, aut non communicantes in Pascha. Itaque tales non denunciantur.* At hæ omnium maxime ea opus habere videbantur. Toletus loco citato: *Qui in villis & pagis confitentur, non tenentur tam exacte scire omnia sicut*

Medina in 1. 2. q. 88. art. 1.

Tolet. instr. sacerd. l. 5. c. 13.

ſicut in civitatibus. B. Rhenanus fatetur: *Thomam & Scotum, homines argutos, confeſſionem talem reddidiſſe, ut Iohannes ille Gilerius gravis ac ſanctus theologus teſtatus ſit, juxta illorum δεδυπερώσεις impoſſibile eſſe confiteri*. Hinc Veteres & Catholici Eccleſiæ doctores, aliter nos inſtituerunt. Hilarius: *Nulli alij docet confitendum, quam qui fecit olivam*. Caſſianus: *Quod ſi verecundia retrahente revelare ea hominibus erubeſcis, illi, quem latere non poſſunt, confiteri peccata jugi ſupplicatione non deſinas*. Nectarius patriarcha ob ſcandalum quoddam obortum pœnitentiarium abrogavit, & cuique liberum permiſit, prout ejus conſcientia ferret, ad ſacrorum communionem accedere. Sozomenus addit: Epiſcopos judicaſſe, conſuetudinem eſſe nimis rigidam, ut palam homines Eccleſiæ ſua peccata manifeſtarent, ideoque conſtituiſſe ſacerdotem ἐχέμυθον, qui peccatores audiret, eiſque pœnam injungeret. Quem morem, ait, in Romana Eccleſia ad ſua tempora duraſſe: porro confeſſionem liberam cujuſque conſcientiæ reliquiſſe: hac occaſione ſeveritatem diſciplinæ collapſam. Sed putandum non eſt, Publicam pœnitentiam à Nectario abrogatam, quæ recepta erat in apertis & publicis ſcandalis. Sed his, qui aperto offendiculo Eccleſiæ non fuerant,

In Pſ. 51.
20. Coll. c. 8.
Socrates l. 5. c. 19.
Sozom. l. 7. c. 16.
Hiſt. Trip. l. 9. c. 35.

peccatoribus liberum relictum, ut sua vel sacerdoti peccata vel soli Deo confiterentur, *non ut sibi confessarium privatum eligerent; sed ut ad mysteriorum communionem accederent, prout sibi quisque conscius esset & confideret.* Ita enim Chrysostomus successor mentem Ecclesiæ Catholicæ declarat: *Iustus in conscientia, astante nemine præter eum, qui cuncta videt, Deum, qui & scrutatur & de peccatis judicat. Reforma quod deliquisti & sic pura conscientia sacram attinge mensam.*

Serm. 30. ad populum Antioch. Hom. 8. de pœnit.

2. Chrysostomus omnem confessionem excludit, quæ homini fit, non Deo. Talis autem est privata confessio ut coram homine necessario fiat. Chrysostomus aperte hom. 31. *Confitere peccata tua Domino: confitere ea judici tuo. Hoc judicium sine teste sit, nemo adsit nisi Deus, qui confessionem tuam videat.* Deum introducit loquentem: Ἐμοὶ τὸ ἁμάρτημα εἰπὲ μόνῳ ϗ κατ' ἰδίαν. *Mihi peccatum dic soli & privatim.* οὐδὲ θεὸς ἀναγκάζει παρελθόντας εἰς μέσον ἐξειπεῖν τὰ πεπλημμελημένα· ἀλλὰ αὐτῷ μόνῳ ἀπολογήσασθαι κελεύει. id est, *Deus non cogit prodire in medium & enuntiare peccata, sed sibi ei confiteri jubet.* Hanc doctrinam tota Ecclesia Orientis amplexa fuit, & ad nostra usque tempora in Græca Ecclesia perduxit: Quod ajunt, his Chrysostomi locis satis factoriam

Ab Hebr. hom. de pœnit. & confess.

Hom. 28. ad populum Antiochenum.

ctoriam & publicam confeſſionem tolli, non privatam judicatiam, hoc ipſa praxi Eccleſiæ Græcæ refutatur, quæ privatam illam judicariam nunquam agnovit. Sed Chryſoſtomi verba nimis manifeſta ſunt, quam ut detorqueri poſſint in illum ſenſum. Nam Hom. in Pſalmum 50. ait, *ἀλλὰ αἰσχύνῃ διότι ἥμαρτες; λέγε αὐτὰ καθ' ἡμέραν ἐν τῇ εὐχῇ σου. καὶ τί δέ; μὴ γὰρ λέγω, εἰπὲ τῷ συνδούλῳ ὀνειδίζοντί σοι, εἰπὲ τῷ Θεῷ θεραπεύοντι αὐτά. Sed te pudet peccatorum? Dic ea quotidie in oratione tua. Quid vero? Non dico ut confitearis conſervo tuo exprobranti. Dic Deo curanti ea.* Hæc tam manifeſta ſunt ut Lombardus parens ſcholaſticorum acutiſſimus, & veteris Eccleſiæ morum maxime gnarus, ita de hac re ſentiat: Sane dici poteſt, quod ſine confeſſione oris & ſolutione pœnæ exterioris peccata delentur per contritionem & humilitatem cordis. Hinc liquet quid ſentiendum ſit de decreto Concilij Tridentini: *Si quis negaverit confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam non eſſe jure divino, anathema ſit.* Hoc jus divinum nunquam Synodus Tridentina oſtendit, neque Chryſoſtomus in Scriptura invenit, qui tamen Scripturæ ſacræ notitia patribus iſtis omnibus merito anteferendus, neque Scholaſtici

Hom. 20.

L. 4. diſt. 17. lit. 13.

Seſſ. 14. can. 6

lastici Doctores Ecclesiæ R. neque ipse S.
Confess. l. 10. c. 3. August. *Quid ergo mihi cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturæ sint omnes languores meos. Curiosum genus ad cognoscendam alienam: desidiosum ad corrigendam* In Cajetanum fol. 181. *suam vitam.* Catharinus: *Summa industria scriptura niti videtur, ubi de peccatorum confessione aliquid legitur in scripturis, ut sacramentalem & auricularem tollat.* Ferus Com. in Matt. l. 2. *Non est vere & proprie potestas remittendi peccata, sed facultas tantum, pronunciandi, declarandi, testificandi, à Deo ea esse remissa. Nec aliud est absolutio quam si dixero: en te certum reddo, remissa esse tibi peccata.*

Romana Ecclesia potestatem remittendi peccata, quoad actum judicialem, non tantum ministerialem, sacerdotibus tribuit, idque contra veræ Ecclesiæ Christianæ judicium.

Hieronymus in Matt. c. 16. *Et dabo tibi claves regni cælorum. Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum adsumunt supercilio: ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Ut sacerdos leprosum mundum vel immundum facit: sic solvit vel*

vel alligat Episcopus & Presbyter. In eo itaque qui proprie judex est, à quo sententia emanat, requiritur cognitio peccati distincta: at Præco sententiam principis promulgat, qui tamen crimina subditorum sigillatim non cognoscit. Ministri Ecclesiæ sunt præcones, generalem absolutionem promulgantes, quam quilibet fidelium peccata sua agnoscens, fide sibi applicat. Hoc in baptismo adultorum manifestum est. In eo enim ipsi peccata remittunt, quorum nullam cognitionem habent. Hinc Adrianus Papa fatetur probatissimos Theologos sensisse claves sacerdotij se non extendere ad remissionem culpæ. Al. Ales negat sacerdotis potestatem se extendere *ad culpam delendam per modum impertientis vel imperantis, sed deprecantis.* Cum itaque hoc caput religionis summi momenti sit, quod de remissione peccatorum agit, consideratione dignum quomodo vetus & Catholica Ecclesia hanc potestatem remittendi peccata Ministris Ecclesiæ tribuerit. Ante omnia minime ea gratiæ divinæ dispensationem à scelerati vel non baptizati, vel non legitime sacerdotis ordinati intentione suspendit, ut R. E. facit in Concilio Tridentino: *Non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi ipsi multa adsit contritio, at sacerdoti animus seria agendi & vere absolvendi desit, putet tamen*

Quodl. q. 5. p. 4. q. 80.

Sess. 14. c. 6.

men se propter suam solam fidem (si hæc fides vera est, de qua sola quæstio est an non aperta blasphemia?) *vere coram Deo absolutum esse.* Nec enim fides sine pœnitentia (id est sine sacramento pœnitentiæ quod nullum est, ubi intentio administrantis deest ex definitione ipsius Concilij) remissionem ullam præstaret. Sic salus Christiani à voluntate alterius hominis pendêt. Hæccine doctrina est Catholica? Dominus quidem ait: *Quorum peccata remiseritis, his remittuntur; & quorum retinueritis retenta sunt.* In quem locum Ambrosius: *Dominus par jus ligandi & solvendi voluit esse, qui utrumque pari conditione promisit. Quomodo potest alterum licere, alterum non licere.* Remittere peccata est homines liberare pœna iis debitâ. Vnde sequitur Pastores eadem ratione peccata remittere, qua eadem punire possunt. Seu possunt tales pœnas remittere, quas possunt infligere. Hoc totum de censuris Ecclesiasticis intelligendum. Remittunt etiam peccata quoad æternam pœnam, sicut animas servant Iacobi 5. quia Deus eorum ministerio utitur in hominibus servandis. Metonymica itaq; locutione id quod proprium causæ efficientis, instrumento tribuitur. Sicut nuntius λύτρον afferens à Domino captivum redimit. Sed adversarij sacerdotibus tribuunt non tantum in foro Ecclesiastico, sed etiam

De pœnit. l. 1. c. 2.

etiam conſcientiæ interno, non tantum poteſtatem miniſterij; ſed judicij, ita ut ſine ſacerdotum ſententia poſt baptiſmum lapſus nemo cum Deo poſſit reconciliari. Si hoc ita ſe habet, Deus & homo ſunt partes contrariæ: Sacerdotes de utraque judicant. Bell. de pœnit. l. 3 c. 2. Vtque judicium ſacerdotum integrum & ratum ſit, ſigillatim peccatorum omnium habitudinem explorant. Conſideratis omnibus circumſtantiis cauſæ dicunt: *Ego abſolvo te.* Iam Deus tenetur vel remittere vel non remittere. Si tenetur, præſupponendum quod peccatores confeſſi ſemper vera pœnitentia qualem Deus requirit præditi fuerint, quod tamen non ſemper ita ſe habet ob hypocriſin: Si non tenetur, quomodo verum illud: *Cuicunque remiſeritis peccata, remiſſa ſunt.* Hanc tamen privatam abſolutionem nihilominus neceſſariam ſtatuunt, cum ea poteſt obtineri. Negatur remiſſio ajunt, quibus ſacerdotes noluerint remittere. Bell. l. 3. de pœnit. c. 2. Sed non ſolebant Apoſtoli ita concionari: *Niſi vobis peccata remiſerimus, ſalute excidiſtis*: ſed ita: *qui in Ieſum Chriſtum credit, remiſſionem accipiet peccatorum in nomine ipſius.* Act. 10. 43. Qui ergo vere credit ante iſtam abſolutionem, remiſſionem habet, quod Concilium Trid. cogitur fateri: *Contritionem ita perfectam caritate eſſe poſſe, hominemque cum Deo reconciliari, priuſquam* Seſſ. 14. c. 4.

hoc

hoc sacramentum actu suscipiat. At votum confitendi necessarium. At qui id facit eo fine, ut remissionem absolutione impetret sacerdotis, quam jam accepit, petet id sibi dari, quod se jam credit accepisse. Qui ergo tali contritione præditus sacerdotem adit, cum ei peccata jam remissa sint, nihil ab eo accipit, quod non habeat. Sacerdos absolvit absolutum, judicat de re judicata: actum agit: Qui autem vera contritione & caritate destitutus sacerdotem adit, quid ille accipit? Nihil præter illud: Ego absolvo te. Verbum cujus nulla efficacia est: illud enim in verè pœnitentibus tantum ratum est. Certum itaque est, solum Deum in foro conscientiæ judicem esse. Nullus hominum judiciaria absolutione potest animam liberare à necessitate reddendæ rationis coram tribunali Dei: nec vi sententiæ à se latæ peccata coram Deo tollere. Nam sacerdos nullus potest conscientiam peccatoris intueri, sine qua notitia absolute nemini potest peccatorum remissionem impertiri, æternæ condemnationi oppositam, quam in symbolo credimus. Hoc solius Dei est: Solum Deum oramus, ut peccata nobis remittat. Partis læsæ est, remittere. Consilium Dei firmum est: judicium sacerdotis incertum. Nam non constat, an id cum Consilio Dei consentiat, sine quo consensu irritum

ritum

ritum est. Cum itaque veri judicis sit, peccatoris conscientiam nosse: sacerdoti eas partes de conscientia judicandi non esse attribuendas, manifestum est. Ipsi fatentur, sacerdotem non posse judicis officio fungi, nisi peccata cognoscat, at hæc in voluntate & internis cogitationibus consistunt: ubi autem Christus sacerdotibus potestatem dedit, de conscientia incognita judicandi? Summa: remittere alicui peccata ex autoritate judiciali, est homini donare vitam æternam, quod sacrifici in absolutione moribūdorum faciunt: hujus enim absolutionis effectum extendunt ad alteram vitam, itaque ei beatitudinem adjudicant sic, ut Deo exsecutio sententiæ latæ tantummodo relinquatur. Verus enim judex sententiam ex autoritate pronunciat, quam executio necessario sequitur. At contra Deus nunquam remittit, nisi peccatorem verè pœniteat peccati, & in Christum rectè credat. Hoc Sacerdotem latet. Non igitur judex est, quia non novit, an absolutio sua rata an irrita sit. Hinc absolutio: Quantum in me est, ego te absolvo. Suaretz: Sacerdos absolvit, nisi is, qui absolvitur, impediat. Toletus triplicem conditionem adjungit absolutioni: *primam de præterito*: *Si fecisti hoc, ego te absolvo: alteram de præsenti: si ita est, ego te absolvo. Tertiam de futuro: si hoc feceris, ego te absolvo. Ubi*

De pœnit. p. 3. th. 1. Instr. sac. l. 3. c. 12.

dee-

deerit una harum conditionum, absolutio nulla est. Nonne hic peccator æque incertus est ac ante fuit? Quale hoc judicium, quod nec Judex nec reus novit, an ratum sit. Intentio ignota est sacerdotis: Sacerdoti sua potestas, licet omnes cõditiones in confitente adsint, ignota est. In quem labyrinthum decidit peccator, si salus ejus ab absolutione hominis pendet? Quid quod etiam multimodis sacerdos irregularis fiat? Hinc dicimus: aut vera pœnitentia præcessit, vel non. Si prius; peccator absolutus est à Deo, licet sacerdos nolit eum, vel non possit, absolvere. Si non; tum sacerdotis nihil absolutio valebit. Hæc remissio se ad mortuos extendit. Toletus: *Potest excommunicatione contracta in vita absolvi post mortem.* Hoc testantur altaria (quæ vocant privilegiata,) ut quoties super eis Missa fit, anima è purgatorio liberetur, quæ placeat. Romæ pauca altaria, quæ talia privilegia non habeant. Navarrus: *Non parum dubitatum fuit, an Papa indulgentiam extendere possit ad mortuos.* Et tamen ubique tot altaria. Quod si per modum intercessionis animas liberaret, non solus Papa hanc sibi potestatem reservaret. Cur enim non aliis liceat orare pro defuncto? Verba bullæ potestatem & jurisdictionem significant in his privilegiis altarium. *Plumbum & membrana signa sunt remissionis, quam Pontifex*

Instr. sacerd. l. 1. c. 7.

Com. de jub. & iud. 22. obs.

Bell. de indulg. c. 5.

tifex pro potestate à Deo accepta concedit. Preces non concipiuntur in forma Mandati, sed videamus porro, quo impudentia hæc potestatis judiciariæ se extendat: *Absolvi potest, qui ex rationabili & justa causa non vult omittere peccandi occasionem, modo proponat firmiter non peccare, etiamsi aliquoties sit relapsus. Potest absolvi quis non solum sine dolore; vel etiam invitus, & ab una excommunicatione, relicta altera. Absolutus simpliciter, sed præstita cautione de satisfaciendo si non satisfaciat, non reincidit.* Item: *Absolutio injusta valet. Nec femina nec laicus nec simplex sacerdos absolvere possunt, nisi ex privilegio aliquo. Ignarus absolvi potest*: Invitus item in foro exteriore. Sed quid antiqua Ecclesia de hac absolutione sensit? *Ignoravit.* Olim enim satisfactio publica præcedebat absolutionem. Fit mentio privatæ confessionis; sed non privatæ, judiciariæ, ex necessitate divini mandati omnibus injunctæ. Augustinus: *Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt,* HORTOR *prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari.* Factam confessionem privatim publica pœnitentia sequebatur; prout Episcopus consultum judicabat. Augustinus publicis criminibus obstrictos non cogit, sed hortatur hanc Ecclesiasticam legem observare. In tota antiquitate nemo

Sa aphorismo in verbo absolvere.

Toletus instr. s. l. 1. c. 14.

De dogm. Eccles. c. 53.

peccatorem censuris Ecclesiasticis liberum ita compellavit: *Ego te absolvo: Ego remitto tibi peccata tua.* Cyprianus expressè: *Nemo se fallat, solus Dominus misereri potest: Veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit. Homo Deo non potest esse major.* Ambrosius: *Non potest hoc cuiquam hominum cum Christo commune esse, ut peccata condonet.*

De lapsis.

Ep. 7.

Theodoretus graphicè depingit Papistas in describendis hæreticis Andianis: Τοῖς ὡμολογηκόσι δωροῦνται τὴν ἄφεσιν, οὐ χρόνον ὁριζόμενοι εἰς μετάνοιαν, ὡς κατακελεύουσιν οἱ τῆς ἐκκλησίας δεσμοί· ἀλλ' ἐξουσίᾳ ποιούμενοι τὴν συγχώρησιν. id est: *Confessis donant remissionem, non tempus definientes ad pœnitentiam, ut jubent Ecclesiæ vincula, sed potestate remittentes.* Optatus: *Ecce in Esaia promisit Deus inalbare peccatis affectos, non per hominem.* Cyrillus Alexandrinus: *Certè solius veri Dei est, ut possit à peccatis homines solvere. Cui enim alii prævaricatores legis liberare à peccato licet, nisi legis ipsius autori?* Augustinus: *Futuri erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto. Sed in eo pharisæus melior. Nam qui es homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse medicus? mecum quære medicum.* Hieronymus: *Solvunt Apostoli sermone Domini, & testimoniis scripturarum, & exhor-*

L.4. de hæresi Andianorum.

Lib. 5. contra Parmen.

L. 12. in Ioh. c. 56.

Serm. 23. de So. serm. 36. in Ioan.

L. 6. in Es. c. 4.

exhortatione virtutum. Lombardus: *Sacerdotibus non concessit Deus potestatem culpam dimittendi seu ligandi; sed ostendendi, homines esse ligatos vel solutos.* Hinc neque olim in Ecclesia forma absolutionis judiciaria, recepta erat: Ego absolvo te; sed per modum deprecationis fiebat, quod Alexander Ales fatetur. Pontificale Romanum C. de reconc. hæret. continet plurimas preces quibus Episcopus Deum precatur, ut hæreticum absolvat. Ibidem reperiuntur nullæ preces, quibus Deus rogatur, ut defunctorum peccata deleat, quæ preces absolutiones appellantur. Ex 21 opusculo Thomæ videre est, quendam Doctorem E. R. censuisse absolutionem non impertiendam esse cum certitudine indicativa, nempe his verbis: Absolvo te: sed ita: Deus te absolvat. Ea verba: absolvo te, nova esse, ante 30 annos in Ecclesiam inducta, quorum in antiquitate nullum vestigium extet. Quorsum itaque hoc: *Tibi dabo claves Regni cœlorum?* Hæc promissio impleta est, cum Christus Apostolis potestatem remittendi peccata dat Hæc potestas in usu clavium. clavis duplex: scientiæ, & autoritatis. Hæc nihil aliud est quam Regimen Ecclesiæ. Regnum enim cœlorum hic, non Paradisum cœlestem, sed Ecclesiam significat. Ecclesiæ enim regimen, non Paradisi Apostolis concessum est.

Dist. 18. l. 4.

P. 4. q. 80.

Ioh. 20.

Neque est Pastorum, animas in Paradisum admittere; vel inde excludere. Solius Dei hoc est, qui æterno suo consilio decrevit, quibus peccata velit remittere. Electi secundum librum vitæ; non secundum sacerdotis sententiam judicabuntur. Ibi enim ipse judex rerum suarum satager. His itaq; verbis regimen Ecclesiæ Apostolo promittitur. Hoc regimen duplici ratione administratur: *Prædicatione Euangelij, & Ecclesiastica potestate.* His duobus modis peccata à Ministro remittuntur vel retinentur. Prædicatione Euangelij Ministri annuntiant pœnitentibus remissionem: impiis condemnationem. Nec hoc ut privati agunt: sed ut potestate instructi, tanquam legati & præcones hujus gratiæ, non ut judices. Ministerium reconciliationis Christus Apostolis, non judicium dedit, quod æque erga baptizatos, ac non baptizatos exercent, non itaq; sacramentum est. Pœnitentia enim à Christo prædicata, ut fatentur, sacramentum non fuit: id enim Ioh. 20. demum volunt institutum. At hæc pœnitentia Christianæ Ecclesiæ sufficit, quam Christus ante resurrectionem prædicavit. Potestate vero Ecclesiastica ut judices utuntur. Sed hæc exclusio ut ad Ecclesiam: ita admissio ad eandem intelligenda est. Sed quales satisfactiones hi judices Papisticæ Ecclesiæ peccatoribus

2 Cor. 5. 18.

ribus imponunt? Tales certe, de quibus antiqua Ecclesia ne per somnium quidem cogitavit.

Primum quidem negant, se pro pœnis æternis satisfactiones imponere. At docent, vi contritionis se commutare in temporalem pœnam, æternam: hanc porro purgatorij, absolutione sua in temporalem vitæ præsentis: hanc satisfactione à se imposita vel indulgentia tolli. Nam ut Alexander Alensis docet: *Dominus Papa potest & solet aliquando totam pœnam debitam simpliciter relaxare sine commutatione.* Vbi itaque prætextus iste justitiæ, quod culpa remissa, obligatio pœnæ temporalis restet? Sed pecunia opus est. Nam hi judices non gratis peccata remittunt. *Si quis forte non potuerit jejunare, & habuerit unde possit redimere: Si dives fuerit, pro 7. hebdomadibus det solidos 20. Si non habuerit, det 10. si nimis pauper fuerit, 3. Laicus blasphemans si nobilis fuerit, pœna 25. ducatorum mulctetur, pro secunda vice 50. fabricæ basilicæ Petri applicandis.* Ipse Baronius allegat verba Damiani: *Non ignoras, quod, cum à pœnitentibus, terras, possessiones agrorum accipimus, juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus.* Pœnitentiale Romanum: *Duodecim triduanæ singulæ cum Psalteriis tribus impletis, & cum palmatis trecentis* (alapis) *per singula psalteria excusant*

P. 4. q. 33. m. 6

Decretum Burchardi c. 19.

An. 1055. §. 9.

Burch. l. 19. c. 23.

Decretum Bochel'i l. 5.c.6

Matt. Parif.

Weftm. in Ioanne.

cufant unius anni pœnitentiam. Pafchalis 2. anno 1107. mandavit Comiti Ruperto Flandriæ, ut Clerum Cameracenfem & Leodienfem trucidaret in remiffionem peccatorum, Innocentius 3. donabat Regi Galliæ Philippo, remiffionem omnium peccatorum, hac conditione, ut regnum Angliæ invaderet, fpoliaret, occuparet. Iam vero propter unum peccatum mortale 7. vel ad mininum 3. anni confumendi funt in purgatorio, nifi quod ex indulgentiis & exequiis remedium afferatur, idque pro pecunia. Rofarium hic utramq; paginam facit: Flagellationes fpontaneæ, egregiæ contritionis & fatifactionis fpecimen. Hæc omnia vetus Ecclefia Chriftiana ignoravit. Nihil tale oftendent in ullo fcriptore, quod in abfolutionem judiciariam facerdotis, fatisfactio ob purgatorij pœnas devitandas cuiquam impofita fuerit. Ipfi volunt Deo fatisfacere: veteres Chriftiani Ecclefiæ, quam offenderant. Sed mirum quomodo facerdos Papifticus fatisfactionem imponit peccatori, qui cor peccatoris non novit, ut juftitiæ Dei ita conveniat, ut nec plus nec minus ea poftulet. Num etiam efficacia fatisfactionis noftræ ex meritis Chrifti? Bellarminus hoc negat. *Si quis poft gratiam reconciliationis adeptam adhuc fit reus luendæ pœnæ temporalis, is non neceffario meritis Chrifti eget, ut per ea reatus illi fimpliciter*

Lib. 1.c, 1. de pœni.

citer

citer condonetur. Sed hæc ſatisfactio vergit in injuriam Dei, qui duplicem ſatisfactionem pro una culpa flagitet. Certè ſatisfactio Chriſti quæ ſufficit pro culpis & pœnis omnibus, non minoris à Deo æſtimatur quam valet. Satisfactiones etiam ſuas indulgentiis tollunt. Fatentur igitur eas non eſſe neceſſarias. Certum eſt Romanam Eccleſiam beneficia Chriſti minuere, ut hominibus mulctas pecuniarias imponendo diteſcat. Chriſtus ἐχαρίσατο ἡμῖν πάντα τὰ παραπτώματα. *Gratis condonavit nobis omnia peccata.* Col. 2. 13. Remiſſionem perfectam petimus & credimus. Non eſt autem perfecta remiſſio, ubi pœna pro culpa luenda reſtat. Hinc ſcriptura ait, eos qui in Domino moriuntur, à modo, à laboribus requieſcere, Apoc. 14. illud ἀπάρτι, oſtendit, ad idem tempus beatitudinem & mortem referri. In Domino, ſtatus notatur, in quo ſunt ij qui moriuntur. Dominus, Matt. 18. 32. Totum illud debitum remiſi tibi, quia orabas me. Hæc remiſſio nihil pœnæ reſervarat. Eſt autem exemplum remiſſionis peccatorum. Si remiſsâ culpâ perfecte pœna reſtat, duplex credenda eſt remiſſio. Quis ſic loquitur? princeps furi non tantum furtum, ſed etiam ſuſpendium remiſit, Nemo. Nam remiſſio furti ſufficit. Imo quid poteſt re-

mitti præter culpam? Nam remissio culpæ nihil aliud est, quam pœnæ condonatio. Cum pater filio delictum condonavit: num opus est ut ei castigationem remittat? Hæc doctrina Deum crudelitatis accusat, quod horribiliter cruciat animam propter culpam perfecte remissam. Nam si anima culpæ affinis sit, ea non est remissa: si non sit, injuste torquetur. Est enim innocens. Sola enim culpa efficit ut pœna justa sit. Neque Christus alio fine omnes pœnas tulit, nisi ut nos ab iisdem liberaret. Si justitia divina exigit, ut purgatorio, tanquam medio, satisfactio Christi pro pœna temporali applicetur: Cur Papa indulgentiis hoc medium tollit? Sed quæro, an Christus pro pœnis purgatorij satisfecerit. Si negant, satisfactioni Christi tanquam finitæ aliquid adjici potest: si affirmant, eo fine hoc fecit, ut nos ab iis liberaret. Si tulit, abstulit.

CAP. V.

De justificatione & libero arbitrio.

Epistola ad Diognetum.



VStinus Martyr. Τί ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι, ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη; ἐν τίνι δικαιωθῆναι τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς, καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ τῷ

υἱῷ

υἱῷ τοῦ θεοῦ, ἵνα ἀνομία πολλῶν ἐν δικαίῳ ἑνὶ κρυβῇ, δικαιοσύνη δὲ ἑνὸς πολλοὺς ἀνόμους δικαιώσῃ, id est, *quid aliud peccata nostra potuit tegere, quam illius justitia? in quo justificari* (potuimus) *iniqui & impij, nisi in solo filio Dei, ut iniquitas multorum in uno justo occultetur, justitia vero unius multos iniquos justificet.*

Augustinus claudit librum de hac materia his verbis: *His igitur consideratis pertractatisque pro viribus, quas Dominus donare dignatur, colligimus non justificari hominem praeceptis bonae vitae, nisi per fidem Christi, hoc est, non lege operum, sed lege fidei, non litera sed spiritu, non factorum meritis, sed* GRATUITA GRATIA. Lib. de Spiritu & litera c. 13.

Thomas de Aquino fatetur: *implere totam legem esse impossibile, ut dicitur Act. 15.* In Ep. ad Gal. c. 3. lect. 4. Lombardus idem: *Illud praeceptum dilectionis non penitus impletur ab homine in hac mortali vita, sed ex parte, non ex toto. Quia ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus. In futura autem implebitur ex toto.* 3 Dist. 21. lit. F. Objicit: *Cur praecipitur homini ista perfectio, cum in hac vita nemo eam habeat? Quia non recte curritur, si quo currendum est nescitur.* Lit. G. Autor quaestionum ad Orthodoxos. *Si unus Christus divinam legem implevit, quomodo irreprehensibiles in lege ambularunt Zacharias & Elisabet?* Apud Iustinum Martyrem quaest. 141

Respondet; *aliud esse irreprehensibilem, aliud peccato immunem esse.* Solum Christum, qui legem nunquam violavit, peccato immunem esse. Proferunt nobis Hieronymum dicentem blasphemum esse, *Deum homini impossibilia mandasse*: in symbolo ad Damasum. Sed Marianus Victorius, Possevinus, docent hunc librum suppositititium esse. Idem Bellarminus. Hieronymus l. 2. contra Pel gium: *Hæc cuncta percurro, ut ostendam à nullo legem esse completam.* Imo in Ep. ad Galatas ait c. 3. diserte. *Neminem posse explere legem, & cuncta facere quæ jussa sunt.* Quid igitur Monachorum ista perfectio quę plusquam lex requirit, se præstare gloriatur aliud est quam apertus *Pharisaismus hypocritarum*? Adrianus (Papa factus) *sunt merita nostra & præparatio velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur, & perforat manum innitentis. Et velut pannus menstruatæ sunt omnes justitiæ nostræ, ut habetur Esajæ 64. Iugiter enim super pannum bonæ vitæ, quem justitiæ operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum.* Solius fidei justificationem quam Paulus tam diserte docet, quam turpiter R. E. explodit: at non Catholica & vetus Ecclesia. Fides quæ justificat, non est sola, etiam cum justificat, sed tantum sola est, quatenus justificat. Considere tur locus, Gal. 2. 16. εἰδότες ὅτι οὐ δι-

Ad tom. 9. opera Hieron.

In apparatu ad nomen Hieron.

De scriptoribus Eccles.

De sacram. Euch. fol. 20.

καιοῦ-

καιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως ἰησοῦ χριστοῦ. Titelm. Sed tantum per fidem. *Nisi* accipitur pro *non nisi* ait. Estius: constat voculam *nisi* frequenter in scripturis adversative sumi, ut idem valeat, quod *sed tantum*, ubi addit omnes interpretes Græcos & Latinos in hac interpretatione consentire, eamque ex sequentibus colligi, & ex cap. 3. ad Romanos. paraph. elucid. in hunc locum.

Cardinalis Contarenus: '*Promissio Dei, cui firmiter credit, ac propterea fiduciam concipit, qui justificatur, est (ut inquit B. Thomas in l. 2.) quod Deus remittat peccata & justificet impium per mysterium Christi.* Cajetanus in Iohan. 5. *Credere in Deum, est credendo confidere, & tendere in Deum, quod continet in se actum intellectus & voluntatis.* Bellarmini stupor hic notandus: *Qui credit in filium, habet vitam æternam. Atqui ego credo: Hanc assumptionem ait, non esse in verbo Dei, sed in opinione sua, quæ fallax potest esse.* Respondeo illam assumptionem esse in *sensu & experientia.* An non pudet Romanam Ecclesiam illius doctrinæ, quam tradit; neminem posse scire an credat in filium Dei, *nisi ex opinione quæ fallax possit esse?* Quid ipse Papa, an nescit hoc idem? Vega & Sotus R. E. Doctores docent: *aliquem esse sic certum de sua gratia atque certus est*

De justif.

Bell. l. 3. de inst. c. 3.

est Romam esse, evidentia sc. & experientia. Alioqui Catholici docent eam certitudinem, quæ nullam habeat de salute sua formidinem. Autor Enchiridij Coloniensis, Guillandus, imo multi Catholici, teste Vega, l. 3. de incert. gratiæ c. 7. post concilium Tridentinum, Catharinus, teste Pererio, com. in Rom. 8. n. 27. qui ait, universos patres hanc certitudinem contestari. Vbi manet spes illa Christiana quæ non confundit? At non omnes illi revera credunt, qui arbitrantur se credere. Respondeo, nec vident omnes, qui putant se videre. Qui tamen revera vident, certi possunt esse se videre. Toletus in c. 3. Ep. ad Rom. *Advertendum est, fidem non habere ex se efficaciam ullam, ut actus quidam noster est, remittendi & reconciliandi; sed virtutem totam procedere ex objecto ipso, nempe Christo, cujus virtutem & meritum disposuit Deus per fidem in ipsum applicare peccatori ad justificandum.* Idem Cardinalis Contarenus de justif. *Accipimus justificationem per fidem. Hanc acceptionem Thomas in 3. appellat applicationem. Inquiens, passionem Christi, esse veluti medicinam communem, quam quisque sibi applicat per fidem, & sacramenta fidei: Protestantes appellant apprehensionem, non ea significatione, quæ pertinet ad cognitionem intellectus, sed qua illud dicimur apprehendere quo pervenimus, & quod post*

motum

motum nostrum attingimus. Idem Cardinalis Contarenus in Rom. 4. *Notandum quod hanc imputationem justitiæ Scriptura nulli alteri rei tribuit, quam fidei.* Toletus in c. 3. ad Romanos. *Si fides qua ratione actus quidam est, ex se justitiam faceret, gratis justitia non daretur. Non usus est Deus operibus ad justificandum, sicut usus est fide, ne homines gloriarentur, tribuentes justitiam, operum virtuti aut merito.* Cajetanus: *Credere in eum qui justificat impios, innititur justitiæ alienæ, sc. Dei per Christum.* Ita Scriptura: Ioh. 1. 12. *Recipere Christum & credere in nomen ejus, unum esse tradit.* Cajetanus: *Iustitia legis ac propria, est observatio mandatorum legis: Justitia autem fidei remissio peccatorum.* Est itaque Catholica doctrina veteris Apostolicæ Ecclesiæ hæc: nos δωρεὰν θεοῦ χάριτι δικαιοῦσθαι. Gratis, Dei gratia. Quibus verbis Bellarminus non merita ait, excludi absolute: sed merita propria, quæ habemus ex nobis & non ex Deo. Sed Toletus Bellarminum refutat. *Non evademus, ait, difficultatem, dicendo, donum esse Dei ipsam fidem & pœnitentiam. Nam quamvis dona Dei sint, tamen simul opera arbitrij sunt. Confirmo adhuc hoc idem. Certum enim est opera legis etiam Dei esse dona: sine auxilio enim gratuito Dei non fiunt. Quod autem per gratiam, gratuitum donum justificationis nobis inhærens, non intelligatur;*

Rom. 3. 23. 24.

gatur; sed gratuita Dei voluntas liquido cuivis promptum est videre ex Apostoli objectione Rom. 6. *Permanebimusne in peccato, ut gratia auctior fiat? Num justitiam inhærentem peccato auctiorem posse fieri ab ullo sanæ mentis creditum fuit?* Sed totum negocium justificationis Cardinalis Contarenus describit: *Quoniam ad duplicem justitiam pervenimus per fidem, justitiam inhærentem nobis & justitiam Christi, nobis donatam ac imputatam, quoniam inserti sumus Christo, & induimus Christum, restat inquirere: Vtranam debeamus niti & existimare nos justificari coram Deo*, id est, *sanctos & justos haberi, Ego prorsus existimo, pie & christiane dici, quod debeamus* NITI, NITI, *inquam, tanquam re stabili, quæ certo nos sustentat, justitia Christi nobis donata: non autem sanctitate & gratia nobis inhærente. Hæc enim nostra justitia est inchoata & imperfecta, quæ tueri nos non potest, quin in multis offendamus, quin assidue peccemus.* Ipse Bellarminus: *si solum vellent: nobis imputari Christi merita recta eßet eorum sententia: quāvis is modus loquendi in scripturis & patribus aut nunquam aut rarissime inveniatur. Christus dicitur justitia nostra, quoniam satisfecit patri pro nobis, & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cum nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit. Hoc modo non eßet absurdum, si quis diceret nobis imputari Christi justi-*

Tract. de justif. Opera Contareni Paris edita anno 1572. Doctorum Regentium Theologicæ facultatis Parisiensis approbatione confirmata: in quibus nihil à Christiana veritate discrepans inveniatur.

Bell. de justif. formali causa.

justi-

justitiam & merita, cum nobis donentur & applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfecissemus. His verbis totam causam Bellarminus Ecclesiæ Orthodoxæ tradit vi veritatis victus. Quid enim aliud docemus? Contarenus: *Perpetuus est scopus Pauli, ut doceat nos esse insertos Christo. Vnde omnia quæ Christi sunt, nobis attribuit. Christus factus est peccatum pro nobis ut nos fieremus justitia Dei in ipso.* Vbi Bellarminus: *Dicimur justitia in Christo, justitia illa quæ est in ipso, non in nobis, quia sumus membra ejus. Quod enim convenit capiti, convenit membris, non ut sunt membra distincta à capite, sed ut faciunt unum & sunt unum cum ipso capite.* Thomas de Aquino: *Opera Christi ita se habent ad sua membra: ut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad seipsum*: tandem notent adversarij nos docere Deum, nos justificare simulque infundere justitiam, id est, sanctificationem; sed eam, quia 2 Cor. 4. 16. de die in diem renovatur, à justificatione nostra distinguimus absoluta & perfecta, Deut. 27. 26. ideoque imputata. Neque tandem ut S. Augustinus docet, *Deo volenti salvum facere, ullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle vel nolle in volentis ac nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Franciscus Silvius Professor Duacenus: *Si ad rationem libertatis requiritur,* quod

2 Cor. 5. 21.

3. q. 48. a. 1.

De correptione & gratia c. 14.

Expl. doctrinæ S. Thomæ p. 4. art. 3.

quod positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere & non agere: Ergo necesse est ut liberum arbitrium posita quacunque gratia adhuc possit esse bonum vel malum; ac proinde si bonum fiat, erit ex se, & non ex gratia, quia non obstante gratia, æque poterit esse bonum & malum. Ergo quod potius sit bonum, quam malum, erit ex seipso & non ex gratia, quod est impossibile. Ex hac ipsorum Pontificiorum doctrina quivis Christianus Catholicam & veterem fidem de justificatione cognoscit; ex cujus ignoratione in Romana Ecclesia plerique omnes errores orti sunt. Salus nostra sola Dei misericordia nititur ex sententia verorum Christianorum: sed ex sententia Papistarum, ex libera hominis cooperatione. Neque enim Romana Ecclesia hanc Becani sententiam damnat: *Si quæratur prima radix, quare hæc gratia sit efficax, illa inefficax, recurrendum est ad liberam cooperationem voluntatis, non autem ad præscientiam Dei, qua providit hanc aut illam gratiam fore congruam. Nam præscientia Dei non facit, ut homo cooperetur, sed supponit eum cooperaturum.* Idem Molina Iesuita docet: *Auxilia prævenientis & adjuvantis gratiæ, quod efficacia aut inefficacia sint, pendere à libero consensu & cooperatione arbitrij nostri cum illis, atq; adeo in libera potestate nostra esse, vel efficacia vel inefficacia illa reddere.* Idem Suaretz, Vasquez,

Part. 2. c. 3. de auxilio gratiæ.

De concord. disp. 3.

quet & ipse Bellarminus, *qui gratiam efficacem ponit in interna suasione, quæ per liberum arbitrium respui potest, & tamen infallibilem effectum habet, quia Deus eam adhibet cum certo novit non contemnendam.* Hæc sententia parum differt à Pelagiana sententia superiorum. Alvares congruitas suasionis consistit in circumstantiis loci, temporis, dispositionis naturalis à qua efficaciam gratiæ vult pendere. At hæc sequitur, quod ultima ratio differentialis, propter quam auxilium gratiæ est efficax, sit reducenda ad aliquid naturale, sc. in particularem complexionem hujus individui. sed ipse Bellarminus, Becani & reliquorum opinionem alienam judicat à sententia Augustini & scripturarum divinarum, atque evertere fundamentum prædestinationis divinæ, & abuti voce gratiæ efficacis. Quod ex his verbis liquet; *Dubitari non potest, quin vita æterna ab æterno præparatā sit ex prævisione meritorum. Quare ab æterno hi electi sunt, non illi: causa est, quia hi fecerunt bona opera, illi non fecerunt. sc. in præscientia Dei. & ita sentiunt graves Theologi, Camerarius, Molina, Osorius, Turrianus, Vasques alij.* Romana Ecclesia has sententias non condemnando à Pelagiana hæresi sese non alienam esse declarat. Sed obtendunt gratiam efficacem antecedentem, prout à Deo datur, voluntatemque præde-

Disp. 83. a. 9.

De gratia efficace.

Becanus de præd. part. 2. c. 3.

terminat, liberum arbitrium tollere. Hoc
Disp.18. Alvares Thomista refutat. Nam prædeterminare nihil aliud esse docet quam facere, *ut ipsum arbitrium libere & infallibiliter cooperetur Deo excitanti & vocanti.* Prædeterminare est efficere, ut aliquid *se determinet.* Hac gratia non destruitur sed roboratur arbitrij libertas. Prædeterminat voluntatem ad alteram partem non *ex necessitate, sed juxta propriam naturam ipsius voluntatis.* Notemus Azorij Iesuitæ confessionem: Pauci quidam juniores Theologi, fortassis ut voluntatem nostram liberam faciant, faciunt sacrilegium dum negant Deum libera bona opera nostra præfinire. Cum tres sint modi agendi, naturaliter, voluntarie, coacte: semper Ecclesia Orthodoxa concessit *voluntatem sine coactione, aut necessitate naturali objectum propositum acceptare vel repudiare, unumve alteri præferre*: sed negamus cum tota Orthodoxa antiquitate illam liberam esse *à dependentia divinæ voluntatis, aut prædeterminationis, aut à peccato, aut à miseria.* Bernhardus de gratia & libero arbitrio. *Non si potens vel sapiens, sed tantum si volens creatura esse desierit, liberum arbitrium periit.* Estius: *Non est de ratione liberi arbitrij posse bene agere, quod patet in dæmonibus & damnatis hominibus.* Salmeron: *Stat liberum arbitrium cum necessitate bene operandi vel male. patet in angelis bonis.*

Lib.4. c.22. quæst.2.

Quid

Quid dicet Romana Ecclesia de ipso Christo dum in terris ageret, qui non potuit male agere, & tamen laude dignus est? Docent enim Iesuitæ unionem hypostaticam tollere & impedire omnino potentiam peccandi in humana natura, imo tollere etiam libertatem peccandi. Denique *Deum aliquos reprobare & excludere à vita æterna, non quidem propter eorum prævisa opera, sed quia ipse vult non dare illis vitam æternam, est Augustini sententia, est etiam Thomæ, quam plures sequuntur.* Ex hisce omnino clarum est, quod Catholica Ecclesia testibus ipsis adversariis, quorum auctoritate veritas stabilitur, de justificatione & libero arbitrio docuerit, quam turpiter R. E. ad Pelagianam hæresin desciscat. Pererius. *Per liberum nostrum arbitrium cooperamur gratiæ Dei, & vere sumus causa operum quæ facimus, & opera nostra vere nostra sunt, & merita sunt apud Deum.* Quod ajunt, *sua merita fundari in sanguine Christi*, idem est ac si cerea domus ardentibus prunis imponeretur. Absoluta enim gratia Dei omne proprium dictum meritum nostrum excludit. Dogma novum est. Patres voce meriti late usi sunt pro quavis actione quam donum aliquod vel beneficium sequitur. Vega: *Non me fugit usurpari apud patres nomen meriti, ubi nulla est ratio meriti, neque de congruo, neque de*

Vasques in 3. p. Tom. 1. disp. 61. c. 6.

Pererius com. in Rom. 9. n. 31.

In c. 6. ad Rom. disp. 10. num. 53.

condigno. l. 8. de just. c. 8. Stapletonus: *Quod si aliquis veterum vocabulo promerendi usus est, non aliter intellexit, quam consecutionem de facto*. in promp. f. 5. post pass. dom. Sed Papistæ stricte utuntur pro officio ex condigno aliquid merente. Sic directe 1. pugnat cum gratia Est enim hoc gratiæ proprium ut sit indebita, alioqui non esset gratuita. Meritum autem condigni reddit debitorem eum, à quo quis meretur. 2. Cum exclusione omnis gloriæ, quam Apostolus, omnesque Christiani Doctores perpetuo urgent. 3. Cum merito Christi. Is enim totam salutem nostram NOBIS meritus est. Iam fieri non potest ut duo eandem rem mereantur, cum unus pro alio meretur, alter enim frustra laboraret. Acquirit enim quod ab altero ipsi jam acquisitum est, ut ita prioris meritum suo merito, vel extenuet vel aboleat. At dicunt merita gratia perfici. Hæc gratia, ut docent, est qualitas finita & creata, quæ in anima tanquam subjecto hæret, & actiones producit contagio carnis impuras, ut supra vidimus. Vnde omnis proportio inter opera & vitam æternam sublata est. Quod addunt sua merita elevari ad effectum istum infinito merito Christi, sic oppositio Paulina inter opera & gratiam funditus evertitur. Renatorum enim opera gratiæ subordinarentur in justifica-

ficatione. Porro meritum est personalis actio filij Dei incommunicabilis quoad facultatem merendi, quæ consistit in dignitate personæ infinitæ. Denique, Christus purgationem peccatorum nostrorum per semetipsum peregit. S. Bernhardus lib. 1. c. 13. *Fateor, non sum dignus ego, nec propriis meritis possum regnum obtinere cœlorum. Ceterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet patris & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono, jure illud mihi vindicans, non confundor. Si tantus sanctus vitam æternam dono accipit, quomodo alij ex merito condigni?* M. Antonius Flaminius in librum Psalmorum breves explanationes ad Alexandrum Farnesium Cardinalē scripsit Parisiis anno 1551 impressas. In Psalmi 130 expositione hæc habet p. 386. *Si iniquitates observaveris, Domine quis sustinebit? Affirmat, eos etiam qui sanctissimi judicantur graves pœnas daturos, si Deus in quemque animadvertere velit pro eo ac cujusque peccata promereantur.* Itaque Divus Augustinus hunc locum explanans, ita scribit: *Non dixit, ego non sustinebo, sed, quis sustinebit? vidit enim prope totam vitam humanam circumlatrari peccatis suis, accusari omnes conscientias cogitationibus suis, non inveniri cor castum præsumens de sua justitia. Quoniam apud te propitiatio est. Quæ est ista*

propitiatio nisi sacrificium? Et quod est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum est? Sanguis innocens fusus delevit omnia peccata nolentium: Precium tantum datum redemit omnes captivos de manu captivantis inimici. Plura in hanc rem omitto, quæ ibi extant. In Psalm. 143. *Non intres in judicium cum servo tuo: Quod non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Divus Augustinus, cum dixisset in explanatione hujus versiculi: *Neminem in terris excipi, ne Apostolos quidem*, multaque in hanc sententiam disseruisset, concludit his verbis: *Dicant ergo Apostoli, dicat: Dimitte nobis debita nostra. cum eis fuerit dictum, quæ debita? respondeant, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Item, *Quis tam pie, tam sancte vivat in terris, ut rationem reddere jussus ad tribunal tuum, causam suam defendere ac tueri possit, si velis exigere omnia, quæ tibi & meritissimo & optimo jure debentur?* Monachi itaque nostri *de operibus supererogationis* quam diu volent glorientur. Sanctissimi certe viri aliter de suis meritis judicarunt. Sequantur ad minimum Bellarmini sententiam, asserentis tutissimum esse abdicata omni operum bonorum fiducia in solo Christi merito totam spem & fiduciam collocare. In religione enim nihil nisi quod tutissimum est, Christianos sequi decet. itaque Bellarminus disputationem totam de meri-

meritis operum & fiducia in iis ponenda expungat. Sanctimonia vitæ ad salutem necessaria est omnibus Christianis: sed absit ut in ea gloriemur & confidamus.

CAPUT. VI.

Sacrificium Missæ. Præsentia Christi sub accidentibus panis & vini.

DE Missa hic est status controversiæ. *Vtrum corpus & sanguis Domini sub specie visibili panis & vini vere & proprie in missa Deo offeratur in sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis.*

Hoc negamus. Nam Christus ait, se in coelos adscensurum. Non potest autem offerri quod non adest. Oblatio in institutione Missæ (ut loquuntur) nec à Christo præcepta nec ejus exemplo Ecclesiæ tradita est. Ioh. 6.

1. Christus discipulis panem dedit, item, calicem, non Deo patri obtulit.

2. De pane consecrato ait, *Accipite, edite; non, accipe, sancte pater.*

3. Testamentum condit Christus; ergo sacrificium non instituit. quæ duo diversissima sunt. Offerimus quidem Deo bona quæ ab ipso accepimus. At illi prius Deo

offerunt ea; deinde ipsi capiunt, ut ita eandem rem simul Deo dent & accipiant ipsi. Certum est, hoc absurdum esse ita ut in cœna alterutrum tantum locum habeat. Christus aperte. *Hic calix novum testamentum est.* Ostendat Bellarminus, eum sacrificium esse.

4. Quid est sacrificare amicum vel dominum in ejus memoriam?

5. Si Christus in cœna se obtulit Deo pro peccatis, in eadem nos redemisset, non in cruce, omnis enim Christi oblatio sufficiens est pro peccatis totius mundi satisfactio.

Heb. 10. vers. 12. 14. 6. *Christus unica pro peccatis oblata hostia in perpetuum sedet ad dextram Dei.* Porro hęc hostia unica SEMEL tantum offerenda fuit. *Unica oblatione perfecit in perpetuum eos qui* Hebr. 9. 26, 27, 28. *sanctificantur.* Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel. *Ubi jam est peccatorum remissio, non est amplius oblatio* Hebr. 10. *pro peccato.* Quod si unica ista oblatio Christianis sufficit, ut sufficit, ceteræ supervacuæ habendæ sunt. Rectissime ajunt Papistæ, hæc dicta de cruento sacrificio intelligenda, incruentum enim illud ignorant,

7. Apostolus non unam mortem, sed unam oblationem corporis Christi docet. Si oblatio incruenta Ecclesiæ necessaria fuisset, silentio eam hoc loco non præteriisset. Quomodo autem Apostolus incruentum sacrificium pro peccatis agnosceret, cum dicat,

cat, *sine sanguinis effusione non fieri remissionem peccatorum.* Respondent 1. Apostolum loqui de sacrificiis veteris legis. Recte, sed quo fine? ut doceret ita pariter in Novo Testamento fieri. 2. Regerunt, nullam fieri remissionem nisi virtute effusi sanguinis. Ergo virtute sacrificij missæ incruenti nulla fit remissio. 3. Ajunt in missa recte dici sanguinemChristi effundi. Erit ergo sacrificium cruentum. Sub aliena specie, ajunt. Quod idemest ac si dicant sanguinem non fundi. Nonquæro sub quo sanguis fundatur, sed an FUNDATUR? 4. Si sub specie aliena vere funditur, sacrificium cruentum erit; si non, non erit vere propitiatorium. Modus loquendi est novus & absurdus.

8. Quomodo Christum sacerdos offerret sacerdotem in æternum? Num sacerdos minor unquam sacerdotem majorem obtulit?

9. Nullum sacrificium externum immolatur quod non destruatur. Nam alias frustra offertur pro peccato, quod pœnam peccato debitam vicaria successione non luit: Quid autem sacerdos consumit? Accidentia. Fatetur autem Bellarminus requiri ad sacrificium realem destructionem. At hoc missam destruit. Non enim esse aliquod sacramentale offertur; sed corpus Christi & sanguis.

10. Quod si etiam per missam tantum mors Christi applicetur, ea non erit sacrificium propitiatorium. Christi meritum applicandi ratio à Christo & Apostolis debuit indicari, alias Christus frustra mortuus esset. Nusquam autem hoc sacrificium applicatorium apparet. Offertorium in missa consecrationem præcedit. Deus vero proposuit propitiationem in Christo per fidem in sanguine ipsius.

11. Sed ipsum Canonem missæ considerabimus, unde apparebit missam sacrificium dici quia Christiani panem & vinum offerebant; non quia sacerdos corpus Christi pro vivis & defunctis offerret. 1. Ante consecrationem sacerdos orat Deum, ut accepta habeat & benedicat dona, munera & sancta sacrificia illibata, panem & vinum, quæ in sacra mensa proposita sunt. 2. Ait hæc offerri pro Ecclesia (non corpus Christi) 3. Ait populum hoc sacrificium offerre. Non intelligit corpus Domini. 4. Appellat id sacrificium laudis. 5. Oblationem populi benedictam & rationabilem fieri postulat. 6. Rogat Deum ut panem sanctificatum & calicem propitio & sereno vultu respicere dignetur & accepta habere, sicut accepta habuit munera Abel & sacrificium Abrahæ. 7. Orat ut perferatur manibus angeli in sublime altare Dei. 8. Diserte

ait

ait se offerre Deo de ejus DONIS & DATIS hostiam puram sanctam immaculatam.

9. Ait hæc bona creari, sanctificari, vivificari per Christum. Hinc Martinus Papa: *Non oportet aliquid aliud in sacramento offerri præter vinum & aquam & panem, quæ in typo Christi benedicuntur.* Amalarius de Ecclesiasticis officiis: *Omnis populus intrans Ecclesiam debet sacrificium Deo offerre.* Lombardus: *Quotidie Christus immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel.*

De conf. dist. 2. c. non oportet.

L. 3. c. 19. sent. 4. dist. 12.

12. Nihil missa præsidij invenit in verbis: *hoc facite*. Nam τὸ *hoc* significat id quod Christus fecit. Quis jam Christi actiones sacrificabit?

13. De loco Malachiæ c. 1. dico incensum & sacrificium vel proprie intelligi de incenso & sacrificio similæ olei & thuris, vel metaphorice de spiritualibus sacrificiis, ut Patres exponunt. si prius, suffumigatum etiam erit accipiendum. Adeoque plura genera sacrificiorum propriè ita dictorum in novum testamentum inducentur. Si posterius, non significat vere & proprie dictum sacrificium missæ. Fateor patres quosdam hunc locum ad Eucharistiam accommodasse propter spiritualia sacrificia quæ ibi peraguntur.

14. Si Eucharistia est sacrificium applicati-

cativum, sequitur prius Christum Apostolis remissionem peccatorum applicasse, quam eam peperit.

15. De ceremoniis missæ hoc notandum, quod in immensum absurdarum gesticulationum cumulum excreverint, quarum nihil populus intelligit. Gregorius 1. autem fatetur Apostolos ad solam orationem dominicam consecrasse. Vnde etiam apparet, falsum esse quod Apostoli pro peccatis mortuorum sacrificium hoc obtulerint, proque defunctis in Eucharistia orarint. Tertullianus ostendit hunc modum offerendi pro defunctis à consuetudine manasse. Beatus Rhenanus: *Opus erat olim multa Christianis indulgere* (ut oblationes facerent pro defunctis) *qui plerumque jam senes de paganismo ad nostram religionem convertebantur.*

De corona militis.

In Tert. l. de corona militis.

16. Tò *hoc* significat aliquid certi ante ultimam sententiæ prolationem. Nam subjectum, prędicatum, copula, certam suam significationem habent, antequam per copulam conjunguntur. Nam nisi aliquid significent, enunciatur prædicatum de re nihil significante. Nisi copula aliquid significet ante prolationem ultimæ vocis, ex illa prolatione ejus significatio pendebit, & alia erit natura hujus propositionis quam aliarum omnium. Quod quid his verbis non conse-

consecravit? *Est* non significat *fit*. nam præter temporis circumstantiam & terminorum connexionem nullam rem significat. Igitur conversionem panis in corpus ex verbis hisce necessario non sequi ipsi Papistæ coguntur fateri. Cajetanus: *Non apparet ex Euangelio coactivum aliquid ad intelligendum hæc verba proprie.* Thomas ab Argentina: *Iam dictam igitur conversionem teneo: non propter rationem aliquam cogentem: sed propter sanctorum auctoritatem & sacræ matris Ecclesiæ definitionem.* Petrus de Aliaco de transsubstantiatione ait, *non sequi eam ex scriptura evidenter, nec etiam, ex determinatione Ecclesiæ suo judicio.* Ibidem: *Hæc opinio* (substantiam panis non desinere) *non potest reprobari, nec per evidentem rationem, nec per autoritatem scripturæ cogentem.* Nam quod obtendunt corpus non posse accipi pro signo corporis, quod alioqui signum pro nobis diceretur datum; vanum. Nam hæc est constructio: hoc est signum corporis mei, quod pro vobis datur. Demonstrata imagine: Hic est Iulius Cæsar qui vicit Pompeium. Sed interpretationem R. Ecclesiæ falsam esse, sic evinco: quæ res enuntiatione propria vere significatur esse, ea falso dicitur enuntiationis illius effectum. At conversio panis in corpus Christi est res, quæ hac enuntiatione propria, *Hoc est corpus meum*, vere

In 3 Thom. q.75.art.3.

In 4 sent. dist. 11.art.2.

In 4 sent, q.6. art.2.

vere significatur esse. E. conversio panis in corpus Christi non est enuntiationis illius effectum. Propositio est firma, quia ut effectum suam causam necessario ordine sequitur: sic contra essentia rei, cum sit subjecta ac significata affirmationis veræ materia, adjunctam sui significationem necessario antecedit. Eo enim quod res est vel non est, oratio vera vel falsa esse dicitur. Prius enim res est vera quam talis significatur. Bonaventura ait, reliquas enuntiationes esse indicativas veritatis: hanc effectivam. Quasi hæc propositio non indicaret etiam veritatem, aut quasi etiam effectionem significaret. At Christus non dixit; Hoc fiat corpus meum. At cum Christus dixit esse, effectio sequitur rei, sed verbum proprie nihilominus intelligendum. Hinc Scotus in angustias redigitur: hæc propositio aut ut vera, aut ut falsa, est propositio conversiva. Dico quod neque sic neque sic; sed tantum ut est propositio neutra (novum genus propositionum. inter *est* & *non est* nullum medium) & prior naturaliter & forte tempore sua veritate. Bell. Verba illa, quatenus caussa sunt illius conversionis; præcedunt conversionem: contra quatenus veritas propositionis pendet à rei essentia conversio præcedit significationem. Ita hæc propositio vera erit, antequam vera sit. Duo hic sunt: pro-

In 4 sent. dist. 8. q. 2.

De Eunuch. l. 1, c. 11.

posi-

positio & conversio. Vtra prior? si propositio prior est conversione, prius erit vera antequam vera sit: si conversio prior propositione, tum per propositionem istam non efficitur. Hinc Richardus propositionem hanc sic interpretatur: illud quod datum erit sub hac specie, est corpus meum. Sed Bellarmino hæc non placet interpretatio. Porro ipse Bellarminus sic explicat: Quod continetur sub his speciebus est corpus meum. Sic duplicem tropum fingit. 1. Synecdochen. Cum hoc (quod demonstrat substantiam cum accidentibus) ad accidentia proprie pertinere statuit. 2. Metonymiam continentis pro contento. Nam species continent corpus. Hoc enim permutatur his verbis: sub hoc, vel sub his speciebus. 3. Pervertit sedem subjecti & prædicati. Nam Bellarminus propositionem Christi in hanc resolvit: *Corpus meum est sub his speciebus.*

In 4 sent. dist. 8. q. 1. 4 5

Hactenus ostendimus R. E. nullam authenticam interpretationem horum verborum habere neque ullam certam adhuc approbasse, ex tot scholasticorum diversis expositionibus. Sed sententiam horum verborum falsam esse quam R. E. amplexa est, nempe panem in corporis substantiam converti, quamvis quomodo ista conversio ex verbis Christi sequatur, inter eos nunquam

conve-

convenire potest, ex antiquæ & Catholicæ Ecclesiæ testimoniis illis quidem sed manifestis demonstrabimus

L. 1. const. c. 16. Clemens Romanus: *Cum antiqua mysteria pretiosi corporis & sanguinis sui nobis tradidisset.* (Apostoli hæc dicunt.)

Hom. 7. in Ier. Origenes: *Si secundum literam sequaris hoc, quod dictum est, nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis sanguinem meum: occidit hæc litera.* Idem in c. 15. Matthæi. *Eucharistiam vocat typicum & symbolicum corpus.* Ambrosium, officium quod apud Ambrosium de sacram. l. 4. c. 5. extat supra allegavi. Idem in Ep. 1. ad Corinth. c. 11. *Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.*

Tom. 6. biblioth. patrum. In Anaphora Basilio adscripta: *Qui proposuimus typum corporis & sanguinis Christi tui.*

In natura Dei minime scrutanda. Ephrem: *Sumens in manibus panem benedicit & frangit in figura immiculati corporis sui: calicemque in figura pretiosi sanguinis sui, & tribuit discipulis suis.*

Tract. 2. in ex. Gaudentius: *Rationabiliter in eo figura accipitur corporis Christi.* Loquitur de pane Eucharistiæ.

In Matt. 26. Hieronymus: *Veritatem sui corporis & sanguinis repræsentavit*, id est, ut explicat, per imagines & sacra mysteria expressit & retulit.

tulit. Libro 2. in Iovinianum: *In typo ſanguinis non obtulit aquam, ſed vinum.*

Chryſoſtomus: *Si mortuus Ieſus non eſt, cujus ſymbolum ac ſignum hoc ſacrificium eſt?* Hom. 17. in Ep. ad Hebræos ait: *Sacrificium noſtrum exemplar eſt illius, quod Chriſtus peregit in cruce.* Hom. 83. in Matth.

Auguſtinus: *Non dubitavit Dominus dicere: hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui.* & Pſalmo 3. *Eum adhibuit ad convivium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit ac tradidit.* Contra Adimantum c. 12

Theodoretus: *Myſtica ſymbola, quæ Deo à Dei ſacerdotibus offeruntur, quorum dicis eſſe ſymbola.* In comm. in 1 Cor. 11. *Poſt ejus adventum, non amplius opus erit ſymbolis ſeu ſignis corporis, cum ipſum corpus apparebit.* Dial. 1. in confuſ.

Beda in Lucam. *Pro carne & ſanguine agni ſuæ carnis ſanguiniſque ſacramentum in panis & vini figura ſuſtulit.* C. 22.

Bertramus: *Hæc ita eſſe dum nemo poteſt abnegare, claret, quia panis ille vinumque figurate Chriſti corpus & ſanguis exiſtit.* De corpore & ſanguine Domini in principio.

Rabanus: *Relinquit nobis hoc ſacramento viſibilem figuram & characterem carnis & ſanguinis, ut per hæc mens noſtra & caro noſtra ad inviſibilia & ſpiritualia capeſſenda per fidem uberius nutriatur.* L. 1. de ſacr. Eucha.

Heſychius in Leviticum. *Dominus in cœna ultima intelligibilem accepit ſanguinem.* L. 2. c. 8.

 Paſcha-

De corp. & sanguine Domini c. 4.

Paschasius. *Quia nostrum est sacramentum, nec figuram illud negare possumus.*

Dial. 2. in conf.

Theodoretus omnium clarissime fidem Ecclesiæ Catholicæ exponit. *Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia & figura & forma.*

Contra Eutychen & Nestorium.

Gelasius Papa. *Sic in sacramento panem & vinum cum corpore & sanguine manere docet, ut duæ naturæ manent integræ post unionem. Sacramenta divina res sunt, & tamen non desinit substantia vel natura panis & vini.*

Belllarminus hic miserrima effugia quærit. 1. Ait, *corpus Christi, ut est in sacramento, esse signum & symbolum corporis ut fuit in cruce.* Sic eadem res quatenus invisibilis est, esset signum sui ipsius, ut conspicua fuit. Cum tamen hæc essentia signi sit, ut in externum sensum incurrat. 2. Ait, *accidentia esse symbola corporis.* R. Symbola habent similitudinem quandam earum rerum, quarum symbola sunt: sed accidentia quid simile habent corpori Christi? Præterea signa vel symbola, rerum quas significant, appellationes sortiuntur. Sed accidentia nunquam corpus Christi dicuntur.

L. 4. de sacr. c. 4.

Ambrosius: *Quomodo potest, qui panis est, corpus Christi esse? Consecratione.* Sed addit: *Esse illa quæ erant, & in aliud commutari.*

L. 3. de trinit. c. 10.

Augustinus: *Panis ad hoc factus in* ACCI-

PIENDO

PIENDO *ſacramento conſumitur E. non in conſecrando.* 3. Ait, *corpus Chriſti, ut eſt in altari, non* CONTINUARI *cum corpore Chriſti, ut eſt in cælo; nec tamen eſſe diſcontinuum vel diviſum ab illo. Diviſum eſſe reſpectu loci, non ratione ſubſtantiæ.* At ſubſtantia non poteſt dici continua vel diſcontinua, niſi reſpectu quantitatis. Quæ loco diviſa ſunt, ſeparata ſunt. Si corporis utrimque exiſtentis EADEM QVANTITAS eſt, continua & in eodem loco eſt.

Thomas de Aquino ſtatuit contradictorium eſſe ut unum corpus diverſa ſpatia locorum occupet *circumſcriptive,* adeoq; contendit ipſum corpus glorioſum Domini noſtri, non poſſe *localiter* viſibiliterque niſi in uno tantum loco eſſe. Hinc porro concedit, cum aliquando viſum ſit in ſacramento corpus ſub forma pueri, vel ſanguinis, non fuiſſe corpus Chriſti. Huic Valques adſtipulatur. At ſi corpus alicubi præſens ſit, ita ut nullum locum occupet, non amplius corpus eſt, ſed ſpiritus. *Tolle ſpatia corporibus, & nuſquam erunt.*

Eraſmus: *In ſynaxi transſubſtantiationem* SERO *admodum definivit Eccleſia.* Annot. in 1 Cor. 7.

Scotus: *Ante concilium Lateranenſe hoc dogma non fuit.* Occam: *Subſtantia panis manet. Hoc dogma eſt minoribus incommodis obnoxium, & rationi & ſacris ſcripturis* Bell. l. 3. de Euch. c. 23. In Centiloquio.

Conf. art. 24. *minus repugnans.* Cassander. *Transsubstantiatio tum nomine tum effectu nova est.* Alphonsus fatetur, *De transsubstantiatione raram esse antiquis mentionem.* Maldonatus: *Augustinus, si nostra fuisset ætate, longe aliter sensurus fuisset.*

CAP. VII.

Sacramenti sub altera tantum specie panis sumptio. Missæ privatæ.

De Euch. c. 10. GRegorius de Valentia. *Consuetudo hæc non administrandi Eucharistiam populo sub duplici specie, usu primo comprobata est, deinde lege sancita, postquam in Ecclesiis obtinuisset, quando vero cœperit minime constat.* Hoc eo magis notandum, quod negant mutatam doctrinam Ecclesiæ esse, eo argumento, quod autorem, tempus, locum mutationis assignare nequeamus. At multæ hæreses extiterunt, quarum autores latent, cæteræque circumstantiæ propagationis literarum monumenta effugiunt. Tales fuerunt Agnoëtæ Deo ignorantiam tribuentes, alijque. Negant hominem peste laborare, quia non constat de tempore & loco morbi accessus. Sic sermo hære-

hæreticorum ut cancer ſerpit. Linguam Latinam in Italicam degeneraſſe negabitis, quia de initio & autore non conſtat? Origo patet hujus ſacrilegij. Vſus. At adverſarij meminiſſe debebant: *Conſuetudinem ſine veritate vetuſtatem erroris eſſe; neque hominum conſuetudinem nos ſequi oportere, ſed veritatem Dei.* Cypr. ep. 74. & 63.

Caſſander. Satis conſtat occidentalem, ſeu Romanam Eccleſiam mille à Chriſto annis in ſolemni ordinaria hujus ſacramenti diſpenſatione utramque panis & vini ſpeciem omnibus Eccleſiæ mẽbris exhibuiſſe. Id quod ex innumeris veteribus tam Græcorum quam Latinorum teſtimoniis manifeſtum eſt, atque ut id facerent, inductos fuiſſe exemplo Chriſti. Atque hic mos adhuc per Græciam & Armeniam obtinet. Quare haut temere eſt, quod optimi quiq; Catholici in Eccleſiaſticorum ſcriptorum lectione verſati ſummo deſiderio potiundi calicis incenduntur, ut ſacramentum Domini ad conſuetudinem veterem & multis ſeculis perpetuatam univerſalis Eccleſiæ reducatur. Hinc Gelaſius. *Comperimus quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant: qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diviſio* Art. 22. conſult. Diſt. 2. can. comp.

 unius

unius ejusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire. Innocentius 3. *Quamvis sub specie panis sanguis sumatur cum corpore: & sub specie vini corpus sumatur cum sanguine: tamen nec sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vini bibitur & comeditur. Quia sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur: ita neutrum sub specie panis bibitur: aut sub specie vini comeditur.* At caro Christi non potest sumi, nisi manducetur: nec sanguis nisi bibatur. Hinc Thomas Aquinas: *Hoc est conveniens usui hujus sacramenti, ut seorsim exhibeatur fidelibus Christi corpus in cibum, sanguis in potum.* Concessa concomitantia, sacrificibis in singulis missis immolant: semel cum panem consecratum offerunt & consumunt: iterum cum vinum: data concomitantia mures Christi sanguinem bibent: Sacramentum erit Deus, & ubique. Opponimus adversariis præceptum utriusq; speciei sumendæ ex hypothesi adversariorum, locum enim Ioh. 6. non possunt eludere. *Nisi manducaveritis & biberitis, vitam non habebitis.* Textus aperte loquitur de modo sumendi, idque distincte. Itaque Ecclesia intellexit olim cum Eucharistiam infantibus dedit. Nam si vis præcepti in re consisteret, non in modo sumendi, tum sufficeret ad hoc implendum præceptum, ut spiritualiter Christum sumamus, quod negant.

L.8.c.5. de missa, l.4.c.21

p.3.q.76.art.2.

gant. Quod ajunt, hic præcipi universæ Ecclesiæ, quod in aliquibus impleatur, in eo sibi contradicunt. Si enim de re, non de modo sumptionis agitur, hoc præceptum ad singulos pertinet. ubi enim de medio salutis adipiscendæ agitur, oratio non tantum ad omnes, sed & singulos pertinet. Neque hic universæ Ecclesiæ mentio fit. Porro si sacramentum panis integrum sit sacramentum, & calix itidem, tunc duæ species duo integra sacramenta continebunt. Si totum sit, quod habet suas partes omnes; & integrum, cui nulla pars deest: tunc aut calix non est pars Eucharistiæ: aut Eucharistia non est tota sine calice. Porro inutiliter fit, quod frustra fit. E. aut calix inutiliter sumitur, aut ea utilitas, quæ inde redundat, Laicis injuste contra institutum veteris & Catholicæ Ecclesiæ denegatur. Lindanus enim aperte fatetur: *Quod per occidentem* (nam de oriente nullum dubium) *fuerit populo utraque administrata species, in proximum fere usque Constantiensis synodi seculum, haut prolixa opus habet demonstratione.* Petrus de Soto: *Non est dubium primis illis temporibus, & in Romana Ecclesia & in omnibus totius fere orbis Ecclesiis, sub utraque specie communicatum fuisse, idque certe longo etiam tempore.* Cassander: *Satis compertum est, universalem Christi Ecclesiam mille amplius annis*

Panopl. l. 4. c 56.

Instr. sacerd. lect. 10.

Consult. de utraque specie.

post Christum Eucharistiam exhibuisse sub utraque specie. Jam cogitent Papistæ, an non sit insaniæ extremæ id abrogare, quod Christi institutione, Apostolica praxi, & Catholicæ Ecclesiæ usu tam diu receptum fuit. Quid de antiquis Ecclesiæ Romanæ moribus & Apostolicis institutis gloriantur? Liberum non esse usum vel utriusque vel alterutrius speciei rationes manifestæ evincunt. Nam Ecclesia ad integrum sacramentum Eucharistiæ fidelibus dandum obligatur: sine calice autem integrum non est. Sed his omnibus non obstantibus Constantiensis synodus eos, qui hunc morem Catholicæ Ecclesiæ sequi cupiunt, anathemate perstringit. Huc accedit non minor abusus. Nam Papistę publico concilij decreto missas approbant, in quibus solus sacerdos communicat. Primum hæ missæ contrariæ sunt Apostoli Pauli mandato: *unusquisque suam cœnam præsumit.* & hoc ait non esse cœnam dominicam manducare. *Cum convenitis ad manducandum, invicem expectate.* Non possunt hæc verba intelligi de Agape ad pauperes sublevandos instituta. Nam aperte Paulus: *Hoc non esse cœnam Dominicam manducare.* Neque abusus conviviorum sed cœnæ dominicæ reprehendit. Hinc Chrysostomus: *Non sinis esse commune, sed tibi comedis.* Hinc Lorichius fatetur: *abusum esse celebrare missas absque*

Syn. Trid. sess. 22. c. 1. 2. 6.
1 Cor. 11.

Hom. 27. in 1 Cor. 11.

De prorog. missa l. 1. c. 2.

absque communione, quam vocat Lernam malorum, quæ omnem devotionem extinxit. Et quomodo ab uno potest sumi privatim, quod Christus jussit *distribui?* hæc pars institutionis in missis privatis omittitur, in quibus sacerdos nihil distribuit, sed solus edit & bibit populo spectante. At sua natura est epulum publicum & commune. Christi enim institutio hoc continet, ut præsentes accipiant, comedant, bibant. Hoc totum in privatis missis omittitur. Quæ itaq; missæ id omittunt, quod Christus fieri jussit, eæ sunt illegitimæ. At missæ privatæ id omittunt, quod Christus jussit fieri, nempe ut præsentes ederent & biberent. Hinc Hieronymus: *Iam non est dominica, sed humana, quando unusquisque tanquam cœnam propriam solus invadit, & alij qui non obtulerit, non impertit. Ceterum dominica cœna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis, qui aderant, æqualiter tradidit sacramenta.* Ipse Canon missas privatas excludit. Sacerdos enim secretè: *Hæc commestio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Et rursus: *Quod ore sumpsimus, pura mente capiamus.* Micrologus: *Facta consecratione debent omnes communicare.* Rursus: *Soli communicantes confectioni sacramentorum antiquitus intererant.* Expositor ordinis Romani: *Hoc*

In 1 Cor. 11.

De Eccles. observ. c. 18.

L. 2.

 anti-

antiquitus factum esse, & nunc fieri debere, multis argumentis probare conatur. Hinc in omnibus Liturgiis veterum mentio fit publicæ communionis. Catechismus Tridentinus: *Diu in Ecclesia ille mos fuit, ut sacerdos peracto sacrificio, cum Eucharistiam sumpsisset, ad populum qui aderat conversus, his verbis eum invitaret: venite fratres ad communionem.* Durandus: *In primitiva Ecclesia, omnes qui celebrationi missarum intererant, singulis diebus communicare solebant. eo quod Apostoli omnes de calice biberunt.* Bellarminus: *nusquam expresse legimus oblatum sacrificium à veteribus sine communione alicujus vel aliquorum præter sacerdotem.* Sed ipsi Papistæ fatentur, originem missarum privatarum à negligentia plebis esse. Cur igitur decretis suis eas stabiliunt, & palam & quotidie exercent? Nonne R. E. gravissime peccat, novitatisque omnino convinci potest, quæ id quod liquido à Christo & Apostolo Paulo imperatum est, certoque ab omnibus Catholicis usurpatum, tanquam arbitrarium & liberum omittit.

L. 4. rat. de pacis osculo.

L. 2. de miss. c. 9.

CAP.

CAP. VIII.

Purgatorium. Preces pro defunctis.



Vanta superstitio in R. E. ex solo purgatorio igne enata est? De quo Episcopus Rottensis contra Lutherum: *De purgatorio apud priscos nulla vel quam rarissima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc usque diem non creditum est.* Item: *Purgatorium aliquamdiu* (scilicet in antiqua & Catholica Ecclesia) *fuit incognitum.* E. ab Apostolis non est prædicatum. Quomodo igitur ad Evangelium pertinet? Aug. fusissime hanc διχοτομίαν *Ecclesiæ triumphantis & militantis explicat.* Nilus Thessalonicensis Ep. nomine Ecclesiæ Grecæ ostendit, hunc temporalem ignem à V. concilio condemnatum fuisse. Idem Nilus probat nullum Græcorum patrum eum credidisse. In concilio 8. Græcis nulli ex suis patribus objecti sunt. Postea aliqua male intellecta produxerunt, vel iis affinxerunt. Thomas Aquinas Theodoreto in 1 Cor.3. hoc testimonium, quod ibi non extat, tribuit: τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν, ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαί. Theodoretus ibi de igni æterno loquitur. Audiamus frigidam excusationem, ab hæreticis ajunt expuncta esse. Qui sunt illi post Thomam Aquinatem? Preces pro mor-

Art. 8.

Tr. 124. in Ioan.

Id est, hunc ignem credimus in quo animæ purgantur.

mortuis in veteri Ecclesia fiebant. Sed ut Sixtus Senensis fatetur: *Patres asseruerunt justos non frui conspectu Dei ante judicium.* Hinc tom. 5. operum Chrysost. *Oratur pro Virgine Maria, Patriarchis, Prophetis, Apostolis.* Itaque hæ preces non ob purgatorium sed ob moram resurrectionis fiebant. Epiphanius satis intricatus est, ut ostendat ad quid preces pro mortuis prosint. si purgatorium creditum fuisset, maxime de eo loqui debuisset, nam optimum harum precum fundamentum fuissent. Sed alibi plane id destruit, dicens: *Post mortem, qui decertarunt, quiescunt, qui autem non decertarunt, non amplius adsunt. Omnia palam consummata sunt post factum hunc decessum.* Ephrem Syrus: *Extra hos duos ordines, alius non est ordo medius. Effugere gehennam, hoc ipsum est regnum cœlorum ingredi. Neque enim nos tres regiones scriptura edocuit.* Omnes Legendæ plenæ sunt apparitionibus animarum, quibus R. E. pleraque dogmata sua confirmat. Sed vetus Ecclesia Catholica nos aliter docet, imo adversarij ipsi, Chrysostomus, Tertullianus, Athanasius, Isidorus, Theophilactus, *prorsus negant animas apparere.* Maldonatus Iesuita: *Ceterum non, quoties, qui apparet, se hujus vel illius animam esse dicit, leviter credendum est, sed etiam atque etiam exploranda res. plerumque dæmonem esse arbi-*

Biblioth. l.6. an.345.

Hæresi 75.

Hæresi 59.

Tom. 1. de mans. beata.

Hom. ult. de Lazaro lib. de anima lib. 8. etym. c. 9.

In 8 Matthæi

arbitror. De precibus pro defunctis Cassandri testimonium notandum: *Usque ad hodiernum diem nunquam in Ecclesia veteri statutum fuit, quomodo defunctorum animis preces nostræ prodesse possint, sed fuit merum testimonium caritatis nostræ erga defunctos, & immortalitatis animæ, & corporum resurrectionis futuræ.* Notandum hic est quod Xaverius narrat: *Bonzios sacerdotes Indorum jactare se eos, qui ad inferos relegati sunt, è flammis mediis erepturos intercessione sua.* Idem Xaverius à Lojola petit, *ut mittat diplomata à Pontifice Maximo, ut aræ maximæ sui collegij facultas detur unius animæ è purgatorio liberandæ, quoties in eo sacrum pro mortuo fiat.* Non ovum ovo similius, quam hoc dogma Bonziorum superstitioni.

Conf. art. 24.

L. 4. Ep. 1.

L. 1. Ep. 10.

Ferus Monachus insigni prudentia & pietate, *Non dissimile*, ait, *exordium omnes superstitiones habuerunt, quas in Ecclesia videmus. Quod enim in Ecclesia unus aliquis Melancholicus somniavit, hoc post & aliis placuit, ut sumus omnes affecti ad ea, quæ nova sunt. Deinde accessit indoctorum sacerdotum calculus, sicque tota Ecclesia superstitionibus impleta est, dum quilibet novum quid excogitaret. Hic observandum fuerat Ethnici illius dictum: Principiis obsta. Imo hic invigilare debuerant Episcopi.*

In jud. c. 17

Idem: *Exemplo sint festa, Ceremoniæ, imagines,*

An. in jud. c. 8. c. 1571.

gines, missa, monasteria. Nihil horum ea intentione institutum fuit, qua nunc habentur.

Hist. l. 2. Guicciardinus. *Le cose della chiesa allontanatesi totalmente dalle antichi costumi,* id est, *Status R. E. ab antiquis moribus prorsus defecit.*

CAPVT IX.

Sanctorum & Angelorum invocatio.

DE hac specie idololatriæ in priori parte egimus. Sanctorum invocatio minime ὁμογενὴς est mutuis officiis precibusque viventium. Thomas 2.2. q.83. a.4. *Sanctorum suffragia imploramus orando, à vivis petimus colloquendo.* Quis fratri suo orationem Domini recitat genu flexo? Apostolus expressa imagine Papistas depingit: *μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων,* id est, animadversione Scaligeri: ἐθελοταπεινόφρων καὶ ἐθελόθρησκος. (Ad Coloss. c. 2. vers. 18.) Theodoretus testatur hoc vitio Phrygiam & Pisidiam laborasse. *In hodiernum ait diem licet videre apud illos & eorum finitimos Oratoria S. Michaelis. Negabant enim universorum Deum comprehendi, nec posse ad eum perveniri, & oportere per angelos sibi divinam bene-*

benevolentiam conciliare. Bellarminus ait, quod angelos adorarint tanquam minores Deos, qui mundum fabricati sint. Sed Theodoretus aliter de iis loquitur. Nam eandem illis excusationem tribuit, qua Papista suam ἀγγελοθρησκείαν defendunt. Deinde loquitur de ipsis qui synodo Episcoporum sese subjiciebant, fatente Baronio, id est, de Christianis. T. I. an. 60.

CAPUT. X.

De Imaginibus.

DE eadem superius materia pro instituti mei ratione tractavi. Hoc notemus hoc loco, Lorinum Iesuitam fateri, vocem idolum apud prophanos autores æque late patere ac εἰκών, adeoque voces ejusdem significatus, sed Ecclesiastico usu distingui. Neque vero εἴδωλον parvam imaginem significat. Nam Eustathius mundum εἴδωλον Dei vocat. Summa; simulacrum, imago, idolum græce vertitur, quod ab εἴδεσθαι *videri* descendit. Itaque imaginem colere & idolum, idem est. Omnis enim imago religioso cultui consecrata in idolum abit. Cultus, inquam, non repræsentationis defectus, ex imagine idolum efficit.

ficit. Nam imago B. Virginis quatenus à Collyridianis culta fuit, in idolum transiit. Ipsa B. Virgo quatenus ab iisdem culta fuit, idolum evasit; passive dico non active, fatentibus adversariis. Deinde si rerum fictarum imagines idola sunt, quid de Christophori, Georgij, Catharinæ imaginibus statuendum erit? Nam peritiores Papistæ ultro fatentur tales in natura rerum non extitisse, quales in legendis describuntur, unde ad Hieroglyphicam parabolam imagines istas referunt. Interim qui Christophorum istum Parisiensem instar montis sanctum conspexit, ejusque dentem pugnum magnitudine æquantem: item Catharinam cum rota: Georgium Cataphractum Arrianum: facile colliget, quam sancto cultu tales sancti afficiantur. Vncumberiæ olim sanctæ mulieri mulieres avenas offerebant. Concilium Nic. 2. *Præstat omnia lupanaria ingredi quam non colere imaginem B. Mariæ.* Hinc Cassander, *Dici non potest, quanta idololatria alatur apud rudem populum per imagines.* Papa Innocentius 3. in processione imaginem Christi gestabat à Veronica panno lineo impressam. Hæc imago sponte sua se convertit. Hoc miraculo permotus Papa orationem cõposuit, FIGVRAMQVE eam compellare constitutis 10 dierum indulgentiis jubet. *Salve sancta facies nostri Redemptoris, in qua*

Matt. Paris. in Henrico 3.

qua nitet species divini splendoris: impressa panniculo nivei candoris, dataque Veronicæ signum ob amoris &c. *Nos ab omni macula purga vitiorum, atque nos consortio junge beatorum. Salve vultus Domini, imago beata,* &c. *Nos deduc ad propria ô felix figura, ad videndam faciem qua est Christi pura.* Hic imago quatenus imago est, religiose INVOCATUR! Imago pro Christo non potest supponi, nam oratur figura *ut deducat nos ad videndam faciem Christi puram.* Num hic dices: *Miserere mei ô figura,* vel, *ora pro me?*

CAP. XI.

Indulgentiæ & earum efficacia.

CLemens 6. *thesaurum* R. E. describit; *per B. Petrum Cœli clavigerum ejusque successores, Vicarios Christi fidelibus salubriter dispensandum, & pro iis & rationalibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter quam specialiter verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum B. Dei genetricis & omnium electorum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur.* Extrav. commun. l. 5. de pœnit. & remiss. c. 1.

Thesaurum.] Hiccine thesaurus tamdiu

 latuit,

latuit, ut de eo certitudo nulla haberi possit? Cajetanus fatetur nullam scripturam Sacram, nullam priscorum Græcorum aut Latinorum autoritatem scriptam hunc ad nostram notitiam perduxisse. Durandus fatetur de eo pauca per certitudinem dici posse, nec scripturam de eo expresse loqui. Illud, tibi dabo claves, de potestate intelligi in foro pœnitentiæ: Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Hieronymum de indulgentiis non loqui.

Opusc. decimo quint. de ind. c. 1.

In 4. sent. dist. 20. q. 3.

Ignorant autem ex quibus meritis hic thesaurus constet. Primum verè sancti nulla merita sibi arrogarunt; sed salutem ex gratia consecuti sunt. Gelasius 2. Anno 1118. & Honorius 2. apud Baronium merita Christi omittunt, & meminerunt tantum autoritatis Christi & meritorum sanctorum. Bonifacius 8. Nos de omnipotenti Dei misericordia & eorundem Apostolorum meritis & autoritate confisi. Sed Clemens 6. primus *Superflua Christi merita* excogitavit finito modo dispensanda. Unde Christus & Sancti eodem modo liberatores nostri constituuntur. Sed nulla superflua merita Christi sunt. Nam infinitum meritum illud unicum pro omnibus & singulis præstitum est: infinita culpa cujuscunque infinita satisfactione expianda fuit. Ut una luce solis totus mundus & quivis homo collustratur. Nemo

minore

minore pretio redemptus eſt, quam quod Chriſtus patri ſuo perſolvit. Morte Chriſti redempti ſumus, non parte mortis, Hebr. 2. ut corpus Chriſti totum editur à fidelibus, ſic totus ſanguis ejus bibitur: totus itaque pro iis effuſus eſt. Non una gutta hos, alios alia liberavit, ſed totus ſanguis pro omnibus & ſingulis effuſus eſt. Nulla omnipotentia Dei ſuperflua, licet non niſi unica mundum crearit.

Per *B. Petrum.*] Cur igitur Petrus & ſucceſſores ejus tamdiu hujus theſauri diſpenſationem à Chriſto injunctam omiſerunt?

Salubriter.] Extant Pontificum Bullæ in quibus promittitur abſolutio à culpa & pœna. Et tamen omnes in eo conſentiunt, licet aliàs conſtet, ſcholaſticos ſibi in hoc dogmate plus quinquagies contradicere, ne venialem quidem culpam extra Sacramentum pœnitentiæ condonari poſſe. Quomodo hoc excuſant? Quia datur hominibus facultas per indulgentias eligendi confeſſarium. At indulgentiæ dantur confeſſis, iiſque quibus jam pœnitentiæ injunctæ ſunt. Nec ea facultas Romæ expectanda. Quiſque habet ſuum ordinarium ſacerdotem. Hinc aperta falſitas dogmatis elucet. Neque ad definitionem indulgentiarum hujus poteſtatis confeſſio pertinet. Eſt enim abſolutio judiciaria, quæ annexam habet ſolutionem ex

thesauro. Hæc absolutio extra forum pœnitentiæ fit, & tamen ad culpam extensa fuit. Itaque Turrecremata ingenuè fatetur ut & Navarrus per eas *multum enervari satisfactionem pœnitentialem, quæ tantopere nobis utilis est* Quomodo itaque salubris est hujus thesauri dispensatio, qua efficitur ne teneantur orare, jejunare, eleemosynas elargiri. Porro eas non *tantum valere quantum prædicantur*, sed quantum cujusque fides & devotio exigit, communis dubitatio doctorum ostendit. Ecclesiam Turrecremata ait *sic loqui ut pia quadam fraude ad benefaciendum alliciat*. Adrianus Florentius postea Papa hanc sententiam Altisidorensi tribuit: *Ecclesia non decipit, sed homines se ipsos facilitate & stultitia. Ecclesia autem venit excusanda, cum justa ratione non exprimit, nec omnia exprimere possit. Quod si faceret, non essent fideles ita prompti ad dandum*. Gerson: *Indulgentiarum concessio per tot millia nedum dierum sed annorum videtur difficulter salvabilis post remissionem æternæ pœnæ & commutationem in temporalem. Nam in foro Ecclesiæ homo non obligatur ad pœnitentiam tot annorum: neque in judicio Dei, quia purgatorium in ultimo judicio cessabit. Fatuæ igitur sunt & superstitiosæ quædam intitulationes* 20000 *annorum, qui dixerit 5 Pater Noster ante talem imaginem*. Gregorius de Valentia: *Neque tamen negamus quin etiam*

Tom. 3. Comm. de jubil. & indulg. 7. not. art. 5. & 6.

Cons. 10.

Punct. 2.

etiam exaggerando nimium illo numero annorum ultra modum, quod ad formam loquendi pertinet, peccari possit.

Pro piis & rationalibus causis.] Triumphus hic ingenue rem fatetur: Ait indulgentias fieri ad relevandam indigentiam Ecclesiæ. *Quantum ad remissionem pœnæ, quæ acquiritur per indulgentiam, in tali casu non est inconveniens, quod dives sit melioris conditionis quam pauper.* Paludanus: *Si est determinata indulgentia, & taxata quantitas eleemosynæ* (hic vocatur pecunia Romam mitti solita) *sicut nunc hospitalsariorum. Qui dat 24 denarios habet 24 annos. Qui autem non dat tantum, quod non potest, non lucratur indulgentiam. Licet enim alias bona voluntas sufficit ad merendum, sed ad satisfaciendum non sic.* Toletus: dico non esse murmurandum contra Papam, quod exigit pro his pecuniam, non per modum pretij. Nam ista ad sustentationem datur. Quia multis indiget tanta in Ecclesia dignitas.

Art. 3. q. 31.

Instr. sac. l. 5. c. 89.

Pro totali vel partiali remissione pœnæ temporalis.] Si Christus satisfecit pro pœnis nostris omnibus: E. Nullæ pœnæ nobis restant. At prius est verum, Es. 53. Nam si luendo pœnas pro nobis, ab iisdem nos liberavit. Ergo si non luisset omnes, neminem liberaret ab omnibus. At liberat, testibus Papistis, in baptismo. Certè si in baptismo

Verè languores nostros ipse tulit. Es. 53. 4.

propter Christum auferuntur omnes pœnæ, (tam æternæ, quam temporales) necesse est Christum omnes pœnas istas luisse. Quod si ille luit istas, cur bis luendæ? Neque vero hic negamus Deum remissa culpa pœnam quandam temporalem occasione præcedentis peccati irrogare, sed hic quæritur de causa finali hujus pœnæ, non de impulsiva. Nempe an eas ideo infligat, ut se ulciscatur. Quæque justitiæ saltem ex parte satisfaciat, præter satisfactionem filij sui. Nulla vindicta hic est à parte Dei: nulla satisfactio est à parte hominis. Pœna alias dicitur materialiter, omnis afflictio; alias formaliter, ob peccata punienda quod infligitur malum. Remittit nobis Deus, quomodo nos vult aliis remittere. At nos vult remittere pœnas omnes. E. easdem proprie dictas omnes remittit ipse. Nam Christus pro nobis aut perfecte satisfecit, aut non. Si prius, humana satisfactio nulla est. Quod dicunt humanam satisfactionem fundari in sanguine Christi, alienum est à scriptura. quę non dicit: Christum meruisse, ut nos ipsos redimeremus vel satisfaceremus pro peccatis. Nam purificationem peccatorum nostrorum per se ipsum peregit, Hebr. 1. 3. Et quid de pœna tēporali garriunt? nonne docent vi contritionis pœnam æternam commutari in temporalem purgatorij? hanc

rursus

rursus in satisfactiones à confessore injunctas: & tandem has indulgentiis: indulgentias autem pecuniâ redimi? Cum denique omnes sancti pro remissione orant, nemo potest pro se ipso satisfacere, multo minus pro alio. Quis suum debitum persolvit? Itaque Catholica veteris Ecclesiæ doctrina à Leone Episcopo Romano tradita, mentibus nostris infixa sit: *Accepere justi non dedere coronas: singulares eorum mortes fuerunt: nec alterius debitum quisquam suo fine persolvit.* Epist. 83.
Hinc quid de B. genetricis, & omnium electorum meritis judicandum sit, apparet. Quam fœdè autem Papæ clavium potestate abusi sint, ex impia Bulla Clementis 6. liquet edita 1472. reperitur ea in publico scripto Ioannis Pfeffer Theologi Friburgensis: *Mandamus Angelis*, inquit, *Paradisi, ut animam ejus introducant in gloriam Paradisi, pœnis purgatorij penitus absolutam*. Quid si ipse claviger cœli è regno isto excludatur? Nemo de sua salute certus est, multo minus de aliena. Cur igitur hoc mandatum sine conditione Angelis exsequendum mandat? Jam ante Clemens V. Angelis imperavit ut animam in itinere Romam versus suscepto morientis *continuo ab omnibus purgatorij doloribus liberam in cœlum transferrent*. Hanc Bullam celant, sed Viennæ servatur, & Pictavij, ut Agrippa testatur. Thomas Aquinas: Cerem. l. 1. Sect. 15. De Vanit. scient.

Oportet dicere esse plenitudinem omnium gratiarum in Papa, quia ipse solus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum. de regnis pr. l. 3. c. 10. n. 20. Nihilominus primo die exequiarum Papæ 200 Missæ leguntur: nono totidem. In omnibus Missis oratur pro anima quæ metu damnationis tremit. Porro cum dubium oriatur, quomodo merito Christi infinito aliquid addi possit, Bellarminus hanc dubitationem nobis expedit. Passiones Christi, quæ sunt infiniti pretij applicantur per indulgentias finito modo (mirabilis modus applicandi aliquid infinitum finito modo) & ideo revera aliquid superaddi, cum passiones sanctorum illis adjunguntur. Sic Christus & sancti finito modo nos liberant. An non hæc nova dogmata sunt? Denique perniciosas esse indulgentias, quas Papæ Romani tantopere prædicant, quibusque tantum auri & argenti tantumque Petri patrimonium acquisiverunt, ex ipso Bellarmino discamus licet. *Indulgentiæ remittunt pœnam, quæ in foro pœnitentiæ injungitur, quæ voluntariè impletur timore Dei & stimulo conscientiæ, per quam Domino satisfacimus, & cui succedit, nisi in præsenti Domino satisfiat, pœna purgatorij. id est, liberavit hominem ab observatione ejus præcepti: Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Egregias indulgentias! *Per indulgentias obtinere remissionem* pecca-

De indulg. l. 1. c. 2.

De indulg. l. 2. c. 1.

Cap. 13.

peccatorum, est obtinere, ne quis teneatur Domino, quem superbia, cupiditate & illicita delectatione offendit, humilitate, largitione compunctione & afflictione voluntaria satisfacere. Ibidem. idem Autor: *Satisfactio est utilissima peccatori. 1. quia coërcet a peccando. 2. conducit ad habitus vitiorum eradicandos.* 3. ad Dei iram placandam, quia propter minus peccatum non punitum ut oportuit, Dei furor in totum populum accenditur. Quid jam porro Toletus? *Indulgentia est remissio harum actionum, quæ sunt à confessario injunctæ peccatori.* Si igitur satisfactio tantas utilitates affert, indulgentię certe pestiferę sunt. Sed hoc notandum cum dicimus: *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato.* Respondent Apostolum loqui de *remissione culpæ*, quæ maculam propriè gignit in anima. Hinc argumentor: Quod non est sordidum, non indiget purgatorio igne. At anima deletá culpâ non est sordida, licet pro pœna temporali nondum satisfecerit. hæc enim, teste Bellarmino, non facit *hominem sordidum, sed debitorem.* E. Non indiget anima liberari à culpa purgatorio.

Lib. 4. de pœnit. c. 5.

De instr. sac. l. 6. c. 22.

L. 2. de indulg. c. 3.

34.

CAP. XII.

Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater & magistra non est.

L*Ex è Sione exivit.* Et Chrysostomo judicio: *Antiochia contra quamcunque urbem oculos erigere potest.*

In Epist ante Gregorij Val. contra Vbiquitistas.

Turrianus Jesuita: *Scripsit Athanasius ad Eustathium contra eos qui jubent credere, quæ ipsi dicunt, nec prospicere, deceat an non. Istorum hæresin ait cunctas hæreses renovare, & cunctas superare. Jubent isti simpliciter accipere, quæ dicuntur, ut nemo exquirat, quid in iis aut decens aut indecens sit: quid proposito consentaneum, quid ministerio dignum, quid cum veritate concordans.* Romana Ecclesia omne discipulis judicium discretionis eripiens sibique transscribens talis Magistra Pythagorica merito usurpatur. Dicimus autem, primum, *Medica cura te ipsum.* Reformatione te indigere non nescis, nec ab aliis ignoratur. Historia Concilij Trid. narrat Nicolaum Scombergium Cardinalem S. Sixti reformationem impediisse, *ne Lutherani gloriarentur, Papam invitum eo necessitatis redactum, id autem fore initium non tantum abusuum, sed laudabilium scilicet reliquarum consuetudinum & ceremoniarum abrogandarum, qua ratione corpus ipsum religionis haut levi*

levi in discrimine versaturum esset, & Lutheranorum doctrinam plus autoritatis habituram, quippe quæ tot abusibus Ecclesiam purgasset. Hoc pacto consilium emendandæ Ecclesiæ (in qua reformanda Imperator Sigismundus non à Minoritis sed Majoritis initium capi oportere dixit) autore P. Caraffa Cardinali Theatino postea Paulo 4. cui novem Cardinales subscripserant, successu caruit. Jam olim Alexander V. omnibus spem injecit, emendandorum tot abusuum promittens: *se reformationi Ecclesiæ vacaturum* in Concilio Pisano. Idem in Concilio Senensi agitatum anno 1423. sed ita ut idem Concilio Tridentino agitare opus fuerit, quod fatetur MULTA *sive temporum vitio* (Episcoporum non audent dicere) *sive hominum incuria & improbitate irrepsisse quæ à sacrificij Missæ dignitate aliena sint.* Sess. 22. Pius V. Præf. in Brev. Rom. ref. *illic reperta sunt incerta & aliena.* In præf. Off. B. V. *Omnia fere Breviaria latina etiam vanis superstitionum erroribus referta fuerunt.* Secundo quo jure hoc jus Magisterij Roma arripit? *Quia Petrus sedem suam jubente Domino Romæ collocavit, & ibi idem usque ad mortem Episcopus fuit,* Lib. 2. de Pont. Rom. c. 1. si Bell. credimus. At alibi idem: *Ut Episcopus Romanus potius Petro succederet, quam Antiochenus, non ex instituto Christi fuit, sed ex facto Petri.* l. 2. de R. P. c. 12. Quod si Christus Petrum jussit

Romam

Romam ſedem transferre, certe ex inſtituto Chriſti Epiſcopi Romani Petro ſuccedunt. Sed hujus mandati nec volam nec veſtigium in ſcriptura oſtendunt. Tota hinc cauſa ruit. Nulla etiam traditio de mandato extat. De adventu Petri ad urbem ſcriptores ſunt in ſumma diſſenſione conſtituti. Ex ſcriptura non conſtat Petrum Romæ egiſſe, multo minus Epiſcopatu functum ibi fuiſſe. At fides revelatione divina niti debet. Nam ex hoc Epiſcopatu Petri tota Papiſtarum fides pendet, qui tamen verbo utroque deſtituitur. Ex Papiſtarum reſponſionibus liquet Petrum ſæpius Roma abfuiſſe illo tempore, quo adverſarij eum Romę Epiſcopum fuiſſe fingunt. Traditio quidem eſt de adventu Petri ad urbem, ſed quo fundamento nititur? Conſiderentur modo Bellarmini & Onuphrij computationes, quibus planè contraria aſſerentibus, quomodo Papiſta fidem arbitrabitur? Diſſenſio eſt de tempore paſſionis Chriſti. Sed ipſa paſſio in ſcriptura extat, Petri Romanum iter minime. Quod ſi Petrus nunquam Romæ fuit, totus Papatus nonne in arenario tumulo extructus eſt? Certè. Sed fuerit ibi, num ideo quia Euangelium ibi docuit, Eccleſiæ Romanæ Magiſterium & regimen omnium Eccleſiarum tribuit? Unde hoc evincunt? Docuit alibi idem. Apoſtolus erat; non paſtor ordinarius,

dinarius, distincta horum sunt officia. Apostolo propriè nemo æquo jure succedit. Petrus in mandatis acceperat ut in mundum iret universum prædicaturus Euangelium, non ut Romæ sedem Episcopalem erigeret. Certum autem & hæc inter se pugnare. Jam vero dubium non est quin Petrus Christi mandato potius quam Papistarum desiderio satisfecerit. Quod vel inde liquet quod ipse circumcisis sorte missa præfectus sit: Paulus gentibus. Si Petrus ordinarius Pastor urbis fuit, quid opus erat Pauli Epistola ad Romanos? Nonne erant alij in mundo infideles? Nonne Petrus Romanis omissis Judæos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam curavit? De Paulo vero constat, quod viva voce biennium, scriptoque Romanis doctrinam fidei tradiderit. Epiphanius: *Romæ fuerunt primi Petrus & Paulus Apostoli iidem ac Episcopi.* Eusebius: *Post Pauli & Petri martyrium primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum Linus sortito capit.* Rufinus: *Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem Episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro videlicet, ut illi Episcopatus curam gererent; ipse vero Apostolatus impleret officium.* Zonaras: *Primo ejus anno Linus primus Romanorum Episcopus moriens, thronum Anacleto reliquit,* quem secundum & Clementem tertium nominat. Ireneus, *Fundantes & in-*

Gal. 1.
1 Petr. 1.
Hæres. 27.
L. 3. hist. c. 2.
Præf. in recogn. Clem.
An. tom. 2. de nupt. Titi.
L. 3. adv. hæres. c. 3.

& instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ dederunt. Non urbis igitur sed orbis proprius Pastor Petrus fuit, ut R. E. ejus magisterio non possit magis gloriari quam Lydde, Ioppe, Cæsarea, Antiochia. Petrus non erat jussus *sedere Romæ*, sed *ire* quovis gentium. Hinc Eusebius illum vocat *Christianorum* (non Romanorum) *Pontificem*. At Patres sedem Romanam Cathedram Petri vocant. 1. Cathedra non solum Episcopis sed etiam Apostolis communis est. *Percurre*, inquit Tertullianus, *Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur.* Nominat autem Corinthiacam, Philippensem, Thessalonicensem, Ephesinam, Romanam. 2. Omnes Doctores Cathedræ insident, qui Petri doctrinam tradunt; sicut Pharisæi rectè docentes ubique locorum in Cathedra Mosis sederunt. Præterea Episcopum Romanum non esse legitimum successorem Petri satis apertum est. Nam quia docente Baldo omnis successio est de jure positivo suggerente naturali æquitate, sequitur nullum esse legitimum successorem, nisi qui vel ex lege atque testamento, vel ex testamento secundum legem aut consuetudinem succedit. Talem legem vel testamentum necesse est Pontifices proferant. Hoc autem non faciunt. Tantum

De Præscr.

In l. lege. in 1. Col. in fin. Cod. de legit. hæred.

locum nominant ubi Petrus docuerit. Quid autem hoc ad jus successionis in Monarchia Ecclesiæ? Prædones sæpe occupant loca justis successoribus erepta. Ita nihil possessio vel præscriptio temporis juvat. *Non sunt sanctorum filij, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.* Itaque adhuc ad ravim, poscimus à Iesuitis, ut ex tabulis ἀξιοπίστοις probent: Episcopum R. æquo jure Petro in Monarchia Ecclesiæ successisse. Nisi hoc probent, causa ceciderunt. Habuerit Petrus privilegia quæ volunt. Fuerit Romæ & docuerit. Unde jus suum successionis probant? Bellarminus se huic operi accingit. *Ius successionis Rom. Pont. in eo fundatur quod Petrus sedem suam Romæ* IUBENTE DOMINO *collocaverit, atque ibidem usque ad mortem sederit.* Videamus I. quid Lindano videatur. *Quædam tantæ sunt fidei, ut etsi nondum sint fidei definitæ & declarata, posse tamen ea Ecclesiæ definitione in articulos fidei redigi judicem, qualia sunt hæc: Petrum fuisse Romæ.* O incredibilem delirationem! Non est de fide declarata Petrum Romæ fuisse, & tamen Magistra nostra non alio privilegio hoc supercilium induit, omnesque docendi provinciam ultro sibi deposcit & suscipit. Certum autem est quicquid R.E. docet tanquam è Cathedra Petri non plus certitudinis habere, quam principium

L. 2. de R.P. c. 2.

Pan. l. 4. c. 100. f. 478.

pium ipsum omnium conclusionum. At illud principium: Petrus Romæ fuit, & successores ibi suos constituit æquo jure, non est fidei. E. nec totum id quod R. E. eo nomine docet. Fatentur si Petrus Romæ non fuerit, totum Bellarminum enervatum esse, adeoque Papatus propriam religionem jacere. Tamdiu autem dubium hoc relinquitur, quamdiu hæc quæstio facti nondum ad fidem relata est. At ita ipsi judices erunt in quæstione illa: *An sint judices?* Porro Bellarminus *successionem* & *rationem successionis* distinguit. At non tantum illa sed & hæc Christi autoritate debet niti, ut Ecclesia caput suum agnoscat, in cujus cognitione ajunt salutem verti. Nam Papana fides ita habet: Hæc est vita æterna ut Papam cognoscant verum Pastorem Ecclesiæ universalis. Hæc autem ratio successionis, ut ait ipse, facto Petri tantum nititur. Unde Soto existimat, *Rationem successionis jure tantum Ecclesiastico Romæ esse annexam, ita ut Ecclesia Episcopum Trevirensem Papam creare possit.* Litigent illi, sed interim proferant Mandatum Domini de sede Romam transferenda. Tertio. Qualis Magistra illa est qua populo divinam scripturam subtrahit? Vitio hominum ajunt plus lectio earum detrimenti quam utilitatis affert. At num olim vitia non erant vel hæreses? Sed quæ

Greg. Val. annal. l. 7. c. 12.

quæ ſit ratio hujus interdicti, nimis notum eſt. Videatur clariſſimus Mareſius Profeſſor S.S. Theologiæ in illuſtri Schola Silvæducenſi in tractatu Gallico de hac re edito. Sed pergo; qualis Magiſtra hæc eſt quę ſacra ſua incognita lingua peragit? Quo profectu docet? Sed quia Catharinus ait eam doctrinam quæ in precibus linguam cognitam exigit Diaboli calliditatem ſapere, rem penitius excutiendam cenſeo. Nos decreto Concilij Tridentini hoc Apoſtoli decretum opponimus: *Omnia ad ædificationem fiant.* Ex aliis locis novimus quid petendum à Deo ſit; ex hoc noſcendum quod petimus. Ad miſſam male torquetur ajunt quia agitur de prædicatione. *Alios ut instruant in Eccleſia volo loqui.* Cur non attendunt agi itidem de precibus. προσεύχομαι, ψαλῶ, εὐχαριστεῖς, id eſt, *oro, canam, gratias agis.* His verbis non concio ſed preces ſignificantur. Serio itaque reſpondent Apoſtolum non agere de divinis officiis, ſed de canticis ſpiritualibus (Monachorum itaque cantica ſunt carnalia.) Sed cantica iſta ſpiritualia quæ Chriſtiani ad laudandum Deum componebant, nonne referenda ſunt ad officium divinum? Laudare Deum nonne eſt officium Eccleſiæ? Itaque, pergunt: ſufficere ut ὁ ἀναπληρῶν τόπον τοῦ ἰδιώτου officij ſen-

Sixt. Senenſ. Bibl. l. 6. annot. 263.

ſum capiat, non totus populus. putant enim ea voce deſignari certum clericum loco populi reſpondentem. Riſum teneatis amici. Nam ἀναπληρῶν τόπον ἰδιώτου Græce ſignificat unum de idiotarum numero eſſe, non vices gerere idiotarum. τόπος enim non vicem ſed locum ſignificat, ut intelligatur is qui Idiotis adſidet & unus ex illorum numero eſt. Itaque res huc redit, id minime negligendum eſſe quod Apoſtoli judicio orationi neceſſarium eſt ad Deum melius colendum. Lyranus: *quid proficit populus non intelligens ea quæ orat?* Quo cultu enim Deus ſanctius colitur, is Deo in divinis officiis debetur. Hoc autē fit cum mens orantis majori cognitione, devotione & lætitia ſpirituali perfruitur. Hoc totum Papiſtæ præcipui concedunt. Mercerus Profeſſor linguæ Hebreæ in Pariſienſi Academia: *Temere fecerunt noſtri, qui conſuetudinem orandi lingua ignota introduxerunt.* Fatemur ajunt Apoſtolum anteponere orationem intellectam non intellectæ. At Romana Eccleſia magis probat latinas preces. Sed cur id non uſurpat in divinis officiis, ſine quo nemo ſanus recte orare poteſt? Quomodo Idiota Amen dicet cum neſciat quid oretur? *fiat ita*, ait, neſciens quid orans velit fieri. Putat te bene dicere, quid boni dicas ignorat.

Lyranus in hunc locum.

Com. in hunc locum.

Coll. Anglo-Rhemenſe annot. in 1 Cor. 14.

Lin-

Lindanus fatetur Ecclesiam hanc labem inde forte contraxisse, quod quæ nunc passim cantantur, non tam ad populi intelligentiam erudiendum quod prisci ubique spectarint, quam ad meram laudem Dei quocumque modo celebrandam frequentantur.. O graculi è nido expellendi! Quid tribus linguis docetis in Concilio vestro Tridentino contentam debere esse Ecclesiam cum S. S. dicat: *Omnis lingua laudet Dominum?* Panopl. l. 4. c. 78.

Hilarius meminit cantus Ecclesiastici his verbis: *Audiat orantis populi consistens quis extra Ecclesiam vocem: Celebres hymnorum sonitus spectet. Certe hoc testimonium ex Hilario desumptum videtur omnino cogere ut credamus in Gallia fuisse consuetudinem, ut populus in Ecclesia caneret etiam ante Ambrosij tempora.* Neq; hoc tantum in Gallia sed ubique. *Græci græcè, Latini latinè Deum nominant, & singuli in vernacula sua Deum precantur, ille enim omnium linguarum Dominus est.* Chrysostomus in hunc locum: *Docet Apostolus lingua loquentem intelligere verba simul debere.* Basilius: *Cantet lingua tua, sed & simul cor tuum.* Isidorus: *Oportet quando psallitur ab omnibus psallatur.* Collegium Anglo-Remense: *Preces ad ædificationem ignotæ sæpe magis valent, quam cognitæ.* Com. in Ps. 65. Bell. l. 1. de bonis operib. c. 1. 6. 9. fortasse. Orig. lib. 8. contra Celsum. In Ps. 28. De officiis Eccles. l. 10.

Matthæus de Rispolis: *Ab Augustino &* L. de præd. p. 122.

Thoma oritur veritas omnis Theologica, & eos consulit semper Ecclesia in definiendis rebus fidei. Mater filios consulit, Magistra discipulos. Sed cur persequitur contrà doctrinam sui Thomæ? quia Apostoli autoritatem forsan tanti non facit. *Constat quod plus lucratur, qui orat & intelligit quid dicit. Nam ille qui intelligit, reficitur & quantum ad intellectum & quantum ad affectum, sed mens ejus qui non intelligit est sine fructu reflexionis.*

Comm. in 1 Cor. c. 14. 17.

Cajetanus: *Ex Pauli doctrina habetur, quod melius est ad Ecclesiæ ædificationem orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi clericis & populo, quam dici latinè.*

De verbo Dei l. 2. c. 16.

Bellarminus. *Non reprehenditur oratio quæ non intelligitur, sed ei anteponitur oratio, quæ intelligitur.* Cur igitur Magistra nostra non id quod optimum est in tradenda aliis doctrina fidei, sequitur? Concilium

Seſſ. 22.

Tridentinum fatetur, *Missam magnam continere populi fidelis eruditionem, non tamen expedire ut vulgari lingua passim celebretur.* Mandat itaque ut inter missarum celebrationem aliquid exponatur populo. Quando hoc fit? Veritas quam invicta es! *Nihil est in*

Livius.

speciem fallacius quam prava religio! Nam videmus homines in re manifesta ab hac R. Magistra decipi, ut picas maluerit imitari, quam Apostolo obedire. Bellarminus ait: *Officij divini finem primarium non esse ædificationem*

tionem populi; sed cultum Dei qui ignota lingua fieri possit. Sed neuter ab altero finis divellendus est. Primarius non tollit sed tolerat secundarium finem. Apostolus jubet omnia ad ædificationem fieri. Negat autem hujus fructum ex ignotis precibus percipi. In Sacramentorum administratione Deus nos alloquitur: nobis gratiam donat: præcipit: instruit, adeoque à nobis officium nostrum exigit. Insaniæ est alloqui eum cui aliquid in mandatis das eo idiomate quod non intelligit. Cur hoc Deo fieri credemus?

Nonne vero divinus cultus optimo modo debet fieri? necne ad ædificationem aptissimo? Judicio autem Apostoli hic fit idiomate noto. Apostolum agere de exhortationibus ait & canticis spiritualibus. Respondeo: Rationes Apostoli generales ad totum Dei cultum pertinent. Omnia in Ecclesia instructioni populi servire debent. Hardingus fatetur: *Preces in primitiva Ecclesia vulgari lingua peractas fuisse, & quidem tunc necessario ad instructionem populi.* Quasi vero nostro tempore populus eadem instructione non indigeat? Hinc Baronius: *Papa Johannes 8. Epistola ad Sfentum Moraviæ Principem. Literas Sclavonicas à Constantino Philosopho repertas, quibus laudes Deo debitas resonent, laudamus jure, & ut in eadem Christi Domini nostri præconia & opera commemorentur,*

Ann. in 1 Cor. 14. p. 461.

Tom. 10. Ann. 880. S. 10.

rentur, jubemus. Neque enim tribus tantum linguis, sed omnibus Dominum laudare autoritate sacra monemur, quæ præcipit dicens: Laudate Dominum omnes gentes.

Maldonatus Comm. in Matt. 11. 21.

Magistra hæc quam sanctam tandem doctrinam proponit? Pastores illa mittit qui nos docent, gentiles potuisse servata lege naturæ omnium confessione salvos esse: qui dicunt à Dei caritate alienum esse ut exigat quod non dedit, neque homines per se præstare possunt. item Aristotelem fuisse Christi præcursorem in naturalibus: ut Johannes fuit in supernaturalibus. At cur non considerant fidem requiri ad percipienda quæ in cor hominis non ascenderunt, ejus nempe cui Deus per Spiritum suum eam non revelavit? Non quæritur quid nobis durum vel benignum videatur, sed quid verum sit; id autem verum quod Christus dixit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Hæc Bellarminum mittit, qui nos docet, Christo placuisse conjungere nostram satisfactionem suæ: hominem justum duplici titulo jus habere ad gloriam; altero ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam; altero ex meritis propriis. Hæc Toletum nobis commendat docentem ordinem Ecclesiasticum posse conferri infantibus. Item Victoriam qui ait se non videre cur puer nequeat Episcopus creari, juxtaque amens.

Instr. sac. l. 1. c. 45. Rel. 2.

Hæc

Hęc Collegium Anglo-Remense produxit, docens Catholicum satisfacere muneri viri Catholici, modo dicat se Catholicum, & Ecclesiam posse fidei suæ rationem reddere. Hoc olim Xaverius questus est de Indis religionis plane rudibus, qui de fide interrogati nihil aliud norant, nisi se esse Christianos, quod inde eis evenisse ait, quia destituti sunt sacerdotibus. Hoc Augustini teneant: *Ignorantia in iis qui noluerunt, peccatum est, in iis qui non potuerunt, pœna peccati. In utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Hæc Toletum mittit docentem Christianos non teneri præcepto Deum plus omnibus diligere quantum ad intentionem dilectionis, Stapletonum dicentem id esse doctrinæ, non obligationis præceptum.

Ann in Lucam 12. & 11.

L. 1. Epist.

Ep. ad Sextum Presbyterum.

De instr. Sac. l. 4. c. 9.

L 6. de inst. c. 10.

Item licere uti æquivocatione & decipere audientem, idq; cum Judex contra justitiam juramentum exigit; licere jurare secundum suam mentem, non secundum judicis: E. G. fecisti hoc? Respondeat non feci, sc. ut tibi dicam. Sed quodnam mendacium est quod sic non defendi possit? Nonne juramentum est finis omnis contentionis? Certè per æquivocationem non est. hoc enim firmitatem ejus planè eludit. Porro docet per Azorium, morem non esse improbandum si vidua causa luctus domi se annum integrum contineat nec missam audiat, scilicet si

Toletus l. 4. instr. Sac. c. 21. 22.

Hebr. 6. 16.

Instr. l. 7. c. 7.

magno loco natus vir fuerit, item hominem teneri sub mortali ad sanctificandum festum, sed non teneri ad bene sanctificandum, licere versari, construere loca pro spectaculis si non nisi festo possit fieri. item motu repentino correptum ut non sit compos rationis à peccato mortali liberum esse, licet habuerit intentionem occidendi occideritque alium. item si quis protulerit blasphemiam ira vel alta passione, non cadere sub peccatum mortale. item, melius esse scortari & uri, quam votum cœlibatus violare & ad nuptias post scortationem animum adjicere. uri significare non flamma libidinis uri, hoc enim per se malum non esse, imo materiam victoriæ; sed flamma libidinis superari & scortari. Quasi vero hoc remedium tantum homini lapso succurrat; non occurrat lapsuro. Sed temporibus nostris Sixtus Pontifex, teste Agrippa, aliud remedium invenit. Conjugij usum non concessit quidem, sed nobile admodum lupanar Romæ extruxit; unde à singulis scortis in hebdomadem julicum accipit. Hæc sancta Ecclesia prohibet Clericis conjugium non solum ratione essentiæ suæ, id est, propter contractum, qui fit solo animorum consensu; sed ratione officij conjugalis, in quo inest impuritas & pollutio. cur igitur thorus dicitur ab Apostolo immaculatus? Sed sancta Mater Ecclesia

Toletus l. 4. instr. l. 24. c. 25.

Idem l. 5. c. 6.

l. 4. c. 13.

Bell. l. 4. de Monach. c. 34.

De Van. sci. c. 64.

l. de membris Eccl. mil. c. 18.

clesia per Toletum suos sacerdotes instruit: Si quis desideret habere pollutionem ob finem bonum, ut ob sanitatem, aut ad levandas tentationes carnis, non esse peccatum. Hoc sane est remedium morbo pestilentius. Docet item per Cardinalem suum, votum non convenire sanctis, nisi quatenus sint Dij per participationem. Item, per Emanuelem Sa in voce Confessio §. 42. meretrices non comprehendi statutis Synodalibus quæ non confidentes aut communicantes Paschate excommunicent, itaque nunquam denunciari. Item, fidelem posse addere gradum amoris atque amare plus quam teneatur, itaque supererogationis opus facere; quod nobis Bellarminus vult persuadere. Item, non teneri quemlibet statim post peccatum conteri etiamsi sæpius recordetur peccati commissi, quod dogma Toleto debemus: item, fieri posse ut sola detestatio peccati aliquando sine proposito formali non peccandi de cetero ad gratiam consequendam sufficiat; quod per Suaresium nobis S. Mater inculcat.

L. 5. instr. Sac. c. 15.

L. 3 de cultu sanct. c. 9.

L. 2. de Monach. c. 13.

L. 6. instr. c. 5.

Tom. 4. in Thom disp. 4. §. 3 assert. 2.

5. Hæc Magistra omnium fidelium R.E. doctrinam suam suspectissima ratione defendit, nempe hodiernis miraculis. Hæc, Gregorio M. teste, in exordio nascentis Ecclesiæ necessaria fuerunt ut multitudo ad fidem cresceret. *Cum arbusta ait plantamus,*

Hom. 29. in Eu.

tamdiu eis aquam affundimus, quousque ea in terra coaluisse putamus; ubi radicem fixerint, irrigatio cessabit.

De temp. nov. c. 19. Acosta Jesuita fatetur tempore Antichristi difficile fore discernere vera signa à falsis: ibi multa & magna fore veris similima. Duplicia sunt miracula: quædam nō nisi divina omnipotentia fieri possunt: ejusmodi Antichristus non edidit: alia potentia causarum naturalium hominibus ignota, operaturque Dæmon vel per se vel per ministros suos, quæ interdum signa vera sunt ratione essentiæ sed ratione finis mendacia. Chrysostomus: *in fine temporis potestas concedenda est diabolo, ut faciat signa utilia: ut jam ministros Christi non per hoc cognoscamus, quia utilia faciunt signa; sed quia omnino signa hac non faciunt.* Iterum: *per signa cognoscebantur, qui essent verè Christiani, qui falsi. nunc autem signorum operatio omnino elevata est, magis autem invenitur apud falsos Christianos.*

In Ioh. tr. 13. Augustinus: Contra istos mirabilarios cautum me fecit Deus meus dicendo: *In novissimis diebus exsurgent pseudo-propheta facientes signa & portenta, ut inducant in errorem, si fieri possit, electos.* Idem: *Miracula non facitis, qua si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus.* Mater nostra filios habet qui fabulis terribilibus & miraculis fictis memoriam eorum, quos vulgo student commendare,

Contra Faustum l. 3. c. 5.

mendare, illustrant. Quasi sancti Dei homines nostris mendaciis egeant: *Divorum construunt historias, piè nonnihil admentientes: supponunt reliquias: fabricant miracula.* Hinc Delrius & Lyranus, *maxime populum decipi in Ecclesia Romana fatentur falsorum miraculorum figmentis.* Denique testem omni exceptione majorem, experientiam. Fidem itaque non è miraculis; sed miracula è fide probemus.

Agrippa de Van.sc.c.97.

Erasmus arg. in lib. Confess. August.

6. Certum est hanc Romanam Ecclesiam hoc magisterium non posse sibi arrogare, propter errores varios quibus Episcopi R. capti fuerunt. Exempla supra attigimus. Uno vel altero hic contenti erimus. Alphonsus de Castro: *Cum alios multos liberare facile possimus suspicione hæreseos, tamen Cælestinum non video quis possit excusare. Quia docuit ita solvi matrimonium per hæresin, ut liceret alteri parti aliud conjugium inire. Contrarium docuit Innocentius 3. & habetur hæc sententia in decretalibus. Neque talis error fuit ut dicamus illum errasse ut privatam personam & non ut Papam. Quoniam hujusmodi Cælestini definitio habebatur in antiquis decretalibus, quam ipse vidi & legi.* Bellarminus respondet, quamvis hæc epistola inter decretales sit, tamen non colligi hoc esse decretum ex Cathedra: Multa in decretalibus poni, quæ non faciant rem de fide; sed tantum

De hæres. l. 1, c. 4. fol. 7.

tum Opiniones Pontificum ea de re declarent. Itaque huc res redibit: Decreta Pontificum non fuisse è Pontificum Cathedra profecta. Sed unde jus habent aliquid decernendi nisi ex Cathedræ occupatione? Tanquam privati nihil possunt decernere. Quis hic non agnoscit manifestum & turpe κλεψιφύγιον; At non sunt ea proposita ut ab omnibus Christianis credantur. R. Papa se fert Monarcham universæ Ecclesiæ. Itaque eandem haut dubie edendis decretis & legibus ad obedientiam obstringit, nisi in ipso decreto exceptio contineatur. Quid Gregorius I. *Decretum necessitatem facit; exhortatio autem liberam voluntatem excitat.* Item Nicolaus I. *Ea quæ sedes Apostolica pro sanis dogmatibus & necessariis fidelium moribus diverso tempore scripsit, debent ab* OMNIBUS *magna reverentia assumi.* Item: *Restat ut omnes decretales Epistolæ Romanorum Pontificum sint recipiendæ.* Item: *Omnia decretalia constituta sede Apostolica custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam denegari. Dicendo autem omnia, nullum de decretalibus prætermisit, quod non mandaverit custodiendum.* Num huic vel illi? Certe omnibus. *Dicendo omnium Pontificum Romanorum, nullum ex prædecessoribus excepit.* Et tamen videmus Papistam Bellarminum licentiose & impune easdem contemnere.

Dist. 4. c. denique.

Dist. 19. §. si Romanorum.

temnere. Commendant aliis autoritatem Papæ, quam ipsi spernunt. Salmeron Iesuita: *Hæresis non dissolvit matrimonium ante hæresin contractam; etsi aliter cuidam Pontifici aliquando visum est.* Sed probo Decretales è Cathedra esse. Teste Turrecremata Iohannes Wiclefus in Synodo Constantiensi condemnatus fuit quod dixisset: *Decretales Epistolas esse Apocryphas, atq; à fide seducere, quas tamen summi Pontifices Nicolaus, Leo, Gelasius, Agatho, Adrianus jampridem Canonicas esse statuerunt.* At errores in decretales irrepserunt! Nihil hoc ad nos. Hic error Cœlestini fuit, non librarij. *Pontifici enim*, ut Salmeron fatetur, *visum fuit*, &c. *Hæresis doctrinæ est falsum dogma fidei orthodoxæ repugnans: sive quis illud dogmatizet, sive tacitus affirmet.* Hæc hæresis est ante Ecclesiæ definitionem, quæ eam non facit; sed declarat. Prius enim hæresis sit oportet quam declaretur. Hæresis personæ errorem astruit judicio Ecclesiæ reluctando. Ab utraque liber oportet sit qui se ἀδιάψευστον Magistrum veritatis profitetur. Talis autem non fuit Iohannes 22. teste Iohanne Villano: Iohannes 22. *quæstionem movit utrum beatæ defunctorum animæ ante diem judicij novissimam, visionem divinitatis Christi consequerentur. Sub anathematis fulmine literatos hanc quæstionem in utramque partem excutere cogebat:*

Comm. in 1 Cor. 7. disp. 22. ad fin.

L. 2. de Eccles. L. 108.

Alphonsus de Castro hæres. l. 1. c. 1.

L. 12. c. 229. ut refert Zvvingerus theatro hum. vit. vol. 5. l. 4. p. 1536.

gebat. mirifice Minoritanos sodales complectebatur, qui argumentum aliquod pro parte negante attulissent: Generalem, quem vocant, Lutetiam misit qui dogma illud spargeret, qui palinodiam canere publice coactus est. Rex Francorum Philippus serio Pontificem reprehendit, Pontificis munus esse dictitans; non movere novas sed motas hæreses extinguere, cujus autoritate percussus Pontifex ab inutili quæstione destitit. Sed audiamus Alphonsum de Castro: *Ne quis fidem hac in parte meis deroget, verba Adriani Papæ referam in 4. sent. quæst. de Sacram. confirmat. Novissime fertur de Johanne 22. quod publice docuit, ab omnibusque teneri mandavit, quod animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est visio facialis; & dicitur Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse, ut nemo in ea posset gradum Theologiæ adipisci nisi prius hunc errorem se jurasset defensurum.* Ubi illud: Petre rogavi pro te ne deficiat fides tua; tuq; adeo conversus confirma fratres? Nonne in Papa hoc abunde elucet Papisticam interpretationem ejus dicti ineptam & falsam esse? Hoc certe dogmate Hyperduleia & duleia sanctorum vehementer labefactatur. Nec minus ex Ethnica sanctorum ἀποθεώσει. Canus ait: *si Ecclesia erret in reponendis viris justis in numerum Sanctorum, non esset absurdum divorum omnium cultum ab Ecclesia explodere*

L. 3. contra hæreses 4. beatitudo p. 76.

L. th. l. 5. p. 175.

corum

eorum qui post Clementem consecrati sunt. Quare si in illis erraret, graviter in moribus falleretur, nisi forte nihil intersit, Diabolumne colas an hominem damnatum. Papa Stephanus in Formosi Papæ corpus mortuum immaniter sæviebat, acta ejus rescindens. Sed hoc fecit odio in Formosum incensus, nesciens vel non credens Formosum fuisse à Martino Pontifice absolutum. Idcirco publice decrevit eum ut perjurum & nunquam legitimum Papam fuisse. Nos concedimus Papam in quæstione facti errare potuisse. Hæc quæstio facti (ut hoc obiter dicam) è quæstione juris dependet. *Num Papa à juramento legitimo possit absolvere?* Utrinque contraria Concilia à Papis habita multoties; adeo ut Ecclesia in Labyrinthum quendam & vorticem dubiarum quæstionum de ordinatione sacerdotum inciderit, unde nondum evasit. Sed sit quæstio facti, quæ circa impietatem certi hominis condemnandam versatur. Talis erit itidem sanctorum Canonizatio. Nam Augustinus expresse ait: *Multos honorari in terris quorum animæ in gehenna crucientur.* Bossarius: *Se fatetur multos vidisse qui malè vixerant, Romæ canonizatos.* Hermanni Ferrariensis exemplum notum est. Porro munus ordines Religiosorum confirmandi Pontifici proprium est. De eo ita Canus: *Tam multæ sunt religiones in hoc seculo à Pontificibus*

L. 4. de R. P. c. 12. §. vicesimus septimus.

tificibus confirmata, ut qui eas omnes tenere voluerit, tanquam Ecclesia vel necessarias vel utiles, hic imprudentia ne dicam stultitia jure optimo, summis rationibus arguatur. 4. Porro acta rescindere Conciliorum, & leges relaxare, Pontificis muneri adscribitur. In Conciliis cautum est: *ne neophytus ordinetur.* At in R. E. *Jure puer potest suscipere ordines & Episcopus creari.* quod sane divinæ legi adversatur. δεῖ ἐπίσκοπον εἶναι μὴ νεόφυτον. Ajunt Apostolum hoc constituisse non ut ministrum Christi, sed ut præsidem Ecclesiæ. Quis non omnia eludat futilitate talium distinctionum? Picus Mirandula narrat puerum quendam in Episcopi locum adscitum, qui, quoniam literas penitus ignorasset, atque per jocum rogaretur, an magnos in disciplina progressus fecisset, responderit ingenue: *nondum se didicisse exordium orationis quam sacerdotes sacra facturi præfari soleant.*

Toletus apertè.

1 Tim. 3. 6.

Salmeron Comm. in 1 Tim. 3.

5. Denique contra jus divinum dispensat Papa. *Nam matrimonium quoad vinculum insolubile esse probatur ex verbo Dei, traditione, ratione*, ait Bellarminus. *Nam non potest inferior dispensare in lege superioris; proinde nec homo in lege Dei.* Jam vero *Pontifices haut raro in matrimonio dispensarunt*, nempe solvendo eo quoad vinculum. (De thoro & co-

L. 1. de matrim. c. 16.

Idem, ibid. cap. 11. §. prima propos.

& cohabitatione nulla quæstio est. Et nihilominus quæritur, an *jure hoc Pontifex faciat?* Bellarminus ait: *esse probabilem opinionem eorum qui id affirment, etiamsi forte contraria opinio sit vera.* Sic ludunt in re tanti momenti ubi agitur de obedientia divinis legibus præstanda!

Sacrobosc. in defens. pro Bell. p. 3. c. 2. §. quartum. L. 1. de matr. c. 14. §. at.

7. Hæc Magistra didactrum eo minus meretur, quod discipulos, nisi illud *αὐτὸς ἔφα* in ore & corde habeant, furiose & crudeliter è medio tollit. Mihi non est institutum hęc persequi, eo quod omnium historiarum monumenta exemplis exquisitæ, imo modum humanæ sævitiæ egressæ crudelitatis scatent. Albigensium 100000. uno die cæsi. Belgium, Gallia, Anglia, Germania HUIUS MAGISTERII fructus perceperunt. Jure Papa cum collegio suo Cardinalium Holoserico purpureo induitur. Hic est sanguis tot martyrum.

Hispania Inquisitionem, ne quid desit, addidit. Hujus descriptionem ex autoribus ipsis petamus licet. Indiam Magistra nostra spe & concupiscentia devorarat: quanta ibi cum mansuetudine & caritate miseros homines instruxerit in religione, infinita strages tot mortalium loquatur. Hoc non tam meo judicio dico quam testimonio fretus Episcopi Hispani Bartholomæi Casæ. Hic in narratione sua de regionum Indi-

carum per Hiſpanos devaſtatione ſub finem libri hæc verba habet: *Rubore ſuffundi deberemus, quod omni timore Dei remoto, tam exſecrandis facinoribus colorem addere & ea excuſare tentemus, cum præcipue cernamus nos 48 annorum ſpatio regiones majoris longitudinis, quam ſit tota Europa & pars Aſiæ ob hanc cauſam ut divitias conſequeremur, deſtruxiſſe, eas terras depradantes & omni crudelitate, injuſtitia & tyrannide occupantes & uſurpantes, quas humanis habitatoribus & incolis refertas vidimus, & in iis ultra viginti hominum millones periiſſe certo ſcimus.* Sed manum de tabula. Precemur Deum, ne & ad nos Magiſtra iſta CVM VIRGA veniat! Quantum humani ſauguinis Romani Pontifices effuderunt ob ſolam INVESTITVRAM Epiſcopatuum & Abbatiarum? A tempore Gregorij 7. ſub quo hæc diſputatio in Eccleſia Romana exorta eſt, amplius *centum prælia* commiſſa ſunt: Italia, Gallia, Germania incendiis & rapinis devaſtata fuit. Boni Chriſtiani Symbolum erat: *pugnare pro R. E. juriſdictione.* Talem ſe Magiſtra noſtra Roma in didactro exigendo geſſit, ut aut vi extorſerit aut ſuperſtitione oblatum cupidè acceperit. Quidnam illud? *Totum mundum.* Hujus enim ſe directam Dominam anno 1073. quo Gregorius 7. ſedit, geſſit. Quod tempus ad annum 1517 duravit.

tavit. Interjectis 444 annis quam methodum docendi observavit? Scripturam in angulis monasteriorum situ & pulvere obductam jacere passa est, imo providit ut abstruderetur: reliquias adoravit: novos sanctos canonizavit, eorumque cultum Ecclesiæ injunxit: *Districte præcipimus ut natalem Thomæ martyris Cantuariensium olim Archiepiscopi, diem videlicet passionis ejus solenniter sub annis singulis celebretis, &* APUD EUM *votivis orationibus satagatis peccatorum veniam promereri*: imagines venerata est: Spectra & animas functorum de statu purgatorij consuluit: cœnobia ad remissionem peccatorum impetrandam ædificavit: expeditionem in terram sanctam eodem fine suscepit. Hæc docendi methodus pro didactro varia regna mundi patrimonio S. Petri addidit, nunquam fere sine sanguine. Longa est historia, longæ ambages. Papa Adrianus: *Sane omnes insulas, quibus Sol Justitiæ Christus illuxit, & quæ documenta fidei Christianæ susceperunt, ad jus S. Petri & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non est dubium pertinere*. Agebatur de Hibernia, quam Papa Henrico regi Angliæ occupandam, ea lege ut cathedras Petri tributum annuum penderet, tradebat. Hic Papa Arnoldum quendum Romæ flammis exurendum curavit, eo quod Magistram nostram ἑτεροδιδασκαλεῖν

Matthæus Paris. in Henrico 2. p. 91.

i. e. aliter instruere.

διαγωγεῖν conaretur, ne negociis mundi ſe immiſceret. Tandem muſca in ejus os involitans Doctorem orbis è cathedra abire juſſit. Viſibile NVMEN in terris à muſca! Hujus ſucceſſor Innocentius 3. regi Angliæ Iohanni ita inſultavit, quod morigerari ipſi nollet, ut totum regnum Angliæ in Fiſcum Eccleſiæ converterit. Ita miſer rex: *Johannes Dei gratia Rex Angliæ. Volentes nos ipſos humiliare pro illo qui ſe humiliavit uſque ad mortem, gratia ſpiritus inſpirante, non vi interdicti, nec timore coacti, ſed noſtra ſpontanea bona voluntate, ac communi conſilio Baronum noſtrorum, conferimus & liberè concedimus Deo & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo & S. R. E. Matri noſtræ ac Domino Papæ Innocentio 3, ejuſque Catholicis ſucceſſoribus, totum regnum Angliæ & totum regnum Hiberniæ cum omni jure & pertinentiis ſuis, pro remiſſione omnium peccatorum noſtrorum, & totius generis noſtri tam pro vivis quam pro defunctis.* Item: *D. Papæ fecimus & juravimus homagium. Salvis per omnia denariis B. Petri R. Eccleſia* 2000 *marcas eſtrelingorum annuatim percipiat.* ô Piſcatorem! ô Magiſtrum! ô Πόρνην ἐπίαλοφον. *Facta eſt Filia Sion quaſi meretrix effrons, non habens ruborem! Nonne rex Anglorum, ait, noſter eſt Vaſallus? eſt, &, ut plus dicam, mancipium.*

Matthæus Pariſ. in Iohanne.

Matthæus Pariſ. p. 423. item 848.

CAP.

CAP. XIII.

Concilia Oecumenica, & speciatim Tridentinum.

DE his ante egimus. Hoc sufficit scire, Concilia in Papalia Consistoria degenerasse. Turrecremata fatetur, 8 *Conciliis, quae in Ecclesia praestantioris autoritatis habentur, Papam nullum praefuisse.* Jam vero statim rejicitur, nisi Papa in eo omnia suo REMIGIO gerat. ô tempora! Cur olim praeteritis seculis hoc praesidio Pontificio concilia Oecumenica libenter caruerunt? Sufficit, ait Bell. *quod legatum miserit, qui personam suam sustinuerit.* Quid audio? sufficit? Cur itaque à Legatis probatum Basiliense rejicitur? Sed ipse Bellarminus non sine insigni contradictione suam ipsius sententiam evertit. *Concilium Basileense una* CVM CONSENSV LEGATI *Pontificis R. definiebat Concilium esse supra Papam. Quod tamen nunc judicatur erroneum.* Itaque Legatus non sufficit. Nam, ut ait alibi, *Non habet illud privilegium non-errandi quod habet Pontifex.* Hinc argumentor: Aut sufficit legati approbatio Conciliis, aut non. Si prius, cur Basileense decretum respuitur? Si posterius, cur olim in 8 Conciliis Oecumenicis Papa legatis mittendis putavit se

l. 3. c. 11.

L. 1. de Conc. c. 19.
L. 2. de Conc. c. 11. §. tertio. §. praeterea.

muneri suo satisfacere? Imo Bellarmini confessione ad Constantinopolitanum I. ne legatos quidem misit. Synodus Chalcedonensis legatorum etiam approbatione caruit, & tamen sarta tecta ejus autoritas in Ecclesia magis magisque effloruit. Sed pergamus. Concilia nullam amplius autoritatem habent. Nam liberrime respuuntur à Curia Romana QUOTIES LIBET. Sufficit hoc: *Non est approbatum.* Sed quomodo fit tandem ista confirmatio? *Pontifex mittere solet legatos* INSTRUCTOS *de sententia sedis Apostolicæ cum ea* CONDITIONE, *ut si Concilium consentiat cum judicio Apostolicæ sedis, formetur decretum; sin minus, differatur decreti formatio, donec R. Pontifex consultus respondeat.* Hæc praxis libertatem suffragiorum penitus tollit, quæ olim in antiquis Conciliis erat: hæc Episcopos meros Consiliarios, non judices constituit, quales olim in Conciliis erant. Quomodo libera Episcoporum suffragia sunt, si sententiam Solius Papæ tenentur sequi? Si non tenentur, quomodo firmitas Concilij à Papæ approbatione dependet? Olim vero legitima Concilia Pontifici repugnabant liberrime. Unde videmus Ecclesiam servitute oppressam è Christiana in Papanam degenerasse. Alterutrum necesse est, ut aut instructioni & sententiæ Pontificis Episcopi possint

l. 2. de Conc. c. 11. §. quod.

possint adversari, aut judices, quales olim erant, non amplius sint. At forsan Papa mutata sententia Concilij sensum sequitur, idque approbat. Hinc sequetur, Conciliorum decreta autoritatem suam omnem à Papæ judicio non mutuari. Hoc enim rejectum est. Sed novum quid Stapletonus affert inauditum melioribus temporibus Ecclesiæ: *Doctrina Papæ in mediis* DISCURSIVA *est; in conclusione* PROPHETICA. Wright: *Papa in præmissis potest errare, sed non in conclusione.* id est, ut ego intelligo; Potest sine medio concludere, & sine argumento argumentari: vel clarius dicam, cum ratione insanire. Feri Monachi judicium longe præstat. *In rebus fidei,* ait, *non* SATIS *est dicere,* VOLUMUS, MANDAMUS. *Pollicemur nobis* QUIDVIS *licere de plenitudine potestatis. Et quomodo Spiritus Sanctus hujusmodi conventus probare possit?* Olim concilia 1. Edicto imperatoris vel lege lata qua populus Concilij acta suscipere jubebatur, confirmabantur. 2. Assensu; qui communis fuit omnium Episcoporum, non proprius solius Episcopi Romani. Ita Episcopus Nicomediæ Eusebius, Nicææ Theognis: *Concilium consentientibus animis confirmare decrevimus.* Constantinus de Niceno 1. *Vos spero, quod in urbe Roma, in Italia, in Africa, in Libya, in universa Græcia, &c. consentiente sententia*

L. 8. de doctrinal. princ. c. 14.

Com. in Acta.

Sozom. l. 2. c 15.

Eusebius de vita Constantini l. 8. c. 18.

conservatur, hoc vestra etiam prudentia approbaturos. At jam Bulla Pij 4. super confirmatione Conc. Trid. longe aliter. MANDAMUS *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à sacris Canonibus constitutis, aliisque gravioribus* ARBITRIO NOSTRO *infligendis, universis & singulis Episcopis, ut ea decreta in Ecclesiis suis observent*. Num olim Silvester ita locutus est? Num olim S. Petrus in Concilio Hierosolymitano ita se gessit? Merito Ferus: *Nos aliter convenimus quam Apostoli*. Certe de Concilio Tridentino Stella, at quantus vir? ita sensit ut à risu sibi temperare vix potuerit. *Qui fieri potest*, ait, *ut adversus hæreses disputet, qui non fuerit Theologus? De his vera est Domini sententia. Si cœcus cœcum ducit, ambo in foveam cadent*. Summa res eo devoluta est iniquitate temporum ut Papa sese absolute supra concilium efferat, suumque unius judicium, neglecta autoritate œcumenici Concilij sequatur. Gregorius de Valentia: *Qui dicunt Concilium esse supra Papam, pugnant illi revera cum Pontificis Romanæ primatu*. Hinc argumentor: Qui revera cum primatu Papæ pugnant, non sunt Papistæ.

Comm. in Acta 15.

In Lucam c. 6.

Analys. l. 8. c. 7.

Patres 8. Conciliorum generalium, Africanarum item Synodorum, porro Constantienses & Basileenses, imo Papæ ipsi, cum primatu hoc pugnant. E. non sunt Papistæ.

De

De Conciliis notum eſt. Cuſanus. *Eſt epiſtola Papæ Damaſi epiſtolis Ambroſij inſerta, ubi Papa ipſe fatetur, in cauſa Bonaſi poſt Concilij decretum ſibi formam judicandi minime competere. Neque aut mihi contra ſententias veſtras aliquid tentandum eſt.* Zoſimus Papa: *Contra ſtatuta Patrum aliquid condere aut mutare nec noſtræ ſedis poteſt autoritas.* Leo Papa in Conc. 8. *Canonibus Nicænis neceſſe eſt me perſeverantem exhibere* FAMULATUM.

L. 2. de concordia. Catholica c. 18. 20.

Ambroſium vide Epiſt. 71, 73.

Quid item Chriſtiano aliud agendum, quam hoc quod Bernhardus ſuggerit? *Opponi poſſit Pontificis autoritas.* Sed TALIS POTIUS *autoritas proferatur, cui fas non eſt* CONTRADICERE, *ſummi illius Pontificis, qui per ſanguinem ingreſſus eſt in Sancta Sanctorum. Non dico præpoſitorum decreta à ſubditis dijudicanda eſſe,* UBI NIHIL IUBERE DEPREHENDUNTUR DIVINIS CONTRARIUM INSTITUTIS; *ſed neceſſariam dico eſſe prudentiam, qua advertatur quid adverſetur, & libertatem, qua ingenue contemnatur.*

Arias Montanus. *In rebus divinis autoritas divina ſpectanda eſt; nec decet multitudinem, aut conditionem perſonarum, ſed rem ipſam æſtimari.*

In Gal. 1.

Ut hoc clarissimè patescat, en Epistolas tres Papæ Liberii, *(quorum hominum autoritas religionem in Papatu, ut Bajulus Mundi Atlas Orbem sustinet) ex quibus evidenter patet, de Deo soli Deo credendum esse.*

Epistola I.

Dilectissimis Fratribus, Presbyteris & Coëpiscopis Orientalibus.

Liberivs S.

Fragm. Hilarij edita à Fabro. Baronius tom. 3. ad annum Christi 357. §. 43. 44. col. 803. & 804. edit. Colon. anno 1609.

Pro deifico timore sancta fides vestra Deo cognita, & hominibus bonæ voluntatis, sicut lex loquitur: Juste judicate, filij hominum. Ego Athanasium non defendo: sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius Episcopus decessor meus, verebar ne forte ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum meum commendavi sententiis vestris: literas ad hæcque super nomine ejus, id est, de damnatione ipsius, per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio,

nasio, super quo statuta omnium vestrum à me cum Sede Apostolica suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Orientalibus, seu per universas Provincias pacem & unitatem habere. Nam ut verius sciatis, me veram fidem per hanc Epistolam meam proloqui: Dominus meus & fratre communis Demophilus; qui dignatus est pro sua benevolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Sirmij à pluribus fratribus & Coëpiscopis nostris tractata, & exposita, & suscepta est. hanc ergo libenti animo suscepi, in nullo contradicens. Sane petendam credidi sanctitatem vestram, quia semper videtis in omnibus me vobis consentaneum esse: dignamini communi consilio, ac studio elaborare, quatenus de exilio jam divellar, & ad Sedem, quæ mihi divinitus credita est, revertar.

EPISTOLA II.

Ursario, Valenti, & Germinio Liberius.

QUia scio vos filios pacis esse, diligere etiam concordiam & unitatem Ecclesiæ

Catho-

tificibus confirmata, ut qui eas omnes tenere voluerit, tanquam Ecclesiæ vel necessarias vel utiles, hic imprudentiæ ne dicam stultitiæ jure optimo, summis rationibus arguatur. 4. Porro acta rescindere Conciliorum, & leges relaxare, Pontificis muneri adscribitur. In Conciliis cautum est: *ne neophytus ordinetur.* At in R. E. *jure puer potest suscipere ordines & Episcopus creari.* quod sane divinæ legi adversatur. δεῖ ἐπίσκοπον εἶναι μὴ νεόφυτον. Ajunt Apostolum hoc constituisse non ut ministrum Christi, sed ut præsidem Ecclesiæ. Quis non omnia eludat futilitate talium distinctionum? Picus Mirandula narrat puerum quendam in Episcopi locum adscitum, qui, quoniam literas penitus ignorasset, atque per jocum rogaretur, an magnos in disciplina progressus fecisset, responderit ingenue: *nondum se didicisse exordium orationis quam sacerdotes sacra facturi præfari soleant.*

Toletus apertè.

1 Tim. 3. 6.

Salmeron Comm. in 1 Tim. 3.

5. Denique contra jus divinum dispensat Papa. *Nam matrimonium quoad vinculum insolubile esse probatur ex verbo Dei, traditione, ratione,* ait Bellarminus. *Nam non potest inferior dispensare in lege superioris; proinde nec homo in lege Dei.* Jam vero *Pontifices haut raro in matrimonio dispensarunt,* nempe solvendo eo quoad vinculum. (De thoro & co-

L. 1. de matrim. c. 16.

Idem, ibid. cap. 11. §. prima propos.

& cohabitatione nulla quæstio est. Et nihilominus quæritur, an *jure hoc Pontifex faciat?* Bellarminus ait: *esse probabilem opinionem eorum qui id affirment, etiamsi forte contraria opinio sit vera.* Sic ludunt in re tanti momenti ubi agitur de obedientia divinis legibus præstanda!

Sacrobosc. in defens. pro Bell. p. 3. c. 2. §. quartum. L. 1. de matr. c. 14. §. at.

7. Hæc Magistra didactrum eo minus meretur, quod discipulos, nisi illud αὐτὸς ἔφα in ore & corde habeant, furiose & crudeliter è medio tollit. Mihi non est institutum hęc persequi, eo quod omnium historiarum monumenta exemplis exquisitæ, imo modum humanæ sævitiæ egressæ crudelitatis scatent. Albigensium 100000. uno die cæsi. Belgium, Gallia, Anglia, Germania HUIUS MAGISTERII fructus perceperunt. Jure Papa cum collegio suo Cardinalium Holoserico purpureo induitur. Hic est sanguis tot martyrum.

Hispania Inquisitionem, ne quid desit, addidit. Hujus descriptionem ex autoribus ipsis petamus licet. Indiam Magistra nostra spe & concupiscentia devorarat: quanta ibi cum mansuetudine & caritate miseros homines instruxerit in religione, infinita strages tot mortalium loquatur. Hoc non tam meo judicio dico quam testimonio fretus Episcopi Hispani Bartholomæi Casæ. Hic in narratione sua de regionum Indi-

carum per Hispanos devastatione sub finem libri hæc verba habet: *Rubore suffundi deberemus, quod omni timore Dei remoto, tam exsecrandis facinoribus colorem addere & ea excusare tentemus, cum præcipue cernamus nos 48 annorum spatio regiones majoris longitudinis, quam sit tota Europa & pars Asiæ ob hanc causam ut divitias consequeremur, destruxisse, eas terras depradantes & omni crudelitate, injustitia & tyrannide occupantes & usurpantes, quas humanis habitatoribus & incolis refertas vidimus, & in iis ultra viginti hominum milliones periisse certo scimus.* Sed manum de tabula. Precemur Deum, ne & ad nos Magistra ista CUM VIRGA veniat! Quantum humani sanguinis Romani Pontifices effuderunt ob solam INVESTITURAM Episcopatuum & Abbatiarum? A tempore Gregorij 7. sub quo hæc disputatio in Ecclesia Romana exorta est, amplius *centum prælia* commissa sunt: Italia, Gallia, Germania incendiis & rapinis devastata fuit. Boni Christiani Symbolum erat: *pugnare pro R. E. jurisdictione.* Talem se Magistra nostra Roma in didactro exigendo gessit, ut aut vi extorserit aut superstitione oblatum cupidè acceperit. Quidnam illud? *Totum mundum.* Hujus enim se directam Dominam anno 1073. quo Gregorius 7. sedit, gessit. Quod tempus ad annum 1517 duravit.

ravit. Interjectis 444 annis quam methodum docendi observavit? Scripturam in angulis monasteriorum situ & pulvere obductam jacere passa est, imo providit ut abstruderetur: reliquias adoravit: novos sanctos canonizavit, eorumque cultum Ecclesiæ injunxit: *Districte præcipimus ut natalem Thomæ martyris Cantuariensium olim Archiepiscopi, diem videlicet passionis ejus solenniter sub annis singulis celebretis, &* APUD EUM *votivis orationibus satagatis peccatorum veniam promereri*: imagines venerata est: Spectra & animas functorum de statu purgatorij consuluit: cœnobia ad remissionem peccatorum impetrandam ædificavit: expeditionem in terram sanctam eodem fine suscepit. Hæc docendi methodus pro didactro varia regna mundi patrimonio S. Petri addidit, nunquam fere sine sanguine. Longa est historia, longæ ambages. Papa Adrianus: *Sane omnes insulas, quibus Sol Justitiæ Christus illuxit, & quæ documenta fidei Christianæ susceperunt, ad jus S. Petri & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non est dubium pertinere*. Agebatur de Hibernia, quam Papa Henrico regi Angliæ occupandam, ea lege ut cathedras Petri tributum annuum penderet, tradebat. Hic Papa Arnoldum quendum Romæ flammis exurendum curavit, eo quod Magistram nostram παραπεμπαγω- [Matthæus Parisi. in Henrico 2. p. 91.] [i. e. aliter instruere.]

 δαγω-

δαγωγεῖν conaretur, ne negociis mundi se immisceret. Tandem musca in ejus os involitans Doctorem orbis è cathedra abire jussit. Visibile NUMEN in terris à musca! Hujus successor Innocentius 3. regi Angliæ Iohanni ita insultavit, quod morigerari ipsi nollet, ut totum regnum Angliæ in Fiscum Ecclesiæ converterit. Ita miser rex: *Iohannes Dei gratia Rex Angliæ. Volentes nos ipsos humiliare pro illo qui se humiliavit usque ad mortem, gratia spiritus inspirante, non vi interdicti, nec timore coacti, sed nostra spontanea bona voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum, conferimus & liberè concedimus Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo & S. R. E. Matri nostræ ac Domino Papæ Innocentio 3, ejusque Catholicis successoribus, totum regnum Angliæ & totum regnum Hiberniæ cum omni jure & pertinentiis suis, pro remissione omnium peccatorum nostrorum, & totius generis nostri tam pro vivis quam pro defunctis.* Item: *D. Papæ fecimus & juravimus homagium. Salvis per omnia denariis B. Petri R. Ecclesia* 2000 *marcas estrelingorum annuatim percipiat.* ô Piscatorem! ô Magistrum! ô Πόρνην ἐπῆλοφον. *Facta est Filia Sion quasi meretrix effrons, non habens ruborem! Nonne rex Anglorum, ait, noster est Vasallus? est, &, ut plus dicam, mancipium.*

Matthæus Paris. in Iohanne.

Matthæus Paris. p. 423. item 848.

Cap.

CAP. XIII.

Concilia Oecumenica, & speciatim Tridentinum.

DE his ante egimus. Hoc sufficit scire, Concilia in Papalia Consistoria degenerasse. Turrecremata fatetur, l. 3. c. 11. 8 *Conciliis, quæ in Ecclesia præstantioris autoritatis habentur, Papam nullum præfuisse.* Jam vero statim rejicitur, nisi Papa in eo omnia suo REMIGIO gerat. ô tempora! Cur olim præteritis seculis hoc præsidio Pontificio concilia Oecumenica libenter caruerunt? Sufficit, ait Bell. *quod legatum miserit,* L. 1. de Conc. c. 19. *qui personam suam sustinuerit.* Quid audio? L. 2. de Conc. c. 11. §. tertio. §. præterea. sufficit? Cur itaque à Legatis probatum Basiliense rejicitur? Sed ipse Bellarminus non sine insigni contradictione suam ipsius sententiam evertit. *Concilium Basileense una* CVM CONSENSV LEGATI *Pontificis R. definiebat Concilium esse supra Papam. Quod tamen nunc judicatur erroneum.* Itaque Legatus non sufficit. Nam, ut ait alibi, *Non habet illud privilegium non-errandi quod habet Pontifex.* Hinc argumentor: Aut sufficit legati approbatio Conciliis, aut non. Si prius, cur Basileense decretum respuitur? Si posterius, cur olim in 8 Conciliis Oecumenicis Papa legatis mittendis putavit se

muneri suo satisfacere? Imo Bellarmini confessione ad Constantinopolitanum I. ne legatos quidem misit. Synodus Chalcedonensis legatorum etiam approbatione caruit, & tamen sarta tecta ejus autoritas in Ecclesia magis magisque effloruit. Sed pergamus. Concilia nullam amplius autoritatem habent. Nam liberrime respuuntur à Curia Romana QVOTIES LIBET. Sufficit hoc: *Non est approbatum*. Sed quomodo fit tandem ista confirmatio? *Pontifex mittere solet legatos* INSTRVCTOS *de sententia sedis Apostolicæ cum ea* CONDITIONE, *ut si Concilium consentiat cum judicio Apostolicæ sedis, formetur decretum; sin minus, differatur decreti formatio, donec R. Pontifex consultus respondeat*. Hæc praxis libertatem suffragiorum penitus tollit, quæ olim in antiquis Conciliis erat: hæc Episcopos meros Consiliarios, non judices constituit, quales olim in Conciliis erant. Quomodo libera Episcoporum suffragia sunt, si sententiam Solius Papæ tenentur sequi? Si non tenentur, quomodo firmitas Concilij à Papæ approbatione dependet? Olim vero legitima Concilia Pontifici repugnabant liberrime. Unde videmus Ecclesiam servitute oppressam è Christiana in Papanam degenerasse. Alterutrum necesse est, ut aut instructioni & sententiæ Pontificis Episcopi possint

l. 2. de Conc. c. 11. §. quod.

possint adversari, aut judices, quales olim erant, non amplius sint. At forsan Papa mutata sententia Concilij sensum sequitur, idque approbat. Hinc sequetur, Conciliorum decreta autoritatem suam omnem à Papæ judicio non mutuari. Hoc enim rejectum est. Sed novum quid Stapletonus affert inauditum melioribus temporibus Ecclesiæ: *Doctrina Papæ in mediis* DISCURSIVA *est; in conclusione* PROPHETICA. Wright: *Papa in præmissis potest errare, sed non in conclusione.* id est, ut ego intelligo; Potest sine medio concludere, & sine argumento argumentari: vel clarius dicam, cum ratione insanire. Feri Monachi judicium longe præstat. *In rebus fidei,* ait, *non* SATIS *est dicere,* VOLUMUS, MANDAMUS. *Pollicemur nobis* QUIDVIS *licere de plenitudine potestatis. Et quomodo Spiritus Sanctus hujusmodi conventus probare possit?* Olim concilia 1. Edicto imperatoris vel lege lata qua populus Concilij acta suscipere jubebatur, confirmabantur. 2. Assensu; qui communis fuit omnium Episcoporum, non proprius solius Episcopi Romani. Ita Episcopus Nicomediæ Eusebius, Nicææ Theognis: *Concilium consentientibus animis confirmare decrevimus.* Constantinus de Niceno 1. *Vos spero, quod in urbe Roma, in Italia, in Africa, in Libya, in universa Græcia, &c. consentiente sententia* conser-

L. 8. de doctrinal. princ. c. 14.

Com. in Acta.

Sozom. l. 2. c 15.

Eusebius de vita Constantini l. 8. c. 18.

conservatur, hoc vestra etiam prudentia approbaturos. At jam Bulla Pij 4. super confirmatione Conc. Trid. longe aliter. MANDAMUS *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à sacris Canonibus constitutis, aliisque gravioribus* ARBITRIO NOSTRO *infligendis, universis & singulis Episcopis, ut ea decreta in Ecclesiis suis observent.* Num olim Silvester ita locutus est? Num olim S. Petrus in Concilio Hierosolymitano ita se gessit? Merito Ferus: *Nos aliter convenimus quam Apostoli.* Certe de Concilio Tridentino Stella, at quantus vir? ita sensit ut à risu sibi temperare vix potuerit. *Qui fieri potest*, ait, *ut adversus hæreses disputet, qui non fuerit Theologus? De his vera est Domini sententia. Si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadent.* Summa res eo devoluta est iniquitate temporum ut Papa sese absolute supra concilium efferat, suumque unius judicium, neglecta autoritate œcumenici Concilij sequatur. Gregorius de Valentia: *Qui dicunt Concilium esse supra Papam, pugnant illi revera cum Pontificis Romanæ primatu.* Hinc argumentor: Qui revera cum primatu Papæ pugnant, non sunt Papistæ.

Comm. in Acta 15.

In Lucam c. 6.

Analys. l. 8. c. 7.

Patres 8. Conciliorum generalium, Africanarum item Synodorum, porro Constantienses & Basileenses, imo Papæ ipsi, cum primatu hoc pugnant. E. non sunt Papistæ.

De

De Conciliis notum est. Cusanus. *Est epistola Papæ Damasi epistolis Ambrosij inserta, ubi Papa ipse fatetur, in causa Bonasi post Concilij decretum sibi formam judicandi minime competere. Neque aut mihi contra sententias vestras aliquid tentandum est.* Zosimus Papa: *Contra statuta Patrum aliquid condere aut mutare nec nostræ sedis potest autoritas.* Leo Papa in Conc. 8. *Canonibus Nicænis necesse est me perseverantem exhibere* FAMVLATVM.

L. 2. de concordia, Catholica c. 18. 20.

Ambrosium vide Epist. 71, 73.

Quid item Christiano aliud agendum, quam hoc quod Bernhardus suggerit? *Opponi possit Pontificis autoritas.* Sed TALIS POTIVS *autoritas proferatur, cui fas non est* CONTRADICERE, *summi illius Pontificis, qui per sanguinem ingressus est in Sancta Sanctorum. Non dico præpositorum decreta à subditis dijudicanda esse*, UBI NIHIL IVBERE DEPREHENDVNTVR DIVINIS CONTRARIVM INSTITVTIS; *sed necessariam dico esse prudentiam, qua advertatur quid adversetur, & libertatem, qua ingenue contemnatur.*

Arias Montanus. *In rebus divinis autoritas divina spectanda est; nec decet multitudinem, aut conditionem personarum, sed rem ipsam æstimari.*

In Gal. I.

Ut hoc clarissimè patescat, en Epistolas tres Papæ Liberii, *(quorum hominum autoritas religionem in Papatu, ut Bajulus Mundi Atlas Orbem sustinet) ex quibus evidenter patet, de Deo soli Deo credendum esse.*

Epistola I.

Dilectissimis Fratribus, Presbyteris & Coëpiscopis Orientalibus.

Liberius S.

Fragm. Hilarij edita à Fabro. Baronius tom. 3. ad annum Christi 357. §. 43. 44. col. 803. & 804. edit. Colon. anno 1609.

Pro deifico timore sancta fides vestra Deo cognita, & hominibus bonæ voluntatis, sicut lex loquitur: Juste judicate, filij hominum. Ego Athanasium non defendo: sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius Episcopus decessor meus, verebar ne forte ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum meum commendavi sententiis vestris: literas ad hæcque super nomine ejus, id est, de damnatione ipsius, per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio,

nasio, super quo statuta omnium vestrum à me cum Sede Apostolica suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Orientalibus, seu per universas Provincias pacem & unitatem habere. Nam ut verius sciatis, me veram fidem per hanc Epistolam meam proloqui: Dominus meus & fratre communis Demophilus; qui dignatus est pro sua benevolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Sirmij à pluribus fratribus & Coëpiscopis nostris tractata, & exposita, & suscepta est. hanc ergo libenti animo suscepi, in nullo contradicens. Sane petendam credidi sanctitatem vestram, quia semper videtis in omnibus me vobis consentaneum esse: dignamini communi consilio, ac studio elaborare, quatenus de exilio jam divellar, & ad Sedem, quæ mihi divinitus credita est, revertar.

EPISTOLA II.

Ursario, Valenti, & Germinio Liberius.

Quia scio vos filios pacis esse, diligere etiam concordiam & unitatem Ecclesiæ

Catho-

Catholicæ, idcirco non aliqua necessitate compulsus, teste Deo dico, sed pro bono pacis & concordiæ, quæ Martyrio præponitur, his literis convenio vos, Domini mei charissimi. Cognoscat prudentia vestra, Athanasium qui Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus fuit, priusquam ad comitatum sancti Imperatoris pervenissem, secundum literas Orientalium Episcoporum, ab Ecclesiæ Romanæ communione separatum esse, sicut testis est omne Presbyterium Ecclesiæ Romanæ. Sola hæc causa fuit, ut tardius viderer de nomine ipsius literas ad fratres & Coëpiscopos nostros Orientales dare, ut Legati mei, quos ab urbe Roma ad Comitatum direxeram, seu Episcopi qui fuerant deportati, & ipsi una cum his (si fieri posset) de exilio revocarentur. Et hoc etiam scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum petij, ut literas meas ad Clementissimum Imperatorem perferat, quas ad Orientales Episcopos feci, ut scirent & ipsi una secum Athanasij communione me esse separatum: quas credo quod pietas ipsius pro bono pacis gratulanter accepit, quarum exemplar Philagrio Imperatoris Eunucho prodat charitas vestra, hæc me benigno & inno-

innocenti animo gessisse. Quapropter his literis meis convenio vos, & adjuro per Dominum Omnipotentem, & Christum Iesum Filium ejus, & Dominum nostrum, & Spiritum Sanctum, ut dignemini ad Clementissimum Imperatorem Constantium Augustum pergere & petere, ut bono pacis & concordiæ, in qua pietas ejus semper exultat, me ad Ecclesiam mihi divinitus traditam jubeat reverti, ut temporibus ipsius Ecclesia Romana nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis Episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere, his literis meis æquo & simplici animo scire debetis, fratres charissimi. Magnum etiam vobis premium in die retributionis acquiratis, si per vos pax Ecclesiæ Romanæ fuerit reddita. Scire autem volo etiam fratres & Coëpiscopos nostros Epictetum & Auxentium, pacem me & communionem Ecclesiasticam cum ipsis habere, quod credo gratanter suscepturos. Quicumque autem à pace & concordia nostra, quæ per Orientalem orbem firmata est, dissenserit, sciat se separatum esse à nostra communione.

EPI-

Epistola III.

Liberius Vincentio.

Non doceo sed admoneo sanctum animum tuum, Frater carissime, eo quod colloquia mala mores bonos corrumpant. Insidiæ hominum malorum bene tibi cognitæ sunt, unde ad hunc laborem perveni: & ora, ut Deus det tolerantiam. Dilectissimus filius meus Vrbicus Diaconus, quem videbar habere solatium, à me per Venerium agentem in rebus sublatus est. Sanctitati tuæ significandum credidi, me de Contentione illa, *à nomine Athanasij* recessisse, *ad* Fratres *&* Coepiscopos *nostros* Orientales *literas dedisse, & desuper nomine ejus. Vnde quia, Deo volente, & pax vobis ubique est, dignaberis convenire cunctos Episcopos Campaniæ,* et hæc illis insinuare. *Ex ipsorum numero una cum Epistola vestra, de* vnanimitate nostra *&* pace *ad Clementissimum Imperatorem scribite, de quo possim & ego de tristitia liberari. Deus te incolumem custodiat, frater. Cum*

omni-

OMNIBUS *Episcopis Orientalibus pacem habemus & vobiscum. Ego me ad Deum absolvi. Vos videritis, si volueritis me in exilio deficere. Erit Deus judex inter me & vos.*

EN 3 Bullas *Numinis in terris maximi*, quibus Arrianam hæresin confirmat, & orthodoxos omnes è navicula Petri ejicit. Sed quia res magni momenti est, hasce Bullas Notis commentariis illustrabo.

Dilectissimis Fratribus, Episcopis Orientalibus.] Hi plerique omnes Arriani erant, & Athanasij hostes infensissimi. Horum pleriq; in Concilio Antiochiæ professi erant, filium patri dissimilem, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων creaturam esse. Cujus impietatis ipse Constantius Imperator auctor & vindex extitit, teste Athanasio. Horum hominum perfidiam, *sanctam fidem* Papa Romanus publico scripto judicat. Orat. contra Arrianos.

Athanasium non defendo] τὸ στῦλον τῆς ἐκκλησίας, ut Nazianzenus eum indigitat. Hic in tot Synodis, Alexandrina, Romana & Sardicensi innocentiam suam adeo perspicue probarat, ut calumniatores libellis oblatis Sardicensi Synodo, & Iulio Pontifici, falsæ accusationis & hæreseos veniam depre-

deprecari coacti sunt. Unde liquet, crimina morum Athanasio impingi, ob eadem Ecclesiæ communione excludi non posse. Epistola Concilij Sardicensis qua Athanasius defenditur apud Theodoretum extat. Hanc Liberius bene novit. Nam Concilium Sardicense celebratum est Anno Christi 347. undecimo à morte Constantini anno, in confinibus Illyrij, Mysiæ & Thraciæ. Ipse autem Papa factus est Anno 352. Convenerunt Episcopi 347. Præcipui Episcopi fuerunt Hosius Cordubensis Episcopus, Maximus Hierosolymitanus, Paphnutius, Spiridion, Serapion, qui omnes Nicæno Concilio interfuerant, & Arriani seorsim Philippopoli conveniunt, τὸ ὁμοούσιον excludunt, & Canones sub nomine Concilij Sardicensis passim disseminant. Interim Sardicenses Patres Concilium Nicænum approbant, & Athanasium absolutum Ecclesię suę restituunt. deinde rerum facies adeo conversa est, ut, cum Imperator Mediolani Concilio coacto Anno 355, ubi ex Oriente nonnulli, ex occidente 300 Episc. convenerant, eosdem ad damnandum Athanasij nomen induceret, & Liberium media nocte tumultus vitādi causa Roma abducendum curaret & Berœam hoc facere recusantem relegaret, omnes Episcopi toto orbe Catholici sedibus suis ejecti locum Arrianis cesserint, ipseque summus

Hist. Eccl. c. 8. item Tripart. l. 4. c. 24.

Socrates.

ſummus Præſes Concilij Niceni Hoſius ab Orthodoxa fide defecerit, cujus lapſum Baronius ita exaggerat : *Superavit mea ſententia lapſus Hoſij præteritorum omnium caſum, ſive Origenis ſive Tertulliani vel quorumvis aliorum dixeris. Sed haud Hoſij lapſu tragœdia illa finem accepit, quæ caſu Liberij Romani Pontificis longe reddita eſt lugubrior.* Dicite mihi Papiſtæ, an tum Eccleſia Catholica ſplendore, amplitudineque, hæreticorum conventicula antecelluerit? Hoc enim tertio quoque verbo jam ingeminatis. At paſſim nonnulli Epiſcopi orthodoxi claruerunt. Fateor; ſed è Cathedris ejecti. Tales autem apud vos nullo numero ſunt, qui nihil præter Cathedras earumque poſſeſſionem crepatis.

At ubi cognovi quando Deo placuit, juſte vos illum condemnaſſe.] Hoc nullus unquam Orthodoxus Epiſcopus dixit vel ſenſit.

Fortunatianum.] Epiſcopum Aquilejæ, qui primus teſte Hieronymo Liberium ad partes Arrianorum perſuaſione adduxit.

Dico me pacem cum omnibus vobis, & cum omnibus Epiſcopis Orientis habere.] Fruſtra itaque Baronius ſe fatigat, diſquirendo cui formulæ Sirmianæ Liberius conſenſum ſuum accommodarit: Arriani ſpatio 19. annorum, nempe ab Anno 341. novem formellas fidei ediderunt: primam Antiochiæ

in Encæniis: ultimam Arimini. Hæ omnes τὸ ὁμοούσιον excludebant, proque pomo Eridis habebant. At in ea voce tanquam in Cardine tota controversia vertebatur. Gregorius Magnus: Τὸ ὅμοιον κατὰ τὰς γραφὰς τοῖς ἁπλουστέροις δέλεαρ ἦν, τὸ τῆς ἀσεβείας ἀγκίστρῳ περικείμενον· ἡ πρὸς πάντας ὁρῶσα τῶν παριόντας εἰκὼν, ἡ κατὰ πάντα ἄνεμον λίκμησις. Semper à vero similitudo abest. Hujus Athanasius omnes istas formulas constanter rejecit, quia manifestam corruptelam Concilij Nicæni redolebant. p. mihi 152. Nam teste Sulpitio Severo, *ubi ὁμοούσιον erat scriptum, quod est unius substantiæ: illi ὁμοιούσιον, quod est similis substantiæ, scriptum esse dicebant, concedentes similitudinem, dum adimerent unitatem, quia multum ab unitate similitudo distaret. Sed quidam ex his ultra processerant ἀνομοιουσίαν profitentes, &c.*

Eoque his certaminibus processum, ut istiusmodi piaculis orbis terrarum implicaretur. Nam Italiam, Illyricum & Orientem Valens & Vrsacius cæterique infecerant. Gallias Saturninus Arelatensium Episcopus. Hispaniam Hosius, quod mirum & incredibile, cum Nicæna Synodus autore illo confecta habeatur. Nam ut verius sciatis me veram fidem proloqui, quæ Sirmij à pluribus fratribus & Coëpiscopis tra-

ctata

ctata & exposita est.] Hilarius addit: *Hæc est perfidia Arriana.* Cui cur Baronius contradicat eo quem latet? Faber probat duas tantum (non 3.] formulas Syriæ Sirmij editas fuisse. Hæc Formula à Marco Arethusæ Episcopo dictata, quæ sola ex 9. Arrianis formulis hæc verba habuit: *Filium similem patri per omnia, ut sanctæ dicunt & docent scripturæ,* ab Ursacio & Valente Patribus Ariminensibus obtrusa est, non in Concilio Sirmiano edita, sed aliquot annis post, nempe paulo ante istud Concilium. Hæc quia Consules additos habebat, Concilio Hæminensi partim bilem partim risum movit. Athanasius & Hilarius sententiæ nostræ adstipulatores sunt. Duas ajunt formulas in Syrmiensi Concilio editas. Priorem, qua Photinum damnarunt: alteram, quam Hilarius Hosij & Potamij blasphemiam vocat, quæ filium patre minorem ac plane dissimilem asserebat. Regulam Marci quæ Consules habebat, Athanasius asserit post illam Hosij blasphemiam scriptam fuisse. Hilarius initio libri de Synodis: *Gratulatus sum in Domino incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse, & missam proxime vobis & Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modo non suscepisse, sed nuntiatam & significatam damnasse.* Hæc est illa fides Hosij quæ autori- In fragm.

 tate

tate publica invulgata populisque indicta fuit, ut in eam jurarent. Hanc Liberius Papa approbat. Formula Marci edita est teste Theodoreto præsente Constantio, Eusebio & Hypatio [fratribus Eusebiæ Imperatricis] Coss. nempe Anno 359. in quem annum Concilium Ariminense incidit: At Concilium Sirmiense celebratum est Anno 357. jussu Constantij, in quo Photinus damnatus, notaque confessio cusa est, illa nempe Liberij subscriptione confirmata blasphemia. Unde Romam revertitur. Sed à parte Cleri minimè recipitur. Felix ab Arrianis intrusus, qui interea loci pro Pontifice se gesserat, hoc videns Imperatorem hæreseos damnat, ab eodemque trucidatur. Hic dico, si Liberius nihil aliud fecit, quam Photinum damnavit, cur Hilarius eidem per anathema denunciat? Cur à Clero rejicitur? Cur sedi ab Arriano Imperatore restituitur? Cur Romam ut Victor intrat? Cur metui ejus subscriptio tribuitur? Bellarminus agnoscit: Liberium etsi non *expresse* tamen *interpretative* in hæresin consensisse. Quicquid sit de consensu interno, certum est *expressè satis & aperte* Liberium mentem suam in epistolis declarasse. His stare cogimur. Et quid dubij superest? Liberius subscriptione sua Arriano Imperatori, & principibus Arrianorum & cunctis Orien-

Faber in Præf. fragment.

L. 4 de Rom. Pont. c. 9.

Orientalibus ad annum 357. satisfecit. Negent hoc si possunt. Quid igitur tibi vis, Baroni? *Liberius*, ait, *priori formulæ subscripsit quæ Photinum damnat, & Christum* ὁμοιούσιον *agnoscit*, ὁμοούσιον *non negat*. Quid tibi vis, inquam? Arrianus omnibus subscriptione sua satisfecit. Adeone tibi idem & simile non differunt? Adeone omnes Arriani, toto Oriente tibi hanc similitudinem professi videntur fuisse? Sed unde probas Liberium huic priori tantum formulæ Antiphotinianæ subscripsisse? Certa ejus rei documenta afferas oportet. Quod de Hilario affers, nihil est. Nam is non tantum hanc in initio probavit, sed & Pseudo-sardicensem, imo etiam Antiochenam in Synodis sine offensione exposuit & excusare conatus est. *Nihil mirum ait vobis videri debet fratres carissimi, quod tam frequenter exponi fides cœptæ sunt. Necessitatem hanc furor hæreticus imponit.* Sed postea ut sunt secundæ cogitationes sapientiores, in libro ad Constantium omnes præter Nicænam damnat. *Nam etiamsi*, ait, *his nihil vitiosum subjacere affirmetur, non tamen causa religiosæ voluntatis inest, quia mali meditatio est.* Athanasius orat. 1. contr. Arrianos, Catholicos monet ut formulas fidei Ursacij, Valentis, Demophili, Germinij, licet verbis ex sacra Scriptura desumptis scriptas, nihilo magis tamē

L. de Synodis.

admittant quam Christus Diabolum ex iisdem scripturis loquentem, quia impiorum sermones dolosi sunt. Et sane quam Orthodoxa potest esse fides illa, quam Narcissus, Theodorus, Eudoxius, Demophilus Episcopus Berœæ ubi Liberius exulabat, & cæteri perfidia inter Arrianos conspicui dictaverunt? Cur Hieronymus ait; *Liberium tædio victum exilij in hæretica pravitate subscripsisse?* O delicatum Vicarium Christi! quale exilium? Sulpitius Severus: *Cæterum exules satis constat totius orbis studiis celebratos, pecuniasque eis in sumptum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis Catholicæ ex omnibus fere provinciis frequentatos.* Credemusne matronas quæ pro reditu Liberij apud Constantium benigne iisdem respondentem intercedebant, Episcopo suo in exilio defuisse? Denique ut uno dicam verbo, hæc subscriptio Syrmij facta Anno 357. tam efficax fuit, ut eodem anno Romam, non erroris quidem sed exilij triumphator papatus recuperata possessione, regressus sit, quod sola Photini damnatione non obtinuit, sed Arrianismi aperta & publica approbatione meruit.

In Chron.

p. 152. edit. Franeker. Anno 1607.

Hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi, consensum accommodavi, hanc sequor, hæc à me tenetur.] Ita habet epistola in Fragmentis Hilarij, qui infallibilem nostrum

judicem

judicem ob ſententiam latam triplici execratione ἀναθεματίζει. *Anathema tibi à me dictum, Liberi, & ſociis tuis. iterum tibi anathema, & tertio, prævicator Liberi.* Addit Hilarius: *Perfidiam apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam à Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt qui conſcripſerunt. Narciſſus, Theodorus, Baſilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Vrſacius, Valens, Euagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus Baſſus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Iulius Surinus, Simplicius, Iunior* * OMNES HÆRETICI. Ipſe affirmat libenti animo ſe hanc fidem probaſſe, & teſtem Deum invocat. Cur Papæ jurato non credam de animo SVO IPSIVS teſtanti, quem nemo melius novit quam ipſe? Sed demus adverſariis, Liberium affectibus quibuſdam abreptum hæreſin probaſſe. Hoc illud ipſum eſt quod credimus, nempe Epiſcopos Romanos affectibus poſſe abripi eo uſque ut errores approbent.

Altera Epiſtola inſcripta

Vrſacio, Valenti, Germinio.] Hi ſunt germaniſſimi Arrianorum omnium principes. Urſacius Epiſcopus erat Singiduni ſuperioris Myſiæ: Valens Murſæ, Pannoniæ: Ger-

minius Cyzici primum, deinde Sirmij. τῶν ἀῤῥιομανιτῶν tragœdiæ choragi. Sed quales videntur judici nostro infallibili? *Filij pacis diligentes concordiam Ecclesiæ Catholicæ.*

Non aliqua necessitate compulsus, Deo teste dico, sed pro bono pacis & concordiæ his literis convenio vos fratres carissimi.] Hic nullam causam video cur jurato Papæ Papistæ nolitis credere, & nos ad credendum adigatis Papæ injurato. Pius 4. asseruit sibi decreta Tridentina probari. Simpliciter hoc credendum est. Credam, sed tunc, cum Vos credetis Liberio Sirmiensis fidei decreta approbanti. Consensus Pontificis cum Concilio, vestræ fidei fundamentum est, sed idem Arrianæ est perfidiæ. Quid si negem Pium 4. Tridentina decreta probasse? Ad Bullam ejus indubie me ablegabitis. Hic ego vos ad hæc *Bullas.* Quo prætextu vos hasce rejicitis, eodem Nos Tridentinas rejicimus. Ecquid peccamus vos?

Me autem cum omnibus vobis Episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere his literis meis æquo & simplici animo scire debetis fratres carissimi.] Quid expressius unquam dici potest? En quam tempora mutata sunt! Olim tibi Liberi nemo credebat quod Catholicus esses: jam nemo credit Arrianum fuisse. Hypocritam illum facitis, qui Dominum

non

non corde ſed voce negarit. Sit ita. quid proficitis? nempe Pontificibus publicè aliquod dogma approbantibus non ſemper credendum eſſe: Hypocrita Papa Eccleſiæ utilis eſt, modo actu externo definiat, quæ fidei ſunt: ſic hypocrita Papa noxius eſt Eccleſiæ ſi actu externo hæreſes approbet. Hinc externa illa approbatione Eccleſia niti non poteſt. Summa huc redit, Papam perjurum, & hypocritam vel hæreticum fuiſſe. Ejuſmodi autem hominum generi Eccleſiam inniti quis ſibi perſuadeat? Sed pacem ajunt Liberium cum Arrianis compoſuiſſe, quia ſe Catholicos fingerent. At tot confeſſiones ediderant, ut eorum ſententia neminem latere poſſet. Nicephorus refert ſolicitatum à Romanis Imperatorem reditum Liberio promiſiſſe, *ſi in eandem cum Epiſcopis ſuis ſententiam concederet*. Quid fit? παρασκευάζουσι συναινέσειν Λιβέριον. *Perficiunt ut Liberius iis aſſentiatur.* ſequitur: ὁμοίως δὲ συνῄνουν καὶ οὐρσάκιος ὁ γερμίνιος ὁ σιρμίου, καὶ οὐάλης. ὁμοίως, ait. Summa, nullus autor Latinus, qui ea tempora deſcripſit, hujus Liberianæ prævaricationis non meminit. Lyranus in Zachariam *Liberium paſtorem ſtultum vocat, eo quod finaliter Arrianus fuit.*

L. 9. c. 35.

Sozom. c. 15. Græc. Cod. L. 4.

Cap. 11.

De vi & metu quod afferunt ineptum eſt.

1. Ipſe in Epiſtolis ſibi vim allatam negat. Catalogo in Fortunatiano. 2. Hieronymus: *Hic* (Fortunatianus Ep. Aquilejæ] *ſollicitavit fregitque eum & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit.* Non Carnifex, non tortor equuleo & rota; ſed familiaris Epiſcopus argumentis. 3. Arriani: *εἰ τὸν* Λιβέριον ΠΕΙΣΑΙΜΕΝ, *πάντων ταχείως* Pag. 150. *κρατήσομεν*. 4. Sulpitius Severus: *Edictum ab Imperatore proponitur, ut qui in damnationem Athanaſij non ſubſcriberent, in exilium pellerentur.* Habuerat jam exilium. Quid amplius metuebat? Quis ei ulla tormenta intentavit? 5. In Epiſtola ad Vincentium ait: *Sanctitati tuæ ſignificandum credidi me de* CONTENTIONE *illa, à nomine Athanaſij receſſiſſe. Unde Deo volente pax vobis,* &c. Quid hic non liberum?

Quicunque autem à pace & concordia noſtra per orbem terrarum volente Deo firmata, diſſenſerit, ſciat ſe ſeparatum eſſe à noſtra communione.] *En fidem en dextram!* Quid amplius vis, Papiſta? Hic 1. videndum an Liberius Papa Romanus fuerit. 2. an conſenſus fuerit notus cum tota Eccleſia viſibili. 3. an ut Papa è Cathedra hæreſin probarit.

1. Papam fuiſſe negare nemo poteſt. Bellarminus: *Durante Liberij exilio Felix non fuit verus Papa, quia duo ſimul eſſe non poterant.* Bene. Hæretici enim ut poteſtatis

Eccle-

Ecclesiasticæ nihil habent ita nihil dare vel auferre cuiquam possunt. Vnde sequitur Liberium è sede pulsum mansisse eum qui fuit, nempe Papam, nec Felicem quicquam sibi juris acquisivisse. Sed pergit Bellarminus: *post biennium lapso Liberio abrogata à Clero dignitas est, & Felix verus Papa cœpit esse*: ô mentis ægræ somnia! Quis historicorum hoc ait? Hieronymus narrat permultos ex Romano Clero pejerasse & ad Felicem accessisse. Pontifici abrogari dignitas sine actione solenni nequit. Sed cur clerus R. dignitatem Liberio abstulit? Non quia Arrianus fuit, hoc enim negat, sed quia pacem cum Arrianis fecisset. En crimen! Nonne Felix Arrianorum pace ad Pontificatum obrepserat? Sed dicat Bellarminus, quando Liberius Ep. R. esse desierit? Certe non prius quam à Clero R. destitutus est. Ergo ante destitutionem legitimus Papa fuit. Ac destitutionem vult factam esse ob lapsum in hæresin. Ergo lapsus est, & subscripsit hæresi cum adhuc Episcopus legitimus & Papa fuit.

In Chronico.

2. Hic consensus Liberij privata non fuit cum aliquibus Episcopis conspiratio; sed cum iis qui Ecclesiam totam Catholicam repræsentabant plena & publica consensio. *Pax erat firmata per orbem terrarum: pax erat cum generali Concilio: pax erat cum Impe-*

Imperatore Romano. Sirmianum Concilium Baronius *Conventiculum Satanæ* appellat. Concedo fuisse. Sed ex hypothesi suæ doctrinæ aliter debet loqui. Nam Concilium tanti est, quanti à Papa fit. Concilium legitimum est, quod à Papa approbatur. Tale fiat Sirmianum. At non convocatum est à Papa. Nec Constantinopolitanum 1. à Damaso convocatum est. Quid ad hæc Bellarminus? *Sufficit* ut Concilium legitimum sit *si Papa non impediat, sed acta approbet.* En tibi Concilium legitimum! En consensum!

3. An ut Papa è Cathedra Arianismum Liberius approbarit, dubium nemini potest esse, qui novit quid sit è Cathedra definire. Papæ Avenione poterant controversias definire si universam Ecclesiam ad credendum anathemate obligarent. Bene. Sic Liberius se gerit. Omnes enim à sua communione removet, qui pacem Arrianam detestarentur. Gregorius de Valentia: *Quacunque Pontifex asserit obligando universam Ecclesiam ut illud recipiat, nec quisquam audeat sibi persuadere contrarium, tum certa fide credendum est illum infallibiliter ex divina assistentia id asserere.* Bellarminus: *Pontifex cum totam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Salmero satis caute: *Asserimus quod Papa, ut Papa,*

L. 4. de Pont. c. 3.

id

id est, *sedens in Cathedra, & legitime clave scientiæ sibi singulariter credita utens, & rem fidei determinans, errare non potest, ita ut definiat quicquam contra fidem.* Quando autem hoc fit? *Nempe cum apparet præceptum esse, quod* OMNES *sic credere & sentire debeant, sicut est determinatum.* Ergo obliget modo omnes, & statim patebit legitime scilicet usum clavibus suis Papam fuisse. Videamus jam Liberij determinationem. Hæc facta est cum summa obligatione universæ Ecclesiç ad credendum. Nam diversum sentientes sua è communione, & per consequens è Catholica Ecclesia, & tandem è cœlo, eliminat.

Liberius *fuit Pastor Oecumenicus, Vice-Deus in terris, qui cum Deo unum tribunal habet, ita ut ab eo ad Deum provocari nequeat.*



Sed

Sed quantum Baronij labor, quem in excusando Liberio sumsit, profecerit, est videre ex epistola Clarissimi & Doctissimi Theologi D. JACOBI LAVRENTII, *quam Notis hisce attexui.*

Vir Doctissime, ac ornatissime,

QVod posterioribus tuis hactenus neque responderim, neque petitioni tuæ satisfecerim, varia fecerunt impedimenta, quæ si aperirem, etiam tibi abunde satisfacerent. Itaque ut tandem aliquando hac in parte officio meo apud te defungar, ecce hasce responsiones à nobis benignè ac cum tarditatis nostræ excusatione accipe.

Duo in istis à me impense atque obnixe petis: Primò, *ut Baronij rationes & exceptiones brevissimè refutem.* Secundò: *ut judicium meum de argumento tuo quo responsionem cujusdam P. Serviam, Jesuitæ Lovaniensis refutas expromere velim. Ac de hoc quidem altero omnino sic statuo, responsionem illam prorsus esse solidam ac verissimam, adeoque & ego tecum dico*

ac

ac ſcribo tuis verbis: Eccleſia non poteſt externam Pontificum approbationem amplecti, obnoxiam nempe ſimulationi & errori, &c. *Itemque concludo: Quia ergo* Eccleſia animos Pontificum intueri nequit, ſolum externum judicium, vel voce prolatum, vel ſcripto comprehenſum, ſequitur. Ergo illud debet eſſe infallibile. *Refutationem autem aſſertionis Baronij ſtatuentis, Papam Liberium* PRIMÆ fidei Sirmianæ aſſenſum præbuiſſe, *&* non niſi EAM approbaſſe; *eamque fuiſſe* Catholicam, & Catholicæ veritati conſentientem, *ſic habe, præmiſſa ſententia & probatione ipſius Baronij.*

Baronius Tom. 3. ad annum Chriſti 357. num. marg. 9. & 47. & 51. Col. mihi 792. & 805. & 807.

Primo *probat Baronius argumento duplici: ex verbis Sozomeni lib. 4. cap. 14. ubi ſic ſcribit:* Viciſſim autem Confeſſionis fidei formulam à Liberio abduxerunt, quæ illis qui Filium Patri non ſubſtantia, & cæteris omnibus ſimilem aſſeverarent, interdixit Eccleſia. 2. *Quia* à S. Hilario unus Oſius adducitur in crimen, quod tacendum dixerit utrumque, nempe, ſubſtan-

Idem ibid. num. marg. 47. & 48. Col mihi 805.

stantiæ nomen in Filio, & omnimodam cum Patre similitudinem. Quo ipso, *inquit*, plane declaratur, verum esse, quod de Liberio habet Sozomenus, professione fidei ipsum statuisse, Filium Patri substantiâ, atque in omnibus rebus similem, cum Osius utrumque tacendum non esse dixisset, cui si connivisset Liberius, ante omnes fuisset ab Hilario nominatus.

Alterum *probat Baronius argumento itidem duplici*. 1. *Quia* eam interpretando Catholicam esse probat Hilarius. *Sive, quia eam* Hilarius cognovit esse Catholicam, cum eam est interpretatus. 2. *Quia* longe aliud & plane diversum est dicere, Liberium rejecisse ac damnasse in Filio nomen consubstantialitatis cum Patre, aliud, vocem illam silentio suppressisse. *Et*, asseverando Filium esse ejusdem cum Patre substantiæ, idem est, *inquit*, quod dicere, esse Filium Patri consubstantialem,

Idem ibid. num. marg. 46. & 50. Col. mihi 805. & 807.

Idem ibid. num. marg. 49. Col. mihi 806.

Refu-

Refutatio.

1. *De Liberio ita expresse ipse Sozomenus lib. 4. cap. 15. hoc est, eo ipso Capite secundum meum codicem, ex quo præcedentia citat Baronius.* Roma Sirmium reversus Imperator intercedentibus occidentalibus Episcopis, Liberiũ ex Berœa evocat, &, præsentibus Orientalibus legatis, sacerdotes qui in castris erant congregat, cogitque illum confiteri, Patri Filium non esse homousion. *Quod sane non est nomen consubstantialitatis simpliciter retinere, sed rejicere ac damnare; Et confiteri, Patri Filium non esse homousion, idem est quod dicere, Filium Patri non esse consubstantialem. Neq; aliter quoque de hoc negotio Nicephorus lib 9. cap. 35. sic scribens:* Vbi Constantius Romam venit, populi, & nobilitatis illustriores fœminæ, pro Liberio deprecantes ut illum restitueret ei institere. Et Imperator cũ Episcopis suis re communicata, redditurum se eis hominem pollicitus est, si in eandem cum Episcopis suis concederet sententiam.

Sozomenus pag. mihi 608.

Nicephorus col. mihi. 512.

Hilarius apud Baronium ibid. ubi supra, num. marg. 50. Col. mihi 807.

2. *Etiam de Liberio sic ipse Hilarius in libro fragmentorum de Synodo Ariminensi, S. Hilarii Episcopi Pictaviensis titulo insignito, ac edito Parisiis, à Fabro Papista, uti refert ipse quoque Baronius:* Anathema tibi à me dictum Liberi, & sociis tuis: Iterum tibi anathema, & tertio, prævaricator Liberi.

Sozomenus ibid. ubi supra.

3. *Ne ipsa quoque prima Sirmiensis formula fidei Filium Patri* substantia & cæteris omnibus *confitetur esse æqualem, sed tantum* similem. *Ita enim expresse Sozomenus, non solum in citatis à Baronio, sed etiam cap. 13. vel potius 14. in illis verbis:* Filius Dei secundùm essentiam Patri SIMILIS ostendebatur. *Itéque ipse Baronius in citatis:* De Liberio habet Sozomenus, professione fidei ipsum statuisse, Filium Patri substantia atque in omnibus rebus SIMILEM. *Jam vero quantũ ista duo differant, Filium Patri substantia, sive essentia esse* similem, *& esse* æqualẽ, *per se notum est, & patet quoque disserte ex Epiphanio, hæresi 73. ubi semiariani, uti eos ille ibi vocat, ita expresse:* Non dicimus coessentialẽ, sed essentia similẽ.

Baronius supra.

Semiariani apud Epiphanium, pag. mihi 405.

4. *No-*

4. *Notum quoque erat, & fatetur ultro ipse etiam Baronius, quod authores illius primæ formulæ fidei Sirmianæ, nempe, Marcus, Demophilus, Eleusinus, & Eustatius (sive illos* Semiarianos *vocet, uti contendit Baronius, sive* Arianos *vocet, namque & ipsum illum Demophilum inter* Arianorum principes *numerat ac recitat ipse iterum Baronius ad annum Christi* 359. *num. marg.* 3.) in alium sensum substantiæ vocem inflecterent, subdole eo nomine usi. Baronius ibid. ubi supra, num. marg. 49.

5. *Quantum momenti pro fide Catholica & orthodoxa situm esse judicarint olim orthodoxi in recensione vocis* Consubstantialitatis, *in fidei formula, patet non solum ex Patribus, atque ex Historia Ecclesiastica, sed & agnoscit ac profitetur ultro iterum ipse Baronius, ibid. ubi ante, num. marg.* 9. *aperte scilicet & ipse asserens, quod* omnis aditus hæresi Arianæ irrepere satagenti præclusus non sit, nisi pariter secundum regulam Nicænæ fidei vox consubstantialis apponatur. *Ideoque de B. Athanasio sic vel ipse iterum Baronius ad annum Christi* 359. *num. marg.* 10. Scimus, Idem Col. mihi 792. Idem Col. mihi 829.

 mus,

mus, ab Athanasio hanc (*loquitur de Sirmiana tertia*) & omnes Arianorum formulas, in quibus Consubstantialitas Filii Dei cum Patre non exprimitur, ut hæreticas esse repudiatas. *Adeoque secundum Athanasium nullum revera est discrimen inter nomen illud Consubstantialitatis rejicere ac damnare, & inter silentio illud supprimere.*

6. *Denique, uti scribit atque agnoscit ipse iterum Baronius, ad annum Christi* 357. *num. marg.* 55. In Oriente, & in Occidente increbuit rumor, Liberium inhæsisse Constantio, & hæreticum evsiasse, quod Nicænam fidem prodere visus esset, tum omittendo Confessionem Consubstantialitatis, tum etiam ejus propugnatorem Athanasium condemnando. Tanti enim momenti existimabatur Athanasii causa, ut qui in eum subscriberent, in Nicænam pariter fidem ferre calculum viderentur. *Quin & Liberius jam Romam reversus, refert & scribit ipse iterum Baronius, ibidem, num. marg.* 57. & 58. quod adeo turpiter Constantio consensisset, pluri-

Idem Col. mihi 808.

Id. ibid.

plurimorum à se animos abalienatos invenit, sicque qui Felicem antea abhorrebant, vitataque ejus communione, inhærētes erant Liberio, re audita, ab eo deficientes Felici Catholicæ fidei vexillū extollenti sese junxerunt. A quo tempore cępit Felix, ante schismaticus, haberi jam ab illis legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex; existimatusque Liberius, ob manifestā cū hęreticis communicationē, ex Epistolis ab ipso scriptis de convivencia cum Arianis, à communicatione Catholicorum prorsus extorris; impossibile esse judicantibus cunctis, eundem Liberium communicare posse hæreticis atque Catholicis. Cū igitur adeo manifeste constaret de ejus communione inita Sirmii cum hæreticis, ex eo ipso necessario videbatur exclusus à communione Catholica, atque ob id etiam à Pontificatus functione penitus alienus. His igitur tunc Liberio obnixius resistentibus, ejusque communicationem Ariano fædatam contagio execrantibus, magna Romæ turbatio

batio facta est, & plane persecutio excitata à Magistratibus adversus eos qui non parerent literis Imperatoris pro Liberii restitutione conscriptis.

Ex dictis vero nunc porro potius evincitur, Liberium, non quidem secundam Confessionem formulæ Sirmianæ, ob nimis apertam expressamque hæresis Arianæ impietatem (ut pote in qua, teste Baronio, num. marg. 25. dicebatur Filius Dei à Patre dissimilis secundum essentiam) *ab ipsis Authoribus & Imperatore Constantio statim revocatã atque abolitã, sed tamen non primã, sed tertiam approbasse eique subscripsisse. Interim & in hac quoque, non solum, ut & in prima, tantummodo dicitur, esse* Filium SIMILEM Patri suo; *verum etiam & ipsus nomen*, substantiæ, *omnino fuit sublatum, & hoc ideo, quia illud non extare dicebant in Scripturis, & quia captum nostrum superaret, cum nemo nativitatem Filii enarrare possit. Verba ipsa Confessionis sic habent*: Vocabulum substantiæ, quia simplicius à Patribus positum est, & à populis ignoratur, & scandalum affert, eo quod in Scripturis non con-

contineatur, placuit, ut è medio tolleretur, & nullam posthac de substantia mentionem esse faciendam, eo quod sacræ Scripturæ nunquam meminere substantiæ Patris, & Filii: Filium autē per omnia SIMILEM esse dicimus, quemadmodum sacræ literæ dicunt & docent. *Uti legere est apud Athanasium, de Synodis Ariminie, & Seleucia pag. mihi 319. Verum, quia & hanc quoque formulam Baronius scribit* existere consentientem Catholicæ professioni, & non ita adversam fuisse Catholicæ fideri, ut manifestam hæresim contineret, *quæ tamen ut jam ostensum, & ipsa quoque Patri Filium non profitetur æqualem, sed tantum* similem *atque ipsum quoque nomen* substantiæ *expresse rejicit, parum equidem interest, primam illam an hanc tertiã Liberius approbarit, maxime autem cum utraque, ob rationem jam dictam non sit orthodoxa, sed vere hæretica.*

Id. ad annum 357. num marg. 46. & ad annum 359 num. marg. 10.

Itaque ex veteribus ita aperte B. Hieronymus in Catalogo, de Fortunatiano: Liberium sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.

Idem in Chronico: Liberius tædio victus exilii in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit. *Neque alia mens B. Athanasii in Epist. ad solitariam vitam agentes:* Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est. *Eademque sententia* verior videtur *Bellarmino lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 9. sect. 5. Quin & aperte ex ipsis Papistis ita Lyranus in 11. cap. Sachariæ, super verbis illis:* Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti *&c.* Potest etiam exponi de Liberio Papa, qui dicitur pastor stultus, eo quod fuit finaliter Arianus. *Item Lindanus Panopl. lib. 6. cap. 6.* Liberius gravissime fractus ærumnis, in sententiam impii Constantii cessisse, adeoque subscripsisse fuit judicatus.

Athanasius pag. mihi 392.

Lyra Col. mihi 2185.

Lindanus.

Hæc sunt, vir doctissime, quæ super sententia ista Baroniana, adeoque de facto isto Papæ Liberii ad amicam seriamque tuam petitionem, in præsentiarum, tum per occupationes, tum etiam per infirmitatem corporis, quæ tamen per Dei gratiam jam utcumque

que

que diminuta est, elaborare mihi licuit. confido ea & tibi probari, nec ingrata fore. Vale mi Theodore, meque inter amicos tuos reputa. Scripsi Amsterdami ad diem 1. Aprilis 1638.

Tuus ex omni officio

IACOBUS LAURENTIUS.

APPENDIX

De vita Francisci.

ERuctus doctrinæ Antichristo propriæ est *impietas*. Hæc duplex est: *Nuda* & *Vestita*. *Nudam* prioris partis cap. 5. contemplati sumus. Restat ut *Vestitam & sanctitatis professione personatam* dispiciamus. Illa, sacri cleri superbia, luxuria, avaritia, ambitio, superstitio, ruditas, crudelitas in omnium oculos & voculas incurrit; hæc mantello simulatæ sanctimoniæ obtecta simplicioribus se mirifice approbat. Illi priores, ut *dedecorose vivunt, ita turpiter pereunt*; hi tanquam cœli Romani bajuli humeris totam Hierarchiæ molem sustinent. Et quia tanti est exercitus, quanti Imperator, age, Francisci vitam methodo in scholis recepta describemus. Non nemo testatur

Aurelius Victor.

statur Pontifices Romanos iis in cœlum mediis conari ascendere, quibus Lucifer inde descendit. Intelligit opinor *superbiam*, cui viam istam arduam inviam esse constat. Hinc S. Franciscus alia rem via aggressus est. Nempe Humilitate. Hæc ut vera Deo apprimè placet, ita ficta summe displicet. Utrius affinis ipse fuerit, res ipsa docebit, Hujus vitam contemplationi nostræ selegimus. Ludovicus Granatensis Dominicanus scribit Franciscanum *ordinē habere fere plura Monasteria, quam reliqui omnes*. Hic status habetur summæ perfectionis, ut *hierarchicus* dicatur. Franciscus sedem Luciferi occupavit, quod Diaboli testimonio patet. Cum in metu essent discipuli 12, ne minis asperam *Regulam* conderet, Christus aperte è nubibus ut θεὸς ἀπὸ μηχανῆς: *Francisce, nihil est in regula de tuo, sed totum est meum quicquid ibi est. Et volo quod Regula sic servetur ad literam, ad literam, ad literam, sine glosa, sine glosa, sine glosa*. In iis hæc est: *Ne studia curent*. Hic ordo tam sacer est ut nemo in habitu ejus moriens damnetur. Additur, hoc *pie* & *sane* intelligendum, sc. *si Regulam servaverit*. Sed ex praxi perpetua moribundorum aliter patet. Hi enim qui nunquam hoc vitæ genus secuti fuerunt, habitu isto peccata sua tegi desideraverunt. Ordo liberaliter etiam hac mortalibus persuasione

Conc. 2. de S. Francisc.

Conform. p. 3. p. 77.

Risum teneatis amici? pag. 91.

ibid.

ne imbutis eundē impertit. Hinc cum Diabolus fratrem quendam sacra indutum veste in infernum absportasset, eandē coactus est Francisco reddere. Denique per Franciscum recta ad Deum itur. Ita ait: *Fratres, Deus vocavit me per viam simplicitatis & humilitatis : hanc viam ostendit mihi pro me & pro illis qui volunt* MIHI *credere*, *&* ME *imitari. Capitulum quarta Regulæ.*

Hæ manus argentū olent.

p. 119.

Præcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo pecuniam recipiant nec per se nec per alium subornatum.

Hic Magister non tenetur.

Sed & prius pauca de autoritate & stylo libri, deque conformitate adspergam. Liber totius Ordinis consensu editus est.

Bartholomæus de Pisis S. Theologiæ Magister indignus Reverendis in Christo patribus, fratribus, Henrico Generali Ministro, & aliis Ministris Assisii &c.

Cupiens aliquid componere ad Francisci laudem, gloriam & honorem, offero corrigendum vobis, deprecans instanter ipsum Patrem Franciscum, ut *vos & totum Ordinem Minorum in agendis dirigat*, & *ad gaudia perducat æterna.* Amen. Assisii 1. Augusti.

Responsio Capituli Generalis.

In Christo sibi carissimo fratri Bartholomæo de

de Pisis Fr. Henricus & cæteri congregati Definitores Assisii anno Domini 1399. 2. *Aug. salutem & pacem.*

Citius quam asparagi coquuntur.

Opus quod divina favente clementia, & intitulatur de conformitate vitæ B. Francisci ad vitã Domini nostri Iesu Christi, fecisti, inspici, discuti & examinari fecimus DILIGENTER *cum arbore, quam nobis* PERSONALITER *præsentasti, & nihil invenimus* CORRECTIONE *dignum, sed laude, de quo tuæ regratiando* PRUDENTIÆ *præsentibus* damus licentiam &c. *In cujus rei testimonium præsentem literam in Registro Ordinis positam fecimus sigillo generalatus officii impressione muniri. Data in dicto sacro loco,* &c.

Aliter judicassetis, nisi jecinur aut animam anseris habuissetis.

Opus est impressum Mediolani in ædibus Zanoti Castilionæi anno D. 1513. *ad laudem & gloriam B. Mariæ,* 18. *Augusti, dominante Maximiliano Sfortia, quo anno ob bella civitas per annum fere interdicto subjacuit Ecclesiastico, quoque Leo X. Papa factus est.* De stylo Autoris ita Typographus philosophatur in calce libri. *Vocabula minus Grammaticalia non immutavi, quoniam à Spiritu sancto ita exeunt in viros graves, ne hominum judicio & Grammatica subjaceant. Absurdum enim tam sancti viri judicium cujus ingenio plusquam* 30. *volumina edita ingentia librorum, Grammatices judicio subjacere. Ergo hoc*

Quis talia fando temperet à risu?

egregium opus suscipite. Distribuimus rem in 3. tempora. 1. id quod vitam antecessit. 2. id quo vixit. 3. id quo obiit.

De ortu.

Mi Francisce, *quæ te tam læta tulerunt secula? Qui tanti talem genuere parentes?* Patre non admodum propitio usus est. Hinc ejus maledictis succlamatus Mendicum pro patre sibi adscivit, ut dum alter ipsi malediceret, hic benediceret. Patri Petrus Bernhardo Mercatori: Matri nomen *Pica* fuit. p. 28.
cujus dictum inprimis fertur. *Quid, putatis,* p. 13.
iste filius meus erit? Meritorum gratiâ Dei filium ipsum noveritis futurum.

Antiqua legenda habet, nato Francisco ibidem.
turbatum fuisse in inferno, dæmonesque credidisse judicii diem appetisse: tandem cum nondum illuxisse perspicerent, dixisse, natum esse quendam qui infernum commoturus sit, continuoque de natali Francisci cognovisse.

Sibylla sub rege Priamo de Francisci ortu vaticinata hisce verbis est. *In ultima ætate humiliabitur Deus, & humiliabitur proles divina. Jungetur humanitati divinitas. Jacebit in fœno agnus.* p. 10. Τὸ δοκεῖν & τ' ἀλήθειαν βιάζει.

Hinc merito auctor Conformitatum ita librum exorditur. *In nomine Domini nostri Jesu Christi & B. Virginis Mariæ & B. Patris* p. 1.

tris nostri incipit Opus, &c. *Christus mihi & ipsis*, MERITIS *almiferi Confessoris Francisci, signiferi ejusdem Dei & Domini nostri Jesu Christi, in præsenti* GRATIAM *& in futura æterna* FELICITATIS *regnum tribuat.*

Sed in vita ejus 2. expendemus. 1. Mores. 2. Miracula. Mores considerantur vel in ficta perfectione, vel in vera fatuitate.

1. *De Francisci ficta perfectione.*

pag. 1. Autor ait Franciscum studio hoc unice habuisse ut Christum amaret super omnia, ei soli omni spe & fiducia adhæreret, nullique alteri.

Extant sententiæ sane quam piæ in Conformitatibus, quas Francisci discipulus Ægidius usurpare solitus est. *Tantum quisque credit quantum operatur. Si bene crederes, bene operareris.* Hoc totum est à Reformatis. Hi enim fidem salutis largitricem haut aliam ac fœtam bonis operibus agnoscunt.

Si vis bene audire, sis surdus.
Si vis bene vivere, crucifige te.
Gratia non vult laudari; vitium non vult vituperari.
Si quis perfecte haberet veram fidem, ple-

plenam de salute sua certitudinem nancisceretur.

Si te ipsum vincis, omnes inimicos vinces tuos.

Si proximum te offendentem non minus diligis quam ante, vere diligis; alias te ipsum dilexisti.

Hoc aurum è stercore primum omnium colligendum censui.

Euangelium servavit ῥητῶς, nec apicem unum vel iota transgressus. Tradit solus, regulam in Euangelio fundatam *speciali modo & forma. Non est ei inventus similis qui legem excelsi conservaret*, Eccles. 44. Omnes omnium sanctorum virtutes tam V. quam N. Testamenti in eo fuerunt *unitive*, quia fuit factus Christo similis. Hoc probatur Conform. 1. & 25. Fr. Leo vidit Scidam à Spiritu Sancto in caput Francisci dimitti cui inscriptum erat: *Hic est gratia Dei. Merito per Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Doctores, Virgines & alios justos Franciscus figuratus est.* p. 2. ibid. p. 41. p. 5. p. 2.

Enoch & Elias lætati sunt ortu Francisci, ut Legenda Fr. Benedicti de Aretio in Paradisum translati habet. *S. Joannes in ordine Seraphico sublimatus: B. Franc. in ipso ordine Luciferi sedem occupat. Johannes verbum de pœni-* p. 22. Cede majori.

Nos sumus ergo pares. *pœnitentia accepit à Domino: B. Franciscus à Deo & Domino Papa.*

Orto bello inter Perusium & Assisium captus est. In carcere ita se gessit ut risui omnibus esset. ipse vero: *Quid putatis de me? Adhuc adorabor per totum mundum.* Tandem purgatorium evacuavit Fr. Leo vidit Franc. in aëra sublatum. Hinc in hasce preces erupit. *Deus propitius esto mihi peccatori & per merita hujus sanctissimi viri fac me tuam invenire misericordiam.* Tandem Diabolus possidens fœminam adjuratus hoc de Francisco testatus est: *ille stomachosus ita amicabiliter fuit conjunctus cum crucifixo & transformatus in ipsum, quod Deus voluit* PER EUM *salvos facere Christianos.*

Angelus aliter: *Ne feceris. Deum adora.*

p. 221. Dignum patella operculum!

Christus, B. Virgo, Ioh. Baptista, Euangelista, Petrus, Paulus, Abraham, Angelus Michaël crebro ad Franciscum inviserunt.

p. 2. Christum infantem in ulnis gestavit. Virginis pulcherrimæ osculis & complexu à principio noctis ad stellam usque matutinam recreatus est.

Tandem illud in Franciscum verè verbum, p. 5. ut docent, accidit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Consilio & divina providentia Franciscum missum patet.* Gen. 1. *quia Deus ait: Faciamus. Fuit homo perfectissimus, quia ad imaginem Dei. exemplarissimus, quia ad Dei similitudinem. neque de*

ligno

ligno mali comedit. Filius Dei sibi Franciscum per omnia similavit. B. Maria ut Franciscus in mundum mitteretur, Patri & filio supplicavit.

Est signifer & cancellarius Christi, imo thesaurarius. quod sane nescio, an Papæ Romano satis placeat. Denique Iesus Typicus est, quod quidam versificator ita haut gravatus est exprimere: p. 3. 4. p. 4.

Francisce Iesu Typice, Dux, Formaque Minorum,
Per te Christi mirifice sunt gesta & donorum.
Mala Pater egregie propelle animorum,
Sedes Nobis perpetuas da regni supernorum. Amen.

Φασὶ μετὰ μαινομένων χρῆναι μαίνεσθαι ἅπαντας.

2. *De vera fatuitate Francisci.*

Sed sunt serioris ætatis homines, septentrionem incolentes, quibus hæc bilem & risum in nasum conciunt. Neque id ab re sibi videntur dixisse. Nam *fatuum se ipsum esse dixit.* Cur tam sancto viro fidem non habeant? Mentiri non est sancti. Deinde sanctum eum fuisse negant, quia ipse negavit. Nam cum nudus ad populum verba fecisset, laqueo collo injecto, eo quod æger *carnes brodio conditas* comedisset, hoc sibi thema tractandum sumsit, *quod ipse sanctus non esset.* Alio tempore fratrem able- p. 33. p. ead. Quale hoc edulium? *Nec te collaudes, nec te culpaveris ipsum. Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.*

garat Assisium ad prædicandum, solis subligaculis tectum, cætera nudum. sed cum animum ad cogitandum instituisset, reperit hoc esse nimis durum. ideo ipse fecit. Ita uterque nudus se populo conspiciendum prębuit. qui tandem de iis hoc judicium fecit. *Isti faciunt tantam pœnitentiam, quod efficiunt amentes.*

p.48. p.164. Tonsori cuidam vitam æternam, certior de ejus electione factus, promisit. Hinc barbam ei bene abrasit.

p.135. En efficaciam erroris? Excogitavit modum, *quo omnes possent salvari.* hunc Maria procurante à Christo edocetur. *Nempe salus obtinget cunctis qui 2. Augusti Ecclesiam S. Mariæ de Portiuncula intrabunt*, (in hac Ordo Minorum institutus est,) *ibique à vesperis primæ diei ad vesperas sequentis nempe 24. horas confessi & contriti durabunt.* Sed operæ est historiam recensere. Christus stipatus satellitio Angelorum una cum matre in eo templo erat. Angelus Francisco nuntiat, Christum adesse & expectare ipsum. Adit eum. Christus: *valde solicitus es de salute hominum. postula quod vis, quia datus es in lucem gentium.* Igitur Franciscus suum consilium Christo exponit. Maria proco intercedit. Christus: *Satis grande est quod petisti; sed majoribus dignus es. Eas ad meum Vicarium*, & ab eo PETAS EX PARTE MEA *dictam indulgentiam.* Franc.

Christus à Papa indulgentiam petit.

it Ro-

it Romam, & indulgentiam petit ſine *obla-tionibus*. Reſpondent, *hoc non decere, nam indulgentiam promerendam eſſe* MANV ADIVTRICE. *Dat is te ſeggen*, **met Penninghen.** Ad Papam admittitur. Petit Chriſti nomine, ut à culpa & à pœna in cælo & in terra abſolvantur homines à die baptiſmi ad horam qua templum ingreſſi fuerint. Cui Papa: *Multum eſt quod petis. Peto*, ait illè, *Chriſti nomine. En, fiat, ait Papa.* Sed Cardinales legi intercedebant, dicentes: *Ultramarinam Indulgentiam deſtruis & Beati Petri & Pauli.* ſed Papa: *Dedimus & conceſſimus eam ſibi. non poſſumus deſtruere. ſed modificemus eam*, quod tantum ad diem natalem ſe extendat. Franciſcus his cum dictis abit. cui Papa: *O Simplicione quo vadis? quid portas de indulgentia?* Franc. *Tantum ſufficit mihi verbum veſtrum. charta ſit B. Maria: notarius Chriſtus: angeli teſtes.* Ita dictum factum reddit. Hinc ſub Bonifacio 8. quaſi 120. è Slavonia Aſſiſium proficiſcuntur ad indulgentiam iſtam percipiendam. Anconæ in Prædicatores incidunt, quorum unus: *O ſimplices, cur tot laboribus vos exponitis & caloribus, ubi non ex tanta indulgentia ſicut dicitur, non poſſunt privilegium Minores oſtendere. ſed hic in noſtro loco eſt indulgentia magna.*

Roma manus redit.

Cave tibi Priſciane. haut indulgenter tractaris.

Franciſcus judicio ſedis Apoſtolicæ fatuus eſt.

Hic notarius teſtibus indiget.

p. 136.

Væ mihi tum nigræ dicebat cacabus ollæ.

Alio tempore carnes æger comederat. p. 165.

Pœnitentia ductus jussiit se trahi nudum ad locum supplicii, ibique iterum concionatus est in hæc verba: *se non ut Spiritualem honorandum, sed ut carnalem & gulosum ab omnibus contemnendum esse.* Hinc nonnulli concludunt, qui facit id quod pro concione jussit, recte facere. Summa: Aut jussit impia, vel recta. si hoc, bene est, fiat. sin illud, non est sanctus. Quidam ex ejus discipulis clare vidit in libro vitæ æternæ omnes salvandos usque ad diem judicii.

p. 61. Spontalis stultitia nimia est miseria.

Perfectam lætitiam ita Franciscus descripsit. Si venerimus ait ad ostium mendicaturi victum, & portinarius *duos ribaldos, pultrones vilissimos, nos appellet, exiens cum fuste nodoso, capiens nos per capucium, & ad terrã super lutum & nives projiciat, atque verberet cum fuste prædicto: si tum cogitaverimus humiliter & caritative, quod portinarius veraciter nos cognoscat, hæc est perfecta lætitia, præsertim si dicat: Pauperum eleemosynas rapuis ribaldi, euntes circumquaq; per mundum.* Sed Concilium olim etiam œcumenicum horum Trutanniorum puduit, ut vidimus.

Apostoli Christi, non Ventris causa ignominia affici voluerunt. Een schurft schaap is haest ghe-raeckt.

p. 34. Franciscus patiebatur non tantum manus sed & pedes osculo sibi affici: Fr. quidam hinc offenditur. cui ille, *isti homines nihil faciunt de reverentia respectu ejus quod debent facere. Nam reverentiam ad Deum remitto. Homines Deum honorant in sua creatura.*

Cur angelus ita Iohannem non instruxit?

Natura

Natura prodigus fuit ut plus erogaret quam fratres ejus ferre possent, idque auræ popularis captandæ causa. Hinc illi res ad restim rediit: hinc patris gratia excidit: cui tandem coram Episcopo abrenuntiavit, femoralibus & vestibus abjectis in publico loco. *Jam*, ait, *veraciter possum dicere: Omnia reliqui.* ô homo fatui capitis, quæ te intemperiæ agitant? Parentes odio habuit, quia studuit Euangelium *ad literam* implere, in quo habetur: *Nisi quis patrem & matrem oderit, non est me dignus.*

Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

Proposuit omni petenti dare, maxime si divinum allegaret amorem. Hinc sæpe *camisiâ* exuebat. quasi mendici nonnulli nomine divino non abutantur. Cum *beatificaretur* ab hominibus, ajebat: *nolite hoc dicere: possem enim filios & filias adhuc habere.* Sed miror quomodo tot eleemosynas erogare potuerit qui nihil prorsus possidebat, & nihil juris in ullam rem habebat. Antequam in hosce mores novos se transferet, collegio lurconum præfectus est ludibrii causa. hinc noctu, interdiu plenus Baccho, per vicos urbis cum baculo grassabatur cantando.

Caritas incipit à seipsa.

p. 36.

Alibi: de ligno non gustavit.

So macht de Vader noch wel graau worden.

Domum ab Assisinatibus extructam demoliri, deque viminibus, luto & paleis, Ordini collegia ædificare voluit. Sed cives hominem cohibuerunt. Hic ingenium Iesuitarum non agnosco. Cum F. diceret: *ve-*

nio de cella tua, statim ex ea alio demigravit.

p. 28. Apostolus aliter. *Nemo juventutem tuam contemnat.*

Persecutiones appetebat. Christiani patienter tolerant. Vituperari à cunctis peroptat & mandat.

Sed audiamus quid autor de eo dicat p. 33.

Satis ne hic homo animum mente sincera gerit?

Per vicos & plateas tanquam ebrius Spiritu cœpit Dominum collaudare: omni verecundia postposita. qua laudatione completa ad acquirendos lapides cœpit intendere. Dicens, qui mihi dederit unum lapidem, habebit unam mercedem, qui duos, duas, qui tres, tres &c. & sic dicebat de aliis. Quidam eum audientes insanum putabant, alii lacrymabantur, quod ad tantam despectionem sui venisset de tanta lascivia, & seculi vanitate. Pater eum primo verberibus deinde vinculis coërcet, ob sannos & equum venditum. Intellexerat enim Franciscus *ab imagine Crucifixi* pecuniam in usum ædiculæ erogandam esse. Fur erat, quia sub patria potestate nihil juris in patrimonium habebat.

p. 38.

Proprium sibi patrem eligit Medicum. Sed antea dixerat se *solum patrem in cœlis* agnoscere.

Totum diem in fovea stetit conspectum patris fugitans, exinde repente exiliit seque in urbem corripuit. Hunc sentum, squalidum, cives intuentes mentis desipere judi-

p. 27. O præligatum pectus!

judicarunt, lapidibusque in eum & luto conjectis, conviciisque plurimis diem extraxerunt. Inducebat populum ad sibi maledicendum, occulta peccata ei revelando. ibid.

Bernhardum eo, quod ipsum à contemplatione avocasset, jussit collo & faciei pedibus insultare plurimisque conviciis incessere. p. 42.

Elegit 12. discipulos. è quibus unus se suspendit, nempe Fr. Iohannes de Capella, qui primus *Biretum* sive *Almucium* gestavit. Nam egressus ex ordine lepra correptus ex impatientia doloris literam de se longam fecit. Sed mirum ni etiam medius crepuerit. p. 39.

Sed quam sancti discipuli eorumque successores fuerint, ex hac historia videamus. Fr. Leo vidit duas scalas rubram & candidam à terra ad cœlum pertingentes. Rubræ Christus & paulo inferius Franciscus; candidæ S. Maria insistebat. Fratres correpere in cœlum & eniti per rubram scalam conati in terram præcipites rejiciuntur. & Franciscus rogare quid causæ sit. Christus latus & manus ei ostendens ait. *Nonne vides vulnera de integro inflicta cruorem destillare? Hujus rei autores sunt Fratres tui.* Hinc Franciscus ad Fratres: *Confidite, ne desperetis filii, currite ad scalam albam, & ascendite. Per eam in cælũ intrabitis. Ecce B. Virgo apparuit,* & sic *sine* labore in cælum ingrediebantur. p. 43.

Soli Christo sc. adhæsit.

Credat Iudæus Apella.

Massæus à Francisco in gyrum se jubetur circumagitare, quoad vertigine correptus cadetet. Tum jubet eum dicere, versus quã urbem faciem convertisset. qui ait versus Senas. *Eamus Senas*, ait.

O Spiritus vertiginis! p. 45.

Diabolus fratrem quendam de prædestinatione tentavit. Franciscus jubet fratrem dicere: *Aperi os tuum Diabole, & ego stercorizabo in illud*; & ipse statim à te effugiet. Statim Christus apparuit & hominem dulcedine replevit.

Probatum est.

p. 195. Cum Fr. quidam pecuniam oblatam dono, manu tetigisset, jubet eum, hanc ore apprehendere & collocare super stercus asini extra sepem.

Sine glosa. p. 187. Scientiam ipse habere noluit, nec fratres suos, sed orare, prout dicit Regula.

Tandem officio Præfecti se abdicavit, quia fratres nolebant amplius ejus admonitioni parere, e. i. ineptias perferre. Quomodo lupum converterit, & ad frugem correxerit, imo ad pudendum induxerit, & tantum non ad lacrymas coegerit castigando: item quomodo avium turbam allocutus sit: ranis silentium imposuerit: ovem apud S. Mariam docuerit genua inter cantandum flectere, sacramentum venerari, & ante altare Virginis balare: item lepusculum & cuniculum gremio insilientes exceperit: hirundinum sororum sanctum garritum

p. 22. p. 131.

tum

tum compeſcuerit quid: attinet commemorare. His exemplis liber redundat. In caſtro Trevii ait: *Frater aſine ſta in quiete & dimitte me prædicare.*

In caſtro Alviani. *Sorores meæ hirundines, jam tempus eſt, ut & ego loquar, quia vos uſque modo ſatis dixiſtis. Audite verbum tenentes ſilentium.* Lupo dixit: *præcipio tibi in nomine Chriſti, ut venias mecum, nihil* DUBITANS, *ad faciendam pacem in* NOMINE DOMINI. *Da mihi fidē te promiſſis manſurū.* Lupus biennium in civitate vixit oſtiatim victum quærens, nec lędens quemquam, nec læſus à quoquam. Canes eum haut allatrabant. Tandem Fr. lupus ſenio mortuus eſt.

De Miraculis.

Chriſtus B. Franciſco dedit ſtigmata ſua, & ſuorum ſtigmatum dolorem, quem ipſe in cruce ſenſit. Chriſtus dixit: *Ego dedi tibi ſtigmata mea. Ut ego meritis & virtute animas è lumbo eduxi: ſic volo ut & tu, ut ſis mihi conformis in morte, ut in vita fuiſti: die tuo natali quotannis ad purgatorium eas, & omnes animas 3. Ordinum, quas ibidem invenies,* IN VIRTUTE & EFFICACIA TUORUM STIGMATUM, *eruas & ad gloriam paradiſi perducas.* Hæc liberatio quemvis debet inducere, ait Autor, quæ *meritis & vo-* p. 208. p. 209. Scilicet. Magno mereantur Atridæ.

 luntate

luntate S. Francisci fit, ut in aliquo 3. Ordinum militare velit.

Hinc Minores *omni devotione totaliter* erga Franciscum afficiuntur, quia ipsorum est post mortem *Liberator*.

p.210. Gregorius 9. jubet hoc credendum esse, sub nota hæresis, siquis contrarium docuerit, inductus visione nocturna. Nam Franc. sanguinem ei visus est in phialam exprimere. Quidã Everhardus Dominicanus Bullæ contradicit, item Ep. Coloniensis. hinc nova Bulla oritur. Alexander 4. *universis Christi fidelibus* hoc totum credendum mandat. Benedictus 12. Ordini concessit, ut festum stigmatum horum celebraret. Summa; 8. Bullæ in Ecclesia Romana hanc rem dubiam esse non amplius sinunt. Quidam Dominicanus voluit in imagine Francisci stigmata abradere. Continuo sanguine totum conclave oppletur, ut sisti non posset, donec miser Dominicanus acerbe se *disciplinavisset* & genu flexo Francisci imaginem adorasset. Tribus panibus ultra 30. fratres, & divina providentia 5000. in quodam
p.9. capitulo generali pavit. 30. mortuos *suis meritis* ad vitam rovocavit.

p.224. Liberavit sibi devotum militem *ex inferno*.

3. De

3. De Morte.

Omnia ibi egit quæ Christus.

Venetiis mos erat, ut ter in festo Francisci prædicaretur ad IPSIUS SANCTI GLORIAM. P.222.

Locus Francisci est in *Christi vulnere*. Vidit Fr. de Marchia *Franciscum stare in Christi vulnere*. Totus chorus cœlestium præterit, nec Franciscus apparet. Rogat Michaelem Angelum ubi sit? Michael subridens dixit ad Christum præcedentem: *Domine iste frater desiderat videre S. Franciscum, si placet vestræ benignitati, ostendatis eum sibi.* cui Dominus: *Placet mihi quod videat eum.* Franciscus exivit de vulnere lateris, ad quem cum Fr. accurreret, ipse ait: *O Cative[illegible] quid tu facis. Habes Dominum Deum tuum.*

EPILOGUS
ad Papistas.

DUo peccata maxima, Viri prudentissimi, peccavi. Priore libri parte Coronam Papæ: posteriore Ventrem sacri cleri tetigi. Papa ad id fastigii subvectus temporum superstitione est, unde non nisi cadendo descendet. Armatus potestate infinita Chri-

Christianorum Animas constrictas tenet, leges legibus cumulando (totidem conscientiarum laqueos;) quas non ad ordinem duntaxat externum; sed ad interius & spirituale animę regimen refert, earumq; observationem tam severe urget, quasi tota vis pietatis ab illis penderet. Atque ut hanc non tolerandæ dominationis possessionem retineat, sanguinariis edictis vos à sacrorum lectione arcet, adeoque nihil de religione inquirere permittit. Hinc superstitionibus impiis religio polluta est: hinc horrendis sacrilegiis corrupta est ratio Deum vere & sincere colendi. Universalis est regula, quæ purum Dei cultum à vitioso discernit, ne comminiscamur ipsi quod nobis visum fuerit, sed quid præscribat is qui solus mandandi potestatem habet, spectemus. Ad vocis suæ obsequium unice Deus nos revocat. Nam hoc ad ejus autoritatem stabiliendam summopere pertinet, ne serviamus illi arbitrio nostro, sed toti ab ejus voluntate pendeamus. Satis patet quid Christus faciendum in cœna jusserit. Nempe accipere, edere, bibere. Hoc mandato spręto Papa actionem quandam histrionicam componit, & tanquam successor Aaronis sacrificium ad expianda populi peccata offert. Quis Papæ permisit *Receptionem* in *oblationem* commutare? Deinde quis illum jussit mortis Christi efficaciam

ciam

ciam ad inanem & theatricam actionem transferre, millies in una urbe, uno die Christũ immolando? Quis permisit illi, Christo æterni sacerdotii dignitatem ereptam sibi tribuere? Obtendit colorem, quod perpetua serie à S. Petro descendat. Quasi Christus hanc legem tulisset, ut qualescunque futuri essent præstites Ecclesiæ, pro Apostolis agnoscerentur: aut quasi Apostolatus tanquam hereditaria possessio ad successores quosvis, quæ nihilo verecundius sacrorum mercimonium quam calceorum exercent, derivaretur. Quid? Nonne Papa pueris Simoniacis, perfidis, scortatoribus, episcopatus mandat? quales hi successores Apostolorum sunt? An, cum colaphis Christus cæderetur, graviore contumelia affectus fuit? Res huc spectat, Domini carissimi, pios inanem Ecclesiæ titulum cum ad superstitionis & impietatis regnum obtenditur minime morari. Non satis est Ecclesiam jactare; sed necesse est, quæ sit vera Ecclesia, & qualis sit ejus unitas, è scriptura intelligatis. Ut rem in pauca conferam, loco veræ religionis Papa ἐθελοθρησκείαν in Ecclesiam induxit. Erga Rempuplicam Romanam quomodo se gessit? Infinita sunt quæ dici possent. Occupavit sedem Imperii, imperatoresque Romanos indignis modis Roma exclusit. Gregorius

gorius V. Ottonem 3. nepotem Ottonis I. qui imperiũ ad Germanos transtulit, pactione damnosa & posteris ignominiosa induxit, ut qui Rex Romanus creatur, non ante Imperator haberetur, quam eum Papa inaugurasset. Hinc Innocentius 6. non alia lege coronam Imperatori imponit, nisi ut juret, sese Romæ aut in Italia injussu Pontificis non moraturum. En perfido capiti detrahendam coronam! Cujus esse omnia debent, non est sui ipsius. Num credibile est, talem ambitionem, quæ eousque in præceps progressa est, divinæ institutioni deberi? In levissima exerratione gravissimum sæpe momentum est. quid hoc statu desperatius, qui nihil pensi vel moderati habet? qui lege Christi transita sua Ecclesiæ mandata obtrudit? qui terminos sibi fixos licentiosa evagatione egressus, orbis ambitum cupiditate & ambitione occupat? qui effecit, ut sanctissima Christi religio in superstitionem deplorabilem mutaverit, & aurea libertas sanguine ęterni sacerdotis parta in fœdam servitutem verterit? Quis non piorum meritissimò hujus cathedræ adeo pestiferæ autoritati intercedat? quis non hoc Ecclesiæ dehonestamentum è domo Dei obnixe furcillandum esse judicet? Homines diritate & immanitate omni teterrimi Deos se faciunt, ne in hominum quidem censu repo-

anno 997.

reponendi, si ipsorum parasitis credimus. Faciat Papa opera Petri, & Petri eum successorem agnoscam, id est, *Coronam suam abjiciat, & crucem subeat*. Venter Clericorum auribus caret. Itaque frustra hanc operam sumpturus mihi videor, ut de eo verba faciam. Nihilominus dicam.

Propria Papatus dogmata, illiciis blandiuntur, hisce maximè, quod aucupia pecuniæ ingeniosissima sint. Res ipsa indicium facit. omnia exequi nimis longum foret. Ecclesia olim continentiæ, paupertatis, patientiæ gloria celebris, nunc postquam in tantas opes crevit, in aliam partem palmam possidet. Fuit olim tempus, cum in sacerdotibus gloriosa paupertas prædicaretur. Acta Synodi Aquileiensis habent: *Olim sancitum fuit, ut Episcopus non procul ab Ecclesia hospitiolum, vilem mensam & supellectilem haberet*. Quid jam? quinque vel plura Sacerdotia in unum hominem congeruntur. Unus puer interdum tres Episcopatus, tanta intercapedine disjunctos obtinet, ut eos anno vertente vix circumeat. Quid porro? Nonne in Romana Curia palàm Sacerdotia licitationibus exposita sunt? Nonne lenociniorum, veneficiorum & pæderastiæ mercedes sunt? Negate si potestis. Expectatis opinor τὴν λυχναψίαν ἐν μεσημβρίᾳ. Intuemini eorũ statum, qui omnia præ ventre,

tre,

tre, præ religione inquam poſtputant. Hi, nihil ſe habere velle jactitantes, nonne è religione ſummas divitias fecerunt, mundumque aperte dolis ſuis fefellerunt? qui apertius pietatem ad quæſtum, quam eleemoſynam appellant, nundinant? Sequuntur nempe filii Matris inſtitutum. Roma mater de nullo negocio habenti nummos abnuit; ſed operâ nullâ gratuitâ eſt. Sic filioli perſonati hiſtriones paupertatis profeſſione, perſonam ſuam, quam acceperunt, etiam atque etiam ludunt, theſauros mundi interim & vitam deliciis affluentiſſimam inhiantes. Non eſt credibile, Auguſtinum, Baſilium, viros comprobatiſſimæ ſanctitatis, ejuſmodi monſtra ad inertiam peſſundata toleraturos in Eccleſia fuiſſe. Monachos illi formabant χειροβιώτας, lectioni Scripturæ, meditationibus, operibus pœnitentiæ vacantes, qui nulla opera *ſupererogatoria* vendebant: qui nullis fabulis populum paſcebant: qui nullas in corde Sycophantias, Regum ac Principum ſtatui evertendo, concenturiabant; qui Pontificiâ dominatione ſummos Monarchas non conabantur devincire; qui malitiam, fraudes & homicidam crudelitatem ruditati non conſociabant; qui nihil pictum vel fictum adorabant; qui nullis vanitatibus inhærebant: qui adverſus vitia ſua, ut noſtri

χρηστολόγοι καὶ γλωσσοχάστορες, non erant facundi: qui ieiunium & castitatem multæ luxuriæ ebrii non commendabant; qui in perfecta legis impletione non gloriabantur; qui se examussim sanctos haut esse profitebantur; qui nolebant ad solas fraudes ingeniati

Scire omnis secreta domus, atque inde timeri;

qui opipare & apparate comedentes famelicum vultum non fingebant; qui silvas & segetes exuberantissimas non possidebant; qui vinculis nexus suos celantibus ad cœlibatū perpetuum se non obstringebant; qui castum matrimonii fedus volutabundi in libidinibus non despiciebant; apud quos non impudicitia felicior sed castitas tutior erat. Sed quo recidimus? Monachus appositissimus jam pastor factus est ad oves lanitio levandas. fidem enim apud Christianos invenerunt Religiosi, casti, pauperes viri, artificio simulandi. At saltem caste Monachi vivent. Utinam! sed de ea coram tribunali Dei litigent: experientia docet, gurgites libidinum Monasteria inundasse. Monachos passim liberos serere, & in eos inerrare, venerem promiscue spargendo, & thalami legibus illigatam despiciendo, orbi innotuit. Reliqua quæ ἄρρητα ἀμείνω libens

bens prætereo. Generatim hanc legem S. Mater sanxit, *propter fornicationem hodie neminem esse deponendum, quia pauci sine illo vitio inveniantur.*

Ventrem *hominum ad perfectionem tendentium* paucis perstrinxímus; abdomen *perfectorum*, id est Episcoporum, intueamur. Ecclesiam novisse Episcopos annis innocentibus, cum adhuc pueritiam agerent, qui in capite & fortunis hominum dominarentur, qui prædicationi Euangelii indormirent: qui leges Papæ, timori; Dei, derelictui haberent: qui bellorum & scelerum pactiones conflarent, qui pares se regibus ferrent, & luxu pompaque cum principibus certarent, qui aureis gradibus in cathedram adscenderent: qui sine suffragatione populi electi essent: si creditis, Viri optimi, longe de vicinia veritatis aberratis. Credite mihi, non erat tunc Episcopus elingue tintinnabulum, non satrapa, non venator, non heluo iners; non miles, non Christi subsannator. Nemo Episcopum veste & tonsura metiebatur; sed moribus & doctrina internoscebat. Non continuo cui mitra vel pallium Romanum deerat, cerdonum numero & Plantinæ prosapiæ adscribebatur. Vera pietas, eruditio, autoritas, hisce integumentis superstitionis facile carent. Iudaismus expiravit.

ravit. Verus Episcopus est, qui omnibus, quæ Christus mandavit, antevertitur, nec est Christi lucrio, ut S. Ignatius appellat. Ad perpetuandam Ecclesiam non *Cathedra sublimitas*; sed *fidei sinceritas* servit. Episcopatus *opus* est, non *dignitas*, qui operam prædicandi Euangelii, quam dare jussus est, minime supersedet, neque in eam stultitiam mortales adducit, ut nullam Ecclesiam nisi Pontificibus Romanis, quorum vox & vita Antichristum sonat, regnatam agnoscant. Ductore Ecclesia indiget, quem religionis controversias consulat, sed is est Spiritus sanctus per scripturam nobis loquens. Ecclesia, cum omnium seculorum perpetuitate procedit, & ultra solis & Oceani limites extenditur, licet aliquot defloccati Itali errent, quorum non tantum furori sed etiam irrisioni Ecclesia subjecta fuit. Sed quæ ipsorum doctrina est? Unum Papam esse immensæ pollentiæ, cujus verba Christiani vicem oraculi teneantur accipere, quique adeo successionis & hereditatis jure sapiat: nullam salutem reperiri posse præter eam quæ Romæ venalis est: Romam iter petendum, ut Deus homini propitius sit. Hæc fere summa est. Num hæc olim nota erant? Sed ad Ocellum Romanæ Ecclesiæ Iesuitam pergo.

ad Trallianos.

Sunt Iesuitæ, genus inquies & factiosum, quo nihil versipellius, reliquis ordinibus infensi, sed docti irasci quantum expedit, circumspecti, sui obtegentes, gloriæ & fortunarum pleni, Romanæ Ecclesiæ bono præter ceteros invigilantes, cumulandis patrimoniis intenti, prudentiam omnem ad obsequium Curiæ Romanæ flectentes; & interim imperii nimii, omnium Ordinum maledictis succlamati; regicidiis & elecebris argentariis defamatissimi, ad simulandam pietatem altitudine ingenii incredibili præditi, dexterrimi homines effarciendis fatiscentis Naviculæ Pontificiæ rimis.

Sed admiramini tamen sanctimoniam religiosi habitus & integumenta ista nequitiæ. Quasi quis tectis sordibus Deo placeat, aut quasi serpentibus pulcherrimum veneni tegmen, squamæ fulgentes, desint.

Sunt nonnulli à judicio & doctrina tam male parati, ut ædium sacrarum splendorem & magnificentiam sic admirentur, ut templa deauratis, gemmatis, baccatis, vestitis Imaginibus vacua despicatui habeant. Respondeat S. Hilarius, *Male vos parietum amor cœpit.* Sed & hac re Christiani antecellimur. Templum Ephesiæ Dianæ ex perpetuo marmore fabre & magnifice columnatum si quicquam ad religionem confert,

Genti-

Gentibus merito fuit gloriandum. Ordinum diſciplina & rigor vos commovet? Exercitatio, quæ officiis pietatis externis occupatur, Paulo teſte, parum ad ſalutem profectat. Baalitarum devotio ad verbera & ſanguinem progreſſa eſt. Turcus jejunia veſtra in delitiis habet, qui non genuflexus, ſed in faciem humi procumbens precationes init. Ægyptii quanta religione felem inter numina coluerunt? Semper mortales, in veræ religionis exercitiis remiſſiores ſunt. Nam natura noſtra à cœleſtibus averſior deſideria cordis ſui avidiſſime ſequitur. Idololatriæ autem ſemen ab ortu ipſo in natura noſtra deliteſcit, ideoque ubertim provenit, & augeſcit facilime. Omnes pii experiuntur quanta difficultate conjuncta ſit recta Deum colendi & orandi ratio, quam turba iſtæc minime ſentit, *quæ filo inſertis numerat ſua murmura baccis.*

Delectat vos ceremoniarum pulcra varietas? Sed unde tam verſicolor totque ritibus variegata religio? ſimplex, pura, vereque Chriſtiana, cordibus piorum, non oculis ſe puerorum probat. Ceremonię autem paulatim ex tenuibus coalitæ principiis in quantum cumulum excreverunt? De his olim S. Auguſtinus queſtus eſt. Miſſam ſpectare ſummæ religioni adſcribitis? Vera religio,

Missam istam missam faciamus, & sacrificiũ mentis religiose & ἀνυποκρίτως Deo offeramus, jubet. Taceo quo sacrificali epulo, qua hostia federemini, sacro sacrilegio tetriore. Quid enim? Christum muribus comedendum, impiis vero hominibus deridendum præbetis. Litabilis hostia *bonus Animus, pura mens, sincera conscientia.* Christum *mente*, non *dente* comedimus. Verba quæ locutus est, spiritus & vita sunt. καθαρὰς γὰρ θεῖον χεῖρας, οὐ πλήρεις σκοπεῖ. id est, *Puras Deus, non plenas aspicit manus.* Sed quam iniqui estis superstitionis vindices! Hostiam in ventrem abeuntem, nisi quis adoret, fustibus ad saturitatem coronatis. qua facilitate utimini istic ubi rerum non potimini: alibi tanquã capitalis facinoris reũ comburitis. Hæccine ex antiquæ Ecclesiæ disciplina hausta sunt? Illa quidẽ Idolorum, minime vero Spiritus sancti templa deussit. S. Martinus Priscillianistas periculo, quantum in se erat, eripuit: Hi prophanæ conjurationis plebem instituebant, mulierculis sexus sui facilitate labentibus illudebant, & nocturnis in congregationibus nudi orantes non sacro, sed piaculo federabantur. Mortem, imo crucem meriti videntur fuisse, & tamen S. Martinum defensorem

Sulpitius Severus in fine hist.

rem

rem habent. *Novum*, ait, *& inauditum nefas est, ut causam Ecclesiæ seculi judex judicet.* Latebrosam, lucifagam & sacrilegæ libidini emancipatam turbam vir sanctus, moris Ecclesiastici retinentissimus, non occidendam sed devitandam censuit. Vos vero eos, qui Deum verum in spiritu & veritate invocant, & omne credunt, quod is per filium, per Apostolos, per prophetas revelavit, præceptisque Iesu Christi ex animo obtemperandum verbis & factis docent, exquisitissimis suppliciis è medio tollitis, horumque sacra miseri miseramini, metuentes, ne anili R. E. superstitione inducta tota religio destruatur. Quid enim? nonne in auro & argento avaritiam consecratis? nonne coram statuis vos prosternitis? Ut stipitem deasciatum, & truncū dolamine effigiatum religiose & fervide veneramini; ita illud strenue negatis. Synodus Oecumenica secunda Nicæa infra Samaritanos omnes abjicit ἀναθεματίζουσι, qui imaginibus adorationē denegant. Iam imagines soli memoriȩ serviūt, si Papȩ placet Sed dolis effrenati ductamini. Legite condemnationē vestram qui imagines non adorandas creditis in concilii istius actis, & liquido comperietis Antistites papatus vestri carnis prudentia hoc est malo astu Deum & Mundum ludificari.

ficari. In ſcholis aliter docent quam in Ecclesiis. Scholæ diſputant, imagines *per ſe, proprie, absque reſpectu ad exemplar,* religioſa veneratione colendas eſſe. Rogate Bellarminum an verum dicam. Ecclesiis Memoriæ mantellum ſervit. Ia ſe gerunt verſipelles homines, qui hunc ſibi ſcopum præſtituerunt ut Euangelio tanquam lenocinio abutantur. Concionatores, qui mortis periculo vitam offerre debebant pro vero Dei cultu aſſerendo, & evertenda idololatria, Chriſtum ſibi coquum eſſe volunt, qui culinam ipſorum calefaciat. Hinc doctrinam ſuam affectibus hominum accommodant.

Crucem adorandam decernitis, ſed auream & gemmatam, ſtramineam, quod ſciam, nunquam. Veri Chriſtiani crucem non colunt, non optant; non ductu ſuperſtitionis ſibi accerſunt; ſed Dei vocatu patienter ſubeunt.

Rerum humanarum procurationem inter ſanctos defunctos tribuitis. Hi periculis cautelam dant: hi morbis medentur: hi actionibus hominum lætos eventus largiuntur: hi afflictos in fidem erigunt & miſeris opem afferunt. Creſcente inſania Hyperduliam excogitaſtis, qua Reginam cœlicolitis & magnificatis, adeo potentem ut Chriſto ipſi imperet.

Hinc

Hinc Christus plerumque à Matre sua friget. Veri Christiani illum unice colunt, quem omnes sancti coluerunt. invidiæ loci nihil in cœlo est.

Antiquitas vobis placet adeo, ut religioni vestrę tantum sanctitatis videatur tribuere, quantum vetustatis adstruxerit. Sed sic Euangelium vicit. Illud enim antiquissimum. Hoc veris Christianis sufficit. Vos autem centonem superstitionum infinitarum loco Euangelii amplectimini, eumque nomine Ecclesiasticarum traditionum venditatis. Majoribus vestris dicitis eum placuisse, nec vobis displicere posse. Sed veri Christiani non religionem à parentibus, sed à parente omnium Deo sibi traditam colendam judicant. Errantium turba mutua sibi patrocinia præstat. In credendo respicitis ad alium; præstaret Deum & vos ipsos spectare. Majores vestri Domino suo & steterunt & ceciderunt, neque veritati autoritate sua nocere debent. Confugitis semper ad illud calcatum: *Ecclesia dicit*. Quasi Ecclesiæ liceret sibi pro libitu fidem fingere: quasi quod exemplo fiat, statim jure fiat. Ex certaminum Ecclesiasticorum depugnationibus etiam atque etiam liquet pastores in luporum naturam haut raro inmigrare. Ideo cavendi. Asseclæ olim Arrianismi o-

mnes fere Ecclesias occuparunt. Adstipulatores hæresium Cathedras Apostolorum plerasq; in Oriente & Occidente occuparunt. Ne sitis itaque mente tam exsensa, ut à scripturæ sedula, piaque pensiculatione abduci vos patiamini. Major est autoritas Christi quam Papę. Veritas Christus est, non consuetudo. quia gravissimum imperium consuetudinis est, hanc tanto enixius fugite. Romana Ecclesia Mater vestra, duorum sponsorum commercio minime abhorret, neque antiquum amissæ virginitatis damnum amplius sentit. Nolite committere, ut fides & salus vestra hujus judicio stet & cadat. Cur turpi morigeratione scelerum cumulatissimis hominibus salutem vestram permittetis, qui cum negare non possint, Ecclesiam pravis opinionibus, superstitionibus, abusibus, flagitiis redundare, nihilominus tot jam seculis mirificis protelationibus procrastrinata reformatione spem omniũ piorum eluserunt. Nisi ad scripturæ obrussam fidem expendatis, à consuetudine religionem distinguere non poteritis; sed deprehendetis tarde quidē, utinam non sero, proxime à stultitia Ethnicorum Papismum vestrũ abesse. Opinatio est fides, quæ hominum autoritatem sibi præstruit. At hinc ἰλιὰς hæresium emerget. Mirum veteres

teres Doctores hoc non animadvertiſſe,qui ſcripturæ lectionem populo non permiſerunt, ſed injunxerunt. Adeone illa tempora *hæreſibus* & *temeritate* vacua erant? Has enim cauſas prætexunt præſtites veſtri impietati ſuæ. Epiſtolæ Apoſtolicæ populo inſcriptæ ſunt, non Papæ, non Cardinalibus, non Monachis, non Abbatibus, non ſuffraganeis, non clero, ſed populo fideli. Sed dicite mihi; Sunt ne hæreſes in ſcriptura? Minime. Ergo non eſt periculum ut quis inde hæreſes hauriat. Inferre quis hæreſes in ſcripturam poteſt, non inde efferre. id quod fit abuſu. Ergo utimini recte, id eſt, *pie* & *prudenter*. Caritas eſt vinculum & teſſera Chriſtianorum, quæ innoxios errores tolerat, neque judicii imbecillitatem cuiquam in crimen hæreſeos ponit. Hinc Auguſtinus: *Errare poſſum, ſed hæreticus non ero.* Interim vos Papiſtæ attendite Regulam 4 Indicis librorum prohibitorum, facti per delectos à Synodo Tridentina: *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri; qui abſque tali facultate ea legere ſeu* HABERE *præſumpſerit, niſi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit.* Loquiter

quitur Regula de Bibliis à Pontificiis Autoribus in vernaculum traductis. Patrum, qui longe aliter ſentiunt, & docent, teſtimonia ſupra citavimus. Sed ſcire velim, cur clerus teſtimonia ſcripturæ in concionibus citet, ſi ea ſcrutari & pervolvere non eſt permiſſum. Fabularum inquiſitio ſacerrima lectionem populo indulget, ſcortandi leges figit; Bibliorum poſſeſſionem vivicomburio ſancit. Quod homines ſcriptura abutuntur (hoc repetendum eſt) non ſatis cauſſæ eſt ut uſus iis interdicatur. Certe Apoſtoli imprudentiæ accuſandi eſſent ſi hæc ratio quicquam valeret. nam ſuas populo temere epiſtolas inſcripſiſſent. Quam multi prædicatione Euangelii quod Odor mortis impiis eſt, abutuntur! quando unquam populus hęreſes procudit? Hæreſiarchę pleriq; omnes Eccleſiaſticis præfecti muneribus fuerunt. Itane Deo non licęt ſine permiſſu Papæ vel Ordinarii paſtoris obedire? Homines ſunt nimium rudes, dicitis. Accedant itaque ad ſcripturas ut erudiantur. Non mirum eſt ſtupidos eſſe, quibus ſaxa, ligna, ſtipites concionantur. Sed an non ſuſpecti ſunt vobis, qui lucem ſcripturæ Eccleſiæ ſubtrahunt? *Fur odit lucem. Intelligentibus pauca:* Quid ad hæc pompatici Homines? Eccleſia, Eccleſia, ajunt, judex eſt religionis & inter-

pres

pres scripturæ infallibilis. Quæ Ecclesia? Romana. Sed quo jure in hac controversia, qua quæritur: *An Romana Ecclesia infallibilis judex sit religionis*, ipsa judex est? Ita facile lis tota ipsius erit. An non scriptura Ecclesiæ leges præscribit? Haud dubie. Itaque Ecclesia ut inferior scripturæ obdientiam debet, ejusque judicio ipsa tenetur stare.

Quantis animis in Calvinum, Lutherum ire cupitis! quam solide vestram vobis religionem defendisse videmini, cum tales viros in crimen & in infamiam populo ponitis! Sed ut videatis manticæ quod in tergo est, en testimonia ex infinitis paucorum, quorum autoritati refragari minime vobis licebit. Quæ ideo vobis ob oculos pono, ut tandem sanctissimis Dei servis maledicere desinatis. Domi est quod quæritis. Quales illi fuerint, & qua vitæ institutione præditi orbi innotuerint, nemini obscurum est. Cleri sanctimoniam graphice depinxit Petrus Damiani in suo Gomorrẹo ad Leonem 9 misso; item Baronius confessus: *sordibus obrutam Ecclesiam, non aqua diluvii, sed igni, quo Pentapolis exusta est, eluendis, viam corrupisse suam.* Bernhardus: *Multi, non quidem omnes, sed tamen multi, certum est, nec latere queunt præ multitudine, nec præ impuden-*

anno 1130.

Baronius. anno 1049. num. 10.

puden-

pudentia quærunt, multi utique, abstinentes remedio nuptiali, in omne deinceps flagitium effluunt. Esset autem sine dubio melius nubere quam uri. Alvarus Pelagius Hispanus Minorita: *Crapula, ebrietas, in continentia cleri vitium commune, plerique vitio contra naturam offendunt continue, publice, præter nefandissima, quæ in occultis perpetrant.*

De planctu Ecclesiæ l. 2. art. 27. fol. 133.

Descende cœlo turbine flammeo
Armatus iras Angele, vindices
Libidinum jam notus ultor
Exitio Sodomæ impudicæ.

Cornelius Mussus Ep. Bitontinus: *Utinam non à religione ad superstitionem, à fide ad infidelitatem, à Christo ad Antichristum; quin a Deo ad Epicurum &c. declinassent, dicentes in corde impio, & ore impudico: Non est Deus.* Iohannes XII. sacros ordines in stabulo contulit, multiplici adulterio & incestu se polluit, in aleæ ludo Iovis, Veneris, & dæmonum auxilium imploravit, vinum in Diaboli amorem bibit, & in ipso meretricis amplexu à Diabolo percussus interiit. Alexander VI;

In ipso concilio Trident.

Luitprandus l. 6. c. 7, 11.

Sanazarius.

Humana jura, nec minus cœlestia,
Ipsosque sustulit Deos.
Ut scilicet liceret, heu scelus! patri
Natæ sinum permingere.

Nunc

Nunc & Nerones & Caligulas nomina,
Turpeis vel Heliogabalos.

Quam delicatus est Baronius, item Bellarminus, qui sibi non possunt persuadere Liberium Arrianum fuisse! quomodo enim hæresis in tam sanctam cathedram caderet? Quis sibi à risu temperet? Operose hoc probandum est; quasi res incredibilis fidem excluderet. Credo parum memores fuisse Iohannis 23. Stephani 6. Leonis 10. Sixti 4. Innocentii 8. &c. Quid quæris? Roma Mater pia

Ad Stygios olet usque Lares, incestat Olympum
Nidore, & facta est toto execrabilis orbe. Mantuanus l. 4.

Dominicus Soto: *Non inficias imus, crebros esse in clero concubinarios & adulteros.* Cur igitur viri religiosissimi stultam persuasionem non abjicitis, & discitis, Deum *peccata*, non *matrimonia* interdicere? Porro pastoribus Ecclesiæ status controversiam movetis. Negatis veros Episcopos, pastores, ministros Ecclesiæ esse; sed sola usurpatione in hoc munus involasse. Paucis hanc rem ab aliis operose copioseque tractatam expediam. I. Princeps causa vocationis Christus est, qui intrinsecus vocat ad mini-

De justitia & jure 4.6. art. 1.

Salvianus de guberni. Dei l. 5.

ministerium quos vult, eosque donis necessariis instruit. Ministerialis autem est Ecclesia. *Ecclesia est quæ doctrinam Christi profitetur.* Eligendi jus ne quidem Apostoli solis sibi vindicarunt. sed communibus Ecclesiæ suffragiis id permiserunt. inquo 3. requiruntur. 1. *Exploratio vitæ & doctrinæ, qualem Apostolus requirit.* 2. *Electio quæ fit nomine Ecclesiæ à presbyterio, precibus plublicis præmissis, qua certa Persona nominata, muneri Ecclesiastico destinatur.* 3. *Confirmatio, qua precibus manuumque impositione muneri suo inauguratur.* II. Presbyterum autem ab Episcopo divino jure non distingui, S. Hieronymus ex S. scriptura, &, Medina fatente, plerique omnes patres senserunt. Ecclesiæ usu volventibus seculis differitas in immensum crevit. *Olim Ecclesiæ Apostolicæ & primitivæ* COMMUNI *presbyterorum consilio regebantur*, teste Hieronymo. Hinc ad vocationem requiritur *impositio manuum presbyterii*, non unius Episcopi. Azorius: *Apostolorum temporibus passim presbyteri, qui in civitatibus constituebantur, simul etiam erant Episcopi.* Contarenus: *Eo tempore, qui presbyteri erant, etiam erant Episcopi.* Lombardus: *Diaconos & Presbyteros solos Ecclesia primitiva legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus.* S. Paulus: *Omnibus sanctis,*

Act. 1. 23. c. 6. 5. c. 14. 23.

1. Tim. 3. 1. 2. 3.

Bell. de clericis l. 1. c. 15.

1. Tim. 4. 14. l. 3. p. 2. c. 16. in ep. ad Philip. l. 4. dist. 24. c. de presbyt.

Philip. 1. 1. Act. 20. 20. 28.

ctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis. Alibi *Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ Episcopos vocat.* Vox eadem, & res voci subjecta est.

III. Vocatio est legitima, quæ exemplo Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ conformis est. Talis hæc est quam descripsi, quæque in Ecclesia reformata viget.

IV. Calvinum, Lutherum, alios à Papatu ad Ecclesiastica ministeria vocatos esse non negabunt, & quidem ad Euangelii prædicationem. *Sacerdotem oportet bene dicere, præesse, prædicare & baptizare.* item: *sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitæ vestræ, delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum Dei.* Item: *Vis ea quæ ex divinis scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, & verbis docere & exemplis? Volo.* Item: *Accipe euangelia, & vade & prædica populo tibi commisso.* Hinc omnino sequitur, si veram doctrinam Euangelii prædicarunt, eos officio suo minime egressos fuisse. Itaque necesse est ostendatis doctrinam Ecclesiæ Reformatæ verbo Dei repugnare. Hoc examen doctrinæ cur fugitis? At defecerunt, vocationeque sua exciderunt. Non ab Euangelio; sed ab Euangelii corruptione & ab humanis traditionibus. Sed vocati sunt ad

prædicandam doctrinam & fidem Ecclesiæ Romanæ. igitur istius vocationis jure vel prætextu aliam fidem non potuerunt prædicare. Sed Papistæ suos errores Euangelium vocabant, quos cum ab Euangelio alienos esse deprehenderent, merito abjicere & explodere jure Vocationis poterant & sincerum Euangelium prædicare. At si Ecclesia Romana est synagoga Antichristi, quomodo jus vocandi ministros Ecclesiæ habet? Distinguimus Ecclesiam à Papatu. Papatus erroribus infecta Ecclesia ordinarias cathedras, ut olim Iudaica fermento Pharisæorum corrupta, possedit. Huic, non Papatui, sed Ecclesiæ, in qua Papatus fuit, tanquam ulcus vel struma in Corpore, jus vocandi Ministros Euangelii attribuimus. Aliud est vocari *nuda autoritate Papatus; aliud per Papatu corruptam Ecclesiam, tanquam instrumentalem & ministerialem causam.* Potest Ecclesia etiam corrupta ministros vocare jure utens primæ institutionis, cujus autoritas primario à Christo, primo, summo & unico vocante dependet. Quid quod omnis tenetur juramento & promisso stare, quod de re licita, sancta & honesta fecit? In malis autem promissis quibus Episcopi Papæ se obstringunt, cum sint impia, fides rescindenda est. Ecclesia quævis hæretica Mini-
stros

ſtros ſuos hac lege ut veritatem doceant ad Epiſcopas vocat. Hinc tenentur tales veritatem docere. Concilium Nicænum canone 8. ordinavit ut *Clerici Hæretici conversi ad veram fidem in statu & gradu dignitatis suæ persisterent.* Manus *benedictionis*, non *novæ ordinationis* ergo iis imponebantur. Videantur etiam exempla in novo testamento. Hieronymus toto contra Luciferianos libro probat, Ecclesiæ, ut baptizatos ab Arrianis recipit, ita Epiſcopos Arrianorum converſos ſuſcipiendos eſſe, neque dignitate Epiſcopali privandos. Vocationem autem à ſolo Papa Romano non dependere, ſexcentis exemplis antiquitatis evidens eſt. Videatur unici Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis vocatio.

Act. 13.3. Matt.19.15.

V. Sed quid legitimis paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ moleſti eſtis, qui ad Papatum horribili ſimonia & fraudibus Dæmonicis vos ingeritis? an non hiſce artibus ab Eccleſia alieniſſimis ſucceſſio & ab ea dependens autoritas miniſterii Eccleſiaſtici interrupta perijt.

VI. Prædicandi munus Euangelii in functionem Chriſti corporis de integro immolandi Metamorphoſi Ovidio digna transmutatis. Oſtendite ex documentis divinis, ubi Chriſtus juſſerit Apoſtolos, eo-

rumque successores, Corpus suum *Vere & Realiter pro vivis & mortuis Sacrificare*, & viceritis. Scripturam & divinam institutionem superstitione prægressi *Sacrificium commemorationis* in *propitiatorium & reale* mutastis. Audite Augustinum: *Manducare panem, est in novo testamento Sacrificium Christianorum.* Antiqua glossa Ecclesiæ Romanæ in Canonem Semel; *Christus immolatur, id est, immolatio ejus repræsentatur, & fit memoria passionis.* Canon Missæ Adeo sacrosanctus: *Per Christum Dominum nostrum, per quem* HÆC OMNIA, *Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis & præstas nobis.* Num Deus *Christum* per *Christum* quotidie creat? Num *Christo* benedicit per *Christum*. Hæc verba post Consecrationem dicuntur. Ne negate. Inspicite Canonem. Dicuntur eo momento quo Sacerdos elevaturus est hostiam ad adorandum. Est tum tempus Deo gratias agendi quod panem & vinum crearit? Sed hæc sunt vestigia antiquæ fidei Catholicæ. An ex vero hæc eruperint animis adeo intactis, disquirite.

l 7. de Civit. Dei cap. 17.

Dist. 2: de Consecr.

Nos qui Christi fidem profitemur, indolem ejus novimus; neque hac omnium rerum inclinatione obhærentes, animum despondemus; sed summo Pastori ovium,

qui

qui Ecclesiæ invigilans, receptum eidem publicæ calamitatis per vim oppressæ providebit, & ejus salutem hypocritarum & hostium peste expediet, rem totam commendamus.

Tu, ô Roma,

Hoc alium desine velle virum.

Terriculas tuas patientia doloris illudimus. obfirma viam, quam decrevisti persequi, & mole tua invalentiam ex viribus nacta, rues. Τἀληθὲς ἰσχύον φέρομεν. Voca nos *profanos* & *impiati seculi Reos*, olim hæc Ecclesiæ appellatio fuit. Ecclesia pereundo servatur. Laceres nos, patiamur. pœnas pro hæreticis luamus, qui Deo plus fidei, quam hominibus habentes, mandataque hominum derelictui habentes, à Deo injussi nihil in religione tentamus; sed sola, quæ Christo placent, parendum ducimus. Liceat nobis sine hæreseos, à qua abhorrentissimi sumus, objectione Deo magis quam hominibus obedire. Ecclesia, sanctorum congregatio χθὲς καὶ πρώην haut nata, non vincetur, non, licet amnes in alium cursum contorqueantur, montes in imum hauriantur, terræ tremefiant & desidant: non si orbis ipse ruinas agitet, & ad

Arnobius l. 1.

Apud Prud. hym 10.

interitum redigatur. Veritas plerumque in pauciores probatur: quæ, penitissimis piorum animis insculpta, quam veritatis surdi-cives Septimontii non sequimini, quia non obsequimini, quam non capitis, cathedræ Latinæ cæca servitute emancipati, quia carpitis, perennabit. Liceat vos verbis Magni Basilii ad Iulianum Apostatam postremo appellare: ἃ δόγματα ἡμῶν ἀνέγνωτε, οὐκ ἔγνωτε. εἰ γὰρ ἔγνωτε, οὐκ ἂν κατέγνωτε. Mendacia plerumque vestra; non nostra dogmata refutatis. Deus vos luce suæ gratiæ dignetur. cui soli gloria sit.

FINIS.

CA-

CAPITUM ET CONTENTORUM

In hoc de Statu Papatus libro

TABULA.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

De

CAP. II.

CAP. III.

CAP.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP.

CAP. IX.


CAP. X.

CAP. XI.

CAP. XII.

CAP. XIII.

Ba-



Exerrationes Operarum quæ lectorem morari possunt, ita corrigantur.

P.3.l.13.judicio, indicio.p.4.l.20.in nostu non.ibid.l.ult.quæ.quia.p.5.l.9.eadē.eædem.p.9.l.ult. ἰπωσκλήδη. ἰπωσκλειδη. p.17. l.7. si. deleatur. p. 19. l.3. non. deleatur. p. 22.legito. tegito. ibid. l. 33. à me. deleatur. p.23.l. 31. cerei. cervi. p. 25.l.12. cum.cujus.p.26.l.4.Ororius.Ozorius.p.31.l.22. vitimur.nitimur. p.37.l.28.deest,paulo ante mortem. p.39. in.de.p. 42.l. 27.accurritur. occurritur. p. 47.l.12. potestati. potestate.p. 52.l.5.rediturus. redditurus. p. 57.l.28.æquali.inæquali.p.62.l.6.fraudē.fraude. p.63.l.12.deest,gessit.p.65.l.16.Eustratius. Eustatius.p.69.l.8.Deest,Leo. ibid.l.28.necessarium.Necessariam.p. 71.l. 4. Alexandriæ. Alexandrinus.p. 72.l. 25.clarissimi. carissimi.p.73.l.7. Antiochæ. Antiochiæ.p. 75.l.27.extrare.extare.p.76. l.3.quæritnr. queritur. Sæpe.p. 77.l.6. habitam. insuper habitā.p.78.l.16.pernicioso. perniciosos.p. 96.l.25.&. ut. p.97.l.8. externis. exterius. Arinianis. Arrianis.l.11.extrema.externa. p.99.l.9.confirmavat.confirmavit.p.103.l. 27.totum. locum.p. 104.l.29. Saleianus. Salvianus.p.108.l.9.ideo id.ideo quia id.l. 24. Hinc. Huic.p. 120.l.2.officio.ocio.p. 128.l. 12.privata. pro privata.l. 17. liberum. liberum arbitrium. p. 129.130. δυναμένων. διγαμένων. p.136.l.4.multum, mutuum.l.6.Setus.Sotus.p.146.l.9.terris. tectis.

tectis. p. 154. l. 17. inundantem. inuncantem. l. 25. elignia. elinguia. p. 160. l. 3. excrementa. excremento. p. 176. l. 12. colerent. colere ut. p. 181. l. 19. Colejus. Colvius. p. 196. l. 27. Solo. Soli. p. 197. l. 17. aut. autem. l. 29. sensus. sensu. p. 204. l. 30. plurimas virtutes. plurimos vitulos. p. 209. l. 2. involent. invocent. p. 213. l. 30. eam. eum. p. 223. l. 9. speculum. spiritum. p. 229. l. 10. tribuerint. tribuerunt. l. 15. eripuisse. erupisse. p. 236. l. 6. repetentes. repentes. p. 246. l. 30. circumstantiæ. circumstantia. p. 249. l. 22. fructu. fructum. p. 251. l. 30. neminem. nemine. p. 255. l. 2. exprimendos. opprimendos. p. 262. l. 16. infercerunt. interserunt. p. 165. l. 19. culpa. Papa. p. 267. l. 4. necessarium. necessariam. l. 5. subsipere. subsistere. l. 24. ei. eis. p. 272. l. 14. judicem. indicem. p. 276. l. 30. 5. 4. p. 281. l. 6. sufficiter. sufficienter. l. 9. & columina esse. ut columna esset. p. 287. l. 24. itaque agit. itaque non agit. p. 319. l. 21. Deo. Dei. p. 320. l. 9. condedit. concedit. p. 323. l. 4. totaliter. letaliter. l. 30. γάμενοι. δυνάμενοι. p. 336. l. 12. sunt. deleatur. p. 342. l. 1. ut. ut si. p. 349. l. 4. modo. novo. p. 355. l. 2. agnum. agrum. p. 391. l. 20. abditis. additis. p. 419. l. 11. nullæ. multæ. p. 426. l. 25. quam. deleatur. p. 433. l. 10. hæc. hinc. p. 434. l. 14. sacrilegium. sacrilegam. p. 438. l. 3. nolentium. nocentium. p. 444. l. 30. quod quid. quid? quod. p. 448. l. 2. illis quidem. illis paucis quidem. p. 463. l. 5. papista. papistæ.



Lugduni Batavorum,

Typis WILHELMI CHRISTIANI.
cIↄ Iↄc xxxviii.

